



Errata Voluminis primi.

Pag.	10	linea	19	loco :	alloquentes	legas : alloquentem
»	22	»	11	»	remota	» remotam
»	386	»	1	»	at	» et
»	417	»	30	»	majestatis, Dei	» majestatis Dei
»	417	»	30	»	effulgentia	» effulgentia,
»	511	»	22	»	Tristis	» Tristes
»	525	»	26	»	Galilaei	» Galilaeae
»	528	»	4	»	in nomine meo ejus	» in nomine ejus
»	538	»	4	»	Nazaraenum	» Nazarenum
»	541	»	29	»	Domini	» Domine
»	544	»	2	»	Sacratissimo	» Sacratissimi
»	544	»	5	»	militus	» militum
»	546	»	4	»	Excellentiores	» Excellentiora
»	550	»	27	»	carnem meam	» meam carnem
»	550	»	28	»	in manet	» in me manet
»	575	»	17	»	corpus et suum	» corpus suum
»	575	»	22	»	ei qui	» et qui

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

REFECTIO
SPIRITUALIS

APPROBATIO.

Rari sunt meditationum libri ad specialem usum clericorum juvenum omnino aptarum. Hasce igitur meditationes non possumus non approbare, immo summopere commendamus ob sermonis facilitatem et concinnitatem, doctrinae solidi tatem, pietatis fervorem ; atque speramus fore ut optimos fructus afferant, clericorum corda supernae justitiae zelo inflammando, adeo ut forma gregis fiant ex animo.

Datum ex Collegio S. Mariae de Oscott,
die 30ma Martii 1906

† *EDUARDUS*
Episcopus Birminghamiensis.

IMPRIMATUR.

Brugis, 7 Aprilis 1906.
H. Lahousse, Can. Libr. Cens.

Rmus H. PARKINSON S. T. D.

RECTOR COLLEGII S. MARIAE DE OSCOTT

Refectio Spiritualis

Alumno Clerico meditanti

proposita

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

VOLUMEN I

De perfectione sacerdotali. De Vita Salvatoris deque SS. Corde Jesu.

BRUGIS

Apud Carolum BEYAERT Bibliopolam

1906.

Praefatio.

Quum decem ante annos mihi demandatum fuerit munus instituendi juvenes ecclesiasticos in palmari meditandi opere, mihi maxime cordi fuit materiam alumnis clericis stricte et proprie accommodatam colligere, digerere, praebere. Et quod in Seminario Centrali Uscotiensi jam in usu haberi consuevit, nunc novis curis recognitum et auctum in aliorum offertur utilitatem.

Ea igitur pio alumno meditanda exhibentur quae ipsum vitae spirituali initient initiatumque enutriant, ad intimiorem quamdam Magistri familiaritatem inducant, atque valide adjuvent ut sublimitatem vocationis sacerdotalis et pastoralis recte aestimet, et munia quaelibet praeparationis suae fideliter sancteque obeat.

Hic explicare forsan opus est has meditationum series ad cursum triennii confectas esse, neque convenire semper ut singulae eo ordine sumantur quo in libro reperiuntur, sed magis ut liberior materiae fiat selectio, ratione habita vel temporis, vel festi, vel uniuscujusque profectus : ex quo palam fiet quare saepenumero de eadem re sermo iterum, nonnunquam etiam tertio occurrat.

Verbis ubique parcere studui, tum ut puncta

4001

PARS PRIMA

VIA PERFECTIONIS SACERDOTALIS

Caput I. Ingressus in Seminarium.

I. Juvenis primum ingreditur seminarium.

i. « Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. » Ps. 121. 1.
ii. Pete ut magno animo statim incipias opus disciplinae salutaris.

---

1. Discedit juvenis a vanitate et distractione mundana ut *accedat* ad pacem et suavitatem servitii divini. « Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. » Ps. 83. 2. Hinc cogita quam levia, transitoria, insipientia sint mundana omnia, inde vero quod ea quae nunc agenda suscipis, gravia sint, aeterni valoris, et actus sapientiae verae.

2. Ascenditur nunc *ad altiora* : —
   a. e schola ascendis ad coetum juvenum ecclesiasticorum ;
   b. ex pueritia gradum facis ad adolescentiam ;
   c. ex minoribus transis ad maxima : ex artibus humanis ad studia divina ;
   d. ex tyrocinio progrederis ad palaestram virorum. « Cum essem parvulus... sapiebam... cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. » 1 C. 13. 11.

3. *Accessus* tandem fit ad sortem clericorum ; « vos

autem dixi amicos. » J. 15. 15 ; ad sequelam Domini : « Venite post me. » M. 4. 19 ; ad coetum ab ipso institutum « ego pro eis rogo... quos dedisti mihi, quia tui sunt. » J. 17. 9 ; ad collegium apostolorum ab ipso missum in salutem hominum : « Ecce ego mitto vos. » M. 10; 16.

4. Tibi praesto erunt *gratiae* multiplices, frequentes, et altissimae ; nimirum sacramentorum frequentior et ferventior susceptio,— verbi divini penitior cognitio, — accuratior intelligentia mandatorum, — clarior apprehensio consiliorum, — actus ardentiores ad Deo fideliter serviendum.

5. Opus istud praestantissimum aggrederis *patrocinio* munitus numeroso et nobili, nempe almae Virginis Mariae, S. Josephi, S. Bernardi, beatorum martyrum nostrorum.

6. Fiduciam profitere ; auxilium exposce.

2. Invitatio psalmistae [1].

i. Repraesenta tibi Christum nos omnes alloquentes istis verbis : « Ego elegi vos. » J. 15. 16.

ii. Gratiam pete vocem Domini sequendi animo virili et generoso.

Ecce (animos excitare studet)
nunc (hac die, hac ipsa hora, hoc loco, nimirum —

1. Post praeparationem alibi peractam ;
2. Post praeviam forte negligentiam. Et quidem si hac-

1. Ps. 133

tenus negligens fueris, frigidus vel otiosus, hic et nunc mutatio instauranda ;

3. Post ferias quando, renovatis viribus mentis et corporis, melius poteris Domino in omnibus servire)

benedicite (ore et corde, laudando, adorando, extollendo Deum)

Dominum (rectorem et gubernatorem tuum, infinitum, amabilem, majestate plenum),

omnes servi Domini (homines Christiani, Levitae, inter quos et tu numerari cupis) :

Qui statis (expediti ad laudes Dei concinendas, et ad quodlibet Dei servitium)

in domo Domini (nemini hic inserviendum nisi Domino Deo. Ceteris quibuscunque negotiis ita vacare oportet, ut Deo in omnibus colendo unice incumbas. Vocatus es ad munus ministri Dei, ut sis totus in illo, atque permanenter)

in atriis (i. e. non cum alienigenis, vel externis, sed cum domesticis Dei)

domus Dei nostri (id bene intelligere enitaris, quod Dei sis familiarissimus et filius).

Benedicat te Dominus (Dominus nempe qui est gratiarum omnium origo),

ex Sion (ex loco sancto suo),

Qui fecit coelum et terram (non solummodo Deum cogita, sed bene studeas perspicere ipsum esse talem ac tantum).

Quid hodie Domino praestabis ?

« Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam. » Ps. 142. 8.

3. Invitatio sapientis [1].

i. Contemplare Spiritum sanctum scriptores sacros illuminantem.
ii. Gratiam implora cognoscendi sensum oraculi hujus divini.

I. *Diligite* (non solo operis effectu, sed affectu cordis, et intense)
justitiam (1. suum cuique fideliter reddendo :
a. In rebus, secundum strictam juris exigentiam ;
b. In factis, quod virum honestum decet agendo semper ;
c. In verbis, veritatem servando ;
2. Omnium virtutum complexum admirabilem. « Qui sequitur justitiam, diligitur ab eo (Domino). « Prov. 15. 9).
qui judicatis terram (et maxime duces et magistri spirituales).

II. *Sentite de Domino in bonitate* (Qualis enim et quantus est Dominus et Magister quem in partem tuam habere constituisti ?
Profecto ipse est —
1. Deus, rectissimus, sanctissimus ; radix omnis boni ; benignissimus, beneficus :
2. Deus, cujus jugum suave, et onus leve ; cujus praecepta gravia non sunt ; qui etiam in hac vita reddit quadruplum :
3. Deus, cujus longitudo aeternitas, cujus latitudo caritas, cujus altitudo majestas, cujus profundum sapientia).

---

1. Sap. 1, 1.

III. *Sentite* (affectu, gustu dulcedinis et saporis spiritualis).

Hoc donum suavitatis a Deo efflagita : —

Da mihi, Domine, cor nobile (S. Thomas)

Da mihi « scire donum Dei. » J. 4. 10.

Da mihi « scire quae sit spes vocationis ejus. » Eph. 1. 18.

Da mihi « gustare quoniam dulcis est Dominus. » 1. P. 2. 3.

Quid heri Domino vocanti reddidisti ?

Quid hodie dulcissimo Magistro praestare tecum resolvis ?

4. Monitum sapientis [1].

i. Alloquitur te Spiritus sanctus per scripturam sacram.

ii. Sic ora: Domine reple me Spiritu tuo. « Lucerna pedibus meis verbum tuum. » Ps. 118. 105.

I. *In simplicitate cordis quaerite illum.*

Simplicitas est singularitas propositi, adunatio seu consociatio virium. Opponitur duplicitati, et distractioni cordis ad plurima.

In omnibus, in studiis scilicet, orationibus, functionibus ecclesiasticis, in recreationibus, in sociis Deum indesinenter quaeras.

Ne igitur praebe Domino servitium languidum, seu cor veluti dimidiatum. Etenim dictum est : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. » M. 22. 37.

II. *Invenitur ab his qui non tentant illum.*

---

1. Sap., 1-12.

Tentatur autem Deus defectu fidei, vel fiduciae, vel pietatis, seu sensus filialis.

III. *Apparet autem iis qui fidem habent in illum :* iis nempe qui

1. agnoscunt illum : —
   a. In creaturis visibilibus : « delectasti me Domine in factura tua. » Ps. 91. 5.
   b. In eloquiis Spiritus sancti : « Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. » Heb. 10. 15.
   c. In doctrinis Ecclesiae : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. » M. 28. 20.
2. fiduciam habent in illum : « Bonus est Dominus animae quarenti illum. » Thr. 3. 25.
3. Quaerunt illum in oratione atque exercitio virtutum et jugi memoria praesentiae Dei : « Accedite ad eum et illuminamini. » Ps. 33. 6.

IV. Directe, unice, et in omnibus Deum quaerere, haec est vera devotio.

« Vias tuas Domine demonstra mihi : et semitas tuas edoce me. » Ps. 24. 4. Frequenter hodie te examina utrum talem vel talem actionem propter Deum facias.

5. Repetitio praecedentium.

i. Imaginare angelum tuum custodem consilia tibi divina suggerentem.
ii. Lumen postula et docilitatem.

---

1. NUNC Deo benedicite, i. e. heic, hodie, constanter, in ecclesia, in studiis, in conversatione, in ludis, in tota et loquendi et agendi ratione.

2. QUAERE altiora : nondum enim plene invenisti.
Quaere petendo, pulsando, efflagitando.
Quaere studiose, humiliter, indesinenter. « En dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. » Cant. 2. 10.

3. DILIGE Deum cum magno affectu, cum fidelitate (seu ut solet anglice dici «loyally »), et viriliter.
« Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. « Eccli. 13. 1.8

4. Quaere illum in SIMPLICITATE CORDIS : — ita enim quaeres devitando dissipationem mentis, et amorem inordinatum cujuslibet creaturae.
Viam vitae hujus prosequere cum unica idea dominante, et cum amore unico.

5. Invenietur et APPAREBIT illis qui fiduciam habent in illum.
Enixe posce gratiam praestandi illa quae diximus.
« Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » Cant. 2. 14.
Uni ex superioribus istis hac die continuo insistas. Quodnam erit ?

6. Ad quid venisti ? [1]

Ad quid venisti in Seminarium ?

Ut sacerdos missionarius tandem evadam.

Quid ad tantum munus summopere requiritur ?

---

1. Ex Opusculo inter Opera S. Bernardi.

Sanctitas.

Quid autem sanctitas?

Unio cum Deo. Igitur huc venisti « solum propter Deum ; ut is esset merces tua in vita aeterna.

Sicut enim propter nullum alium venisti ; ita propter nullum alium debes omittere bonum, nec tepescere alicujus exemplo, quin studeas ad hoc, ad quod venisti.

Venisti enim ad serviendum Deo, cui servire omnis creatura debet. Primo, quia nihil habet nisi ab ipso, et ideo debet ei maxime omnis homo, tanquam rationalis, dare quod est, et quod potest.

Et sicut omnia serviunt Creatori pro posse suo : multo magis homo, quem non solum *creavit*, sicut cetera sunt creata, sed insuper *intellectu decoravit*, libero *arbitrio* nobilitavit, mundi *dominum* constituit, *sibi similem* fecit, *naturam* ejus *assumpsit* : verbo et exemplo eum *instruxit*, proprio sanguine eum de morte aeterna *redemit*, Spiritum sanctum ei *infudit*, carnem suam in *cibum* tradidit ei, *curam ejus* habet sicut mater parvuli sui filii, et *haereditatem* aeternam ei dare disposuit. »

Te denique prae ceteris vocavit *ad apostolatum*, ut factus in imaginem Regis Apostolorum, gregem Christi pascas et augeas.

« Ecce quantum nos tenemur ei servire prae ceteris creaturis, qui nos prae omnibus creaturis mundi amavit. » Vol. IV. p. 1609.

7. De officio primario Seminaristae.

i. Cogita Christum parentibus subditum in domo Nazarethana,

ii. « Perfice gressus meos in semitis tuis : ut non moveantur vestigia mea » Ps, 16. 5.

I. Seminarii scopus est juvenes idoneos... ad spiritum ecclesiasticum et ad opus missionarium.. instruere et efformare. » Const. Sem. p. 10.

« In primis igitur necesse est ut libenti et prompto animo superioribus et magistris suis sese subjiciant. » ib. p. 22.

« Et quia non confidis tibi, ut praesumas te scire quid Dominus velit, ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat ; et dedisti manum tuam in confessione (i. e. in professione obedientiae et docilitatis), ut ipse te ducat in viam Dei. Unde non licebit tibi vivere pro velle tuo : sed quo ductor tuus ire te jubet, illuc ire debes ; et quod ipse prohibet, debes cavere. » Opusc. Ad quid venisti. Inter Op. S. Bernardi. Vol. IV. p. 1610.

II. « Magna reverentia eos (superiores) prosequantur. » Const. Sem. p. 22.

« Ipsi (superiores merito sunt et haberi debent tanquam) rectores, quia sunt vicarii Domini super nos, et nos debemus eis obedire sicut Domino, non sicut hominibus ; quia non propter ipsos, sed propter Deum subjicimus nos ipsis : ideo servus non est major domino suo. Talem ergo te exhibe ei, ut libere jubeat te facere vel dimittere, quidquid videtur ei expedire. » Op. S. Bernardi. Vol. IV. p. 1610.

III. « Plena fiducia in omnibus angustiis (alumni) ad eos confugiant. » Vim singulorum perpende.

An cor tuum in sacro *paenitentiae* tribunali humiliter et ingenue aperis ?

An *patrem spiritualem* elegisti cui absque rubore fallaci de statu tuo identidem colloqui poteris ?

An quaeris consilium *superiorum* in re perplexa vel obscura, et solatium in tristitia ?

An in studiis dubia et speciales tuas difficultates *professori* exponis ?

An consiliariorum tuorum dictis vel monitis fideliter ac prudenter *parere* consuevisti ?

8. Christus te reversum salutat.

i. Repraesenta tibi Christum Dominum ad fores ecclesiae te vultu benigno recipientem.
ii. Pium erga illum affectum ostende.

I. *Verba Magistri :*

« Pax vobis. » (Verba salutationis redde).

« Vos amici mei estis. » J. 15. 14.

« Vos autem dixi amicos. » ib. 15.

Vos electi mei estis : familiares, coadjutores. ib. 16.

Vos speciali titulo et vocatione mei estis, de mundo erepti, et in schola mea positi ! Mundum de facto nunc reliqui. An illi affectu etiam valedixi ?

Vobis supremam amoris mei teneritudinem communicabo : « Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam. ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. » ib. 17. 26.

O mira Christi dignatio. O singularis exaltatio hominis infirmi. Quid rependam ego ? Quid talia a me postulant ? An ad redamandum paratus sum opere et corde ?

II. *Verba discipuli :*

1. « Ego autem — sicut oliva fructifera — in domo Dei, — speravi — in misericordia Dei — in aeternum... Confitebor tibi — in saeculum — quia fecisti, — quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum. » Ps. 51. 10. 11.
2. « Omnia a te expectant — ut des illis escam in tempore. — Dante te illis — colligent ; — aperiente te manum tuam, — omnia implebuntur bonitate.

Emittes spiritum tuum et creabuntur, — et renovabis faciem terrae. » Ps. 103. 30.

3. « Ecce Deus noster iste ; expectavimus eum et salvabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus et laetabimur in salutari ejus. » Is. 25. 9.

Jesum amicum meum, magistrum et Dominum ob oculos habere statuam per totum hunc diem.

9. Discipulus magistro vocanti respondet.

i. Coetum imaginabor piorum et electorum servorum Dei.
ii. Efflagitabo spiritum quo replentur isti Dei amici.

I. *Professio discipuli :*

« *Pars mea Dominus :* » Thren. 3. 24.

Sit ille vere pars mea, sors mea haereditaria, haereditas tota et omne bonum meum.

Haec autem quid important ? Pars mea revera Dominus est. Ipsum ut magistrum et amicum elegi ; volo semper esse cum illo. Propter eum laborare statui. Eum in futuro expectabo ; dixit enim : « Ego (Dominus)... merces tua magna nimis. » Gen. 15. 1.

Unum mihi est necessarium ; cetera professione mea reliqui, non tantum affectu, sed si Deus id exegerit, etiam et re ipsa.

Aliis igitur relinquo opes, honores, famam, familiam, commoda, et voluptates vitae saecularis.

Unum mihi sufficit, scilicet Christo servire, Christum diligere, ejusque regnum pro viribus dilatare.

An haec omnia sincero corde profiteri valeo ?

II. *Fiducia discipuli :*

« *Pars mea Dominus : propterea expectabo eum.* »

In Domino spem meam repono totam : « Tu es qui restitues haereditatem meam mihi. » Ps. 15. 5. Fidelissimus Dominus curam suorum in se suscipit.

Veraciter itaque confiteor : « Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram ? » Ps. 72. 25.

III. *Amor discipuli.*

1. *Defecit caro mea et cor meum* (prae nimio dilectionis affectu) :

Deus cordis mei (rex et magister animae),

et pars mea Deus (absorbeat me totum, occupet mentem, recreet spiritum, totum hominem suaviter et super omnia delectet)

in aeternum (sine defectione, sine taedio, sine inconstantia). Ps. 72. 26.

2. Merito convenit discipulo id quod persaepe invenitur in labiis sanctorum :

Deus meus (Creator, Dominus, Redemptor, Rex, Fortitudo, Magister), *et omnia* (reliqua pro nihilo reputantur nisi quantum Deum manifestant, vel ad ipsum deducunt ; secus illusiones sunt et somnia).

10. Instructio Jeremiae prophetae [1].

i. In conspectu Domini me sistam, et dicam ei : « Domine, quid me vis facere ? »

ii. Animo pio ac docili prophetam auscultabo loquentem.

Pars mea Dominus (Dominus ipse erit mihi in possessionem et thesaurum ; amor ejus et gratia, servitium et merces sunt bona illa quae praeoptavi) :

propterea expectabo eum (Si enim vere Dominus meus est-

1. Thren 3, 24-7.

cetera quid valent? Veni, igitur Domine, et noli tardare).

Bonus est Dominus sperantibus in eum (an ita de Domino jugiter sentio ? an actus fiduciae frequenter elicio ?),

animae quaerenti illum (quaeritur autem oratione, lectione, meditatione, studio, instituto vitae nostrae ordine. « Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Jacob. » Ps. 23. 6).

Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei (i. e. non verbis conqueri ,non rebus alienis se immiscere, non querelas seminare, sed absque sollicitudine vel multiplicitate expectare humiliter ac patienter influxum gratiae divinae).

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua (talis autem est vir, qui observaverit mandata communia sine peccato, disciplinam sine pervicacia vel murmuratione, et adversitates sustinuerit in spiritu patientiae).

Scrutemur vias nostras (quali vero cura id solemus praestare ?),

et quaeramus (an corda nostra sincere et attente perlustramus ?),

et revertamur ad Dominum (v. 40. Sane necesse nunc est ut propius ad Dominum accedamus. quod fiet :

1. spe : « Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. » Ps 54. 9. « In vanum me colunt, docentes doctrinas et praecepta hominum. » Mc. 7. 7.
2. actione : « Expecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Ps. 26. 14).

II. Instructio ex ore S. Pauli [1].

Ergo (propter amantissimum Salvatoris adventum, — vocationem gentium alienigenarum, et peccatorum, — praedicationem foederis pacifici, — reconciliationem in cruce peractam, — et facillimum accessum ad Dominum Deum)

jam (in gremium tandem Matris Ecclesiae peramanter recepti)

non estis hospites (commorantes quidem in urbe, sed exclusi a privilegiis et dotibus stirpis electae)

et advenae (i. e. visitatores, peregrini cito abituri, patriam habentes remota, sine amore urbis coelestis):

sed estis cives sanctorum (indigenae, ex genere sacro, cum juribus plenis civitatis coelestis. Concives facti estis cum amicissimis Dei Abraham, Moyse, David et prophetis, et cum sanctis novi testamenti: heic tanquam in propriam haereditatem suscepti, animo hilari gratoque ecclesiae adhaeretis)

et domestici Dei (de domo ipsa Messiae, de familia Christi mystica, de prosapia divina, ad secreta Domini participanda electi, ad locum digniorem in republica Christiana destinati, ad intimiorem sacramentorum usum adducti, haeredes sortis praeclarae in coelo):

superaedificati (formati, extructi, et consolidati in aedificium novi et augustissimi templi Filii incarnati; edocti revelatione, Christi exemplo allecti, et Spiritus sancti illuminatione et amore nobilitati)

super fundamentum (divinitus positum et immobile)

apostolorum (qui a magistro sunt electi, edocti, ordinati et roborati. Recolite fidem ardoremque Petri, amorem

---

1. Eph. 2. 19-22.

crucis in Andrea, castitatem et dilectionem Joannis, renuntiationem et humilitatem Matthaei)

et prophetarum (cogitate primarias prophetias patriarcharum, fidem et virtutem Eliae, proto-evangelium Isaiae, planctum et martyrium Jeremiae, splendores Ezechielis) ;

ipso summo angulari lapide (qui universos homines in Judaeis et gentibus adunavit, atque fide, amore et potentia spirituali sociavit)

CHRISTO JESU (qui est super omnia Deus benedictus in saecula) ;

in quo omnis aedificatio constructa (animadvertatis necessitatem tum unionis mutuae inter fideles, tum adhaesionis cum Christo in singulis partibus corporis mystici. Deflete omnes scissuras sive religiosas, sive nationales)

crescit (aemulemini semper meliora)

in templum sanctum in Domino (singula verba reverenter et cum admiratione perpendite) :

in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

12. Ad quid homo in terra existat ?

i. Imaginabor statum vitae mihi nunc esse determinandum.

ii. Lumen petam ut veritatem de fine meo luculenter percipere valeam.

Quinam est totius vitae meae scopus et destinatio ?

1. An opes, honor, familia, potentia, res mundanae, nugae temporaneae ?

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

An forte sanitas, robur, scientia, veritatis inquisitio ?

« Vanitas vanitatum et omnia vanitas. » Eccles. 1. 2.

« Vanitas vanitatum et omnia vanitas praeter Deum amare, et illi soli servire. » De Imit. Christi I. c. I.

« Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole ? » Eccles. 1. 3.

2. Finis est *a. extra hanc vitam.*

Finis est *b. felicitas* quae respondet innatae aspirationi spiritus humani, quae respondet divinis promissis, et Dei praestantiae.

Finis est *c. Deus possidendus* in aeternum. « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. » Ps. 83. 5.

3. Omnium Conditor Deus non potuit hominem non condere *ad se* :

a. « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » Prov. 16. 4.

b. Eum condidit in imaginem et similitudinem suam.

c. Praedestinavit homines in filios suos, « in laudem gloriae gratiae suae. » Eph. 1. 6.

4. Hujus destinationis signum universale est —

a. Desiderium felicitatis inextinguibile cordibus nostris insitum : « Omnis labor ejus in ore, sed anima ejus non implebitur. » Eccles. 6. 7.

« Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. » Ps. 83. 3.

b. Suavissima animae in Deum *affectio* : « Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? » Ps. 72. 25. « Deduc me, Domine in via tua. » Ps. 85. 11. Trahe me... fac ut curram... compelle propitius voluntatem.

5. Finem praefixum et necessarium non sequi est quaerere vanitatem, fumum, umbram et derelinquere venam aquarum viventium ; a quo aversari summum nefas.

13. Monita synodalia [1].

Finis proprius (ad hoc conditum est Seminarium, ad hoc adducuntur alumni, per hoc a similibus institutis, scholis, collegiis, universitatibus discernitur) :

et praecipuus (finis enim multiplex intenditur, corporis videlicet robur, humanitatis cultura, scientiarum adeptio, sed super omnes eminet et dominatur finis religiosus) :

ut alumni (illi qui sunt ex familia Ecclesiae, cum Christo commensales) :

discant (proficientes enim sunt, non perfecti ; singulis diebus novum scientiae et pietatis gradum acquirunt ; audiunt, legunt, ruminant. conatum adhibent, operam seriam navant) :

soli Deo vivere (Dei solius amor et honor eos impellunt ad omnia opera, labores, et tribulationes fortiter suscipiendas) :

in Christo (Christi vita est eorum agendi norma et lex, ejus gratia eos movet, ejusque amor eos urget).

Itaque (ex enunciato principio conclusio statuitur practica)

spiritus Jesu (spiritus religiosus, amor Dei et fratrum, mansuetudo, humilitas, patientia, praxis consiliorum, obedientia, ardor apostolicus, sui-abnegatio)

intime (non professione tantum, nec casu et identidem et ex transitorio affectu, sed velut ex naturae instinctu)

---

1. Ex Syn Prov. Westmonast. IV. Dec. IX. n. 7.

animam clerici penetret et vivificet (ut principiis et exemplo Christi possideatur et absorbeatur),

ut vere possit dicere (vide quod non mera status convenientia, vel externa quaedam incedendi decentia sufficiat, sed sincerae virtutis realitas exigatur)

« *mihi vivere Christus est* » (mea vita quadamtenus repetit vitam Christi ; memoria, intellectus, voluntas Christum sapiunt ; mores secundum normam Christi conformati sunt ; desideria sicut desideria Christi) :

et, « *Vivo, jam non ego* » (vetus homo destructus est una cum « egoismo, » concupiscentia, et amore mundi)

« *vivit vero in me Christus* » (« altruismus » Christianus, desideria purificata, amor coelestium).

14. Alia monita Synodalia.[1]

Haec sit ejus spes (ut de defectibus suis animo non despondeat, sed magna fiducia Deo qui vocavit illum adhaereat),

haec meditatio (cor ejus ad divina immobiliter inclinetur. Vita enim spiritualis, i. e. sacerdotalis, ad intelligentiam et ad affectus nobiliores voluntatis proprie spectat ; adeoque reflexione seu meditatione perficitur),

hoc primarium exercitium (omnia nempe munera cedere oportet primatui culturae religiosae, divino obsequio, praxi virtutum),

vitam vivere (advertatur quod religio sit vita ; in actibus vitalibus sita est praestantissimis)

Christi (dixit enim Magister se esse vitam)

interius (vita interior est vita spiritus in se collecti, quae exseritur sui cognitione, sensu divinae praesen-

1. Ex Syn. Prov. Westmonasteriensi IV. Dec ix. n. 7.

tiae, cura purae intentionis, frequenti cordis in Deum aspiratione),

quae tamen exterius manifestatur (ubi notandum quod actiones viri ecclesiastici non sint penitus nec praecipue ponendae in operationibus exterioribus, sed e contrario actiones externae derivandae sunt ex principiis vitae interioris. Vita enim interior est velut animae vita ; vita solum exterior non immerito comparatur vitae mechanicae musculorum)

scientia (« solido et robusto pabulo doctrinae »),

gravitate (in omnibus splendeat modestia et dignitas militiae clericalis)

animarum zelo (haec enim propria et specialissima vocatio nostra, animabus continuo et permanenter in nomine et potestate Christi inservire)

et pietate (tanquam dilecti, amici, familiarissimi, apostoli).

15 Quid ecclesia petat pro clericis ?

1. *Ut Dominus Jesus Christus donet eis Spiritum sanctum* :

Omnia enim petimus per Salvatorem nostrum. Ipse Magister ; ipse nos vocavit ; ipse dabit gratias ut boni tandem deveniamus sacerdotes.

Fiduciam igitur summam in eo reponamus ; gratias ne negligamus ; Spiritui ne resistamus.

2. *qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet ;* Nam hic habitus est insigne Christi militiae, cui nos nomen dedimus. Signum sacrum est, nobis semper honorandum, dimittendum nunquam. Sit nobis memoria illius oblationis qua Deo devovemur.

Sacram itaque vocationem nec socordia nec culpa quacunque amittamus.

3. *Corda eorum defendat* —
   a. a mundi impedimento (i. e. a curis pecuniae et possessionum; ab importunitate parentum, cognatorum, amicorum; ab occupatione quavis non ecclesiastica);
   b. ac saeculari desiderio (i. e. a desiderio ambitionis, superbiae, avaritiae, potestatis);
4. *ut sicut immutantur in vultibus* (habitus ergo nobis indicium est rei spiritualis);
   ita dextera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa (sistendum itaque non est, sed progrediendum; Deus a nobis majora nunc expectat).
   et oculos eorum aperiat ab omni caecitate spirituali quae esset v. g. non cernere virtutis necessitatem et excellentiam, aut meritum fidei, aut consolationem spei, aut altitudinem caritatis.
5. *et lumen eis aeternae gratiae concedat.*
   Aeterna gratia est Dei visio, ejusque beatissima fruitio Hic vitae nostrae finis unicus nobis semper praefulgeat necesse est.

16. Quid ecclesiae exigat a clerico missionario?

i. « Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt jam ad messem. » J. 4. 35.
ii. Efflagita spiritum apostolicum.

I. Missionum intuitu soli ordinandi sunt isti qui apti fuerint « ad arduum apostolici ministerii opus. »

Sane Ecclesia penes nos non est nisi pusillus grex inter lupos. Populus catholicus quoad plurimum pauper est, quandoque miserrimus. Eleemosynis hebdomalibus sustentatur missionarius; solus persaepe habitat in domo exigua, inter paupertatis angustias, continuis oppressus

laboribus, itineribus, jejuniis, praedicationibus. « Potes-ne bibere calicem istum ? »

II. Ad opus adeo praeclarum Ecclesia exigit viros illustribus ornatos dotibus, quae sunt : —

1. *animi docilitas*, maxime erga episcopum proprium, obedientia exacta, sui-abnegatio.
2. *intentionis rectitudo*, ut quaerat clericus nec honoris statum, nec turpe lucrum, nec bonum familiae suae, nec propriam sustentationem, sed unice animas pro quibus Christus in cruce fudit sanguinem.
3. *ingenii aptitudo*, ut possit conscientias tuto moderari, verbum Dei apte annuntiare, homines et voce et exemplo gubernare.
4. *doctrina non communis* ; oportebit enim ipsum pro fide dimicare, quemlibet errantem dedocere, arguentes convincere, et paratum esse semper ad rationem exhibendam pro fide quam profitetur et docet (Secundum Instructionem S. Congregationis ad Episcopos Angliae de Titulo Missionis. » 1871)

17. Protestatio clerici [1].

Dominus (« Altissimus super omnem terram. » Ps. 96. 9)
pars haereditatis meae (sicut Levitis contigit, ita et clericis ; « Tribui autem Levi non dedi possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus. » Josue. 13. 33.
« Haec requies mea quoniam elegi eam. » Ps. 131. 14.
« Ego (Dominus) pars et haereditas tua in medio filiorum Israel. » Num. 18. 20),
et calicis mei (Deus portio mea, mihi Deus, aliis sae-

1 Ps. 15. 5. 6

cularia ; Deus mihi tam familiaris quam cibus et potus et vita) :

tu es, qui restitues (« Quid ergo erit nobis ? » Profecto qui inimicos dilexit et redemit, amicos quanto magis ornabit, ditabitque ? Quos vocavit in apostolatum, nonne splendidissime remunerabit ?

Qui suos ad agonem provocat, nonne coronas magnificas retribuet ?)

haereditatem meam mihi (haec est haereditas quae a psalmista describitur ut « portio mea in terra viventium. » Ps. 141. 6 ; seu sicut dicit apostolus, « haereditas immarcescibilis conservata in cœlis. » 1 P. 1. 4).

Funes ceciderunt mihi in praeclaris (sane praeclara est haereditas quia ab æterno divina largitate praedestinata est : « sorte vocati sumus. » Eph. 1. 11. « Elegit nos in partem sortis sanctorum. » Col. 1. 12. « Eripuit nos e mundo, » et transtulit in regnum Filii dilectionis suae. « Col. 1. 13 ; et collocat nos « cum principibus populi sui. » Ps. 112. 8) :

etenim haereditas mea praeclara est mihi.

(Gratias age ; divinis auxiliis fideliter cooperari statue ; et pete perseverantiae donum insigne)

18. Quinam sit finis proprius clerici ?

Christum mihi repraesentabo dicentem : *Sequere me, imitare me, esto perfectus ; ego sum via.*

Gratiam petam intelligendi quanta sint quae Deus exigit a sacerdotibus suis.

De agendi ratione quae virum ecclesiasticum decet haec nobis tanquam norma authentica in Synodo Westmonasteriensi quarta proposita sunt : —

« VITAM VIVERE CHRISTI : »

1. *interius* ; i. e. non in sola externa quadam conformitate cum regulis seminarii, sed ex principiis supernaturalibus —
   a. fidei, qua vita Christi vivide lucet mentibus nostris :
   c. spei, qua divino freti auxilio, cum fiducia et animo virili agimus :
   c. charitatis, qua et mandata servamus, et consilia amplectimur, et in ipsam Christi personam affectu rapimur devoto.

2. Praeterea qui interius vitam Christi agit, actiones suas omnes diriget cum recta spiritualis finis intentione, atque sataget semper seipsum cognoscere et in melius constanter proficere.

« *Haec meditatio, hoc primarium exercitium :* » *Meditatio*, i. e.. Alumni seminarii serio et frequenter perpendant istam vitam Christi, et quid sit vitam Christi agere. Cor eorum rebus divinis quantum fieri potest, immobiliter adhaereat. Ob oculos crebro habeatur vita spiritualis, seu mundanorum contemptus, cordis puritas, intentio recta, unio cum Christo quaerenda.

Hoc primarium exercitium i. e. tanquam principale seu supra alia officia quaevis aestimetur ; alia quaelibet pervadat, cetera in illud dirigantur eique subordinentur.

3. Vita tandem illa interior manifestatur exterius. —

scientia : quia, ut dixit Leo XIII, clerici nutriri debent « solido et robusto pabulo doctrinae. »

gravitate: quia in omnibus eorum actionibus splendere oportet modestiam et dignitatem militiae clericalis.

animarum zelo : quod est, animabus velle continuo et permanenter pro Christo ministrare. « Sunt enim adolescentes clerici spes et velut inchoata forma sacerdo-

tum : in sacerdotibus vero quantopere nitatur decus Ecclesiae, et ipsa populorum aeterna salus, vos plane cognoscitis. » Leo XIII. 22 Aug. 1886.

pietate, tanquam dilectorum, amicorum, filiorum.

Caput II. Fundamenta Vitae Spiritualis.

19. De fine hominis.

i. « Ego sum Alpha et Omega, principium et finis. » Apoc. 1. 8.
ii. « Notum fac mihi, Domine, finem meum. » Ps. 38. 5.

Textus. « Creatus est homo, ut Dominum Deum suum — laudet, — revereatur, eique serviens — tandem salvus fiat. » (S. Ignatius).

1. Undenam igitur sum ?..
   Ab Altissimo Deo praedestinatus ab aeterno :
   A spiritu oris ejus in actu essendi constitutus :
   Dono puro et liberrimo voluntatis ejus exsisto :
   Ob singularem Dei in me amorem ego prae aliis creatus fui : — « finxit singillatim corda eorum. » Ps. 32. 15.
   Proinde Dei sum absoluta possessio. Illud vero forsan vel perobscure vel nullo modo percepi. « Oblitus es Domini creatoris tui. » Deut. 32. 18.
2. *Qualem* me fecit Deus ?
   a. Secundum *naturam* : —
   ad imaginem suam, — mirabilem in corpore, in anima spiritualem ;
   capacem aeternorum (in corporalibus vero et temporalibus quamdiu detentus fui ?)
   immortalem, — liberum (quo dono abusus sum), — regem in mundo.

b. Secundum *gratiam* :
filium, haeredem, quodammodo deificatum, destinatum ad gloriam, templum Spiritus sancti.
« Anima humana, quae ad Deum appetendum facta est, quidquid infra Deum appetit, minus est ; adeoque jure ei non sufficit quod Deus non est. » S. Bonaventura. Soliloquium. c. i. sub init. sec. S. Greg. Mor. XXVI. n. 79.

20. De fine hominis. (2)

i. « Ego sum... initium et finis. » Apoc. 21. 6.
ii. « Notum fac mihi Domine, finem meum. » Ps. 38. 5.

Ad quid me condidit Dominus ?

I. Destinavit me unice ad gloriam suam. « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » Prov. 16. 4.
Id unice Deo congruit, quia in omnibus Ipse praestantissimus est, et ineptum et absurdum foret Ipsum ad aliud quoddam ordinari.
Id etiam me quam maxime honorat, et obligat. Hinc debitum inevitabile laudis, reverentiae, servitii.
Haec omnia agnoscam et gratias agam.

II. *Instinctum* in me posuit felicitatis quaerendae naturalem, inextinguibilem insatiabilem.
Quid contra in me nimis frequenter conspicitur ? : —
1. *Violatio ordinis*,— « inutiles facti sunt.» Ps. 13. 3.
2. *Vanitas*, — « accepit in vanum animam suam. » Ps. 23. 4.
3. *Insipientia*, — quia, « fecisti nos, Domine, ad Te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te. » S. Augustinus. Confess. I. 1. c. 1.

III. Ideo me fecit Deus, ut me redderet *summe felicem*.

« Summa gloria Dei, summum bonum nostrum. » Lessius.

« Ego sum merces tua magna nimis. » Gen. 15. 1. Est enim nobis Deus : — merces : —

1. suprema : qui enim Deum nominat, bonum super omnia delectabile dicit :
2. suavissima ; « Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt : » Ps. 144. 7.
3. omne replens desiderium, et incomprehensibilis ; « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum. » I. C. 2. 9.

« Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. » Ps. 72. 26.

An laudo summum Benefactorem meum — ore, mente ?

An desidero veram hanc felicitatem ? An ipsam prae omnibus obtinere studeo ? Adjuvante Domino meliora jam jam propono.

21. De vero hominis statu.

i. Contemplare Deum in throno suo sedentem, praemium beatitudinis aeternum pluribus conferentem.

ii. Da mihi, Domine, cor nobile, quod nulla deorsum trahat terrena affectio.

I. Deus verissime exsistit finis meus : reliqua omnia sunt *propter* Ipsum, — vel sunt *somnia*.

« Unum est necessarium. » L. 10. 42.

II. Certe futura est aeternitas mea ; ubi aut *felicissimus* ero in boni veri possessione, aut miserrimus solius mei boni privatione perpetua.

« Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur ? » M. 16. 26.

III. *In via* nunc exsisto : —

1. In *exilio*, — in peregrinatione. « scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.» 1. C. 5. 6.
   An ista revera credo ?
2. Felicitas vel miseria aeterna poterit dependere *ex quovis instante* temporis hujus.
3. Indoles futuri status melior vel deterior ex *omni* mea deliberata actione variatur.
4. Probatio haec semel fieri conceditur : iterabitur nunquam : jactura praesens in aeternum permanebit.
   Oculos cum desiderio erigam ad patriam coelestem. « Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum. » 2. C. 5. 8.

22. De fine Creaturarum.

i « Creatus est homo, ut Dominum Deum suum — laudet, — revereatur, — eique serviens tandem salvus fiat. »

ii. Lumen petas ut fructum assequaris hujus meditationis : « Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine : Deus meus illumina tenebras meas, » Ps. 17, 29.

I. « Reliqua super faciem terrae posita : i. e. —

1. *naturalia* (animalia, flores, fructus, olera, montes, flumina, maria, coeli),
2. *artificialia* (cibi exquisitiores, ornamenta, luxus supellectilis, artis opera, picturae, libri),

3. *fabricata* (domus, vestimenta, varia instrumenta). Sunt denique et res malae naturales, ut morbus, tempestas perfrigida, et artificiales et fabricatae.

II. « Creata sunt propter hominem. » Sane
1. reliquis conditis, creatus est homo ut ceteris praeesset ;
2. secus fine Deo digno carerent irrationalia ; quia quum Deum non cognoscant, ad Deum glorificandum nullatenus referuntur nisi per creaturam rationalem ;
3. existunt igitur irrationalia et non-viventia quaecunque ad vitae humanae : —
   a. necessitatem (ut domus, supellex, cibi) ;
   b. commodum (ut ea quae vitam faciliorem reddunt, sicut machinae et alia instrumenta) ; et *utilitatem ;*
   c. oblectationem, et occupationem (ut musica, ludus, et lectio quaedam)
   d. purgationem, vel ad virtutem exercendam (ut sunt morbi, damna, et detrimenta).

III. « Ut eum juvent in prosecutione finis ad quem creatus est : »
1. ad serviendum Deo, quod est finis proximus :
2. ad salvandam animam suam, quod est finis ultimus. Hoc autem fit :
   a. contemplatione, seu ascendendo a creaturis ad Creatorem :
   b. usu ; adhibendo scilicet creaturas sive ad necessitatem, sive ad utilitatem, sive ad commodum, sive ad simplicem occupationem :
   c. abstinentia : i. e. sibi denegando oblectamenta creaturarum :
      « Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. » Eccli. 18. 31.

Principia supradicta diligenter studeas applicare ad creaturas, quae vitam tuam omni ex parte circumdant.

23. De recto usu creaturarum.

i. Breviter repetas considerationes praecedentes : « Creatus est homo, ut Dominum Deum suum — laudet, — revereatur, — eique serviens — tandem salvus fiat. »

« Reliqua super faciem terrae sita — creata sunt propter hominem, — ut eum juvent in prosecutione finis ad quem creatus est. »

ii. Lumen ac robur efflagita, ut videas et valide exequaris officium tuum.

— —

I. « Unde sequitur homini illis tantum utendum esse quantum ipsum juvant ad finem suum. »

Creaturae itaque sunt *media*, — *instrumenta*. Respicienda itaque sunt et adhibenda tantum prout *efficaciam habent* ad finem qui est necessario obtinendus.

Hujusmodi media seu instrumenta sunt : — vocalis oratio, studium, labor quilibet, sana corporis tractatio, recreatio, musica, lectio rerum delectabilium, sive curiosarum.

Circa singula interroga teipsum ad quid hoc vel illud agas ; nominatim, ad quid studio labores, ad quid ludas, ad quid regulas observes.

II. « Et tantum debere eum retrahere se ab illis, quantum ipsum in prosequendo fine impediunt. »

Si vero non conferunt ad finem (sicut conferre debent), non sunt media, nec instrumenta, sed *impedimenta, obstacula, mala, nociva,* et statim *dimittenda vel tollenda*. Consequenter eatenus respuenda sunt singula vel omnia, quatenus obsunt.

Quaere abs te, an excessus forte occurrat in studiis, in

ludis, in lectione, in colloquiis, in amore socii cujusdam.

III. Norma sat communis inter homines circa creaturas adhibendas ea est, ut quod *placet*, *eligatur*, — quod *displicet*, *rejiciatur*. Haec sane norma mundana, ut arceantur labor et dolor, sive displicentia quaelibet, et quaerantur suavia, dulcia, mollia, delectabilia.

Quae norma et rationi et evangelio pariter repugnat.

Quod enim placet sensui, persaepe impedit verum bonum nostrum ; quod vero displicet, saepe juvat, immo aliquando *unice juvat*.

« Colluctata est anima mea in illa (i. e. in sapientia quaerenda), et in faciendo eam, confirmatus sum. » Eccli. 51. 25.

24. De indifferentia circa creaturas.

i. « Creatus est homo, ut Dominum Deum suum laudet, revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. » Principium denuo menti imprime, et amplectere affectu.

ii. « Reliqua super faciem terrae sita creata sunt propter hominem, ut eum juvent in prosecutione finis ad quem creatus est.

iii. « Unde sequitur homini illis tantum utendum esse quantum ipsum juvant ad finem suum. » Media, obstacula, mensuram et rationem eligendi ea, paucis revoca.

Si igitur creaturae sunt media : —

necesse est (consequentia inevitabilis)

nos facere (enitendum est viriliter et animose ad habitum acquirendum)

indifferentes (res enim creatae sunt per se indifferentes,

seu indeterminatae ad bonum vel malum, et prae diversis adjunctis prosecutioni finis obesse vel prodesse valent. Nihil itaque sapientius quam tenere se indifferentem. Principium applica ad exempla aliquot ; v. g. ad ordinem praecedentiae, ad peritiam in studiis, vel in ludis, vel in arte aliqua, ad natalium claritatem) :

ita ut quantum licet (sane, propter mandatum vel prohibitionem, vel officium particulare res, ceteroquin indifferentes, in casu determinato evadunt evidenter utiles ad finem vel nocivae),

et ex parte nostra (i. e. in quantum optio competit proprio nostro arbitrio),

non velimus (haec sit animi saltem dispositio et determinatio, quidquid interim de repugnantia appetitus inferioris)

magis sanitatem quam infirmitatem,

magis divitias quam paupertatem,

magis honorem quam ignominiam,

magis vitam longam quam vitam brevem (quorum applicationem ad casum tuum animadverte, eorumque difficultatem perspectam habeas) ;

et consequenter in ceteris omnibus (v. g. non magis egregias mentis dotes quam mediocres, non magis consolationes quam desolationes, — non magis hoc quam istud munus, non magis res prosperas quam res adversas. In istis recognoscas primum mortificationis principium, quatenus inde libenter vides te privatum certis commodis vel voluptatibus propter Dei voluntatem implendam, et propter regnum aeternum securius obtinendum)

25. De fine vitae.

Deum contemplare tamquam sapientissimum rerum omnium opificem, qui res omnes mente delineavit, voluntate ad esse perduxit, ad finem amore destinavit, et providentia impellit.

« Notum fac mihi, Domine, finem meum. » Ps. 38. 5.

I. Deus mihi finem praefixit (« Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » Prov. 16. 4) : alium nec habeo nec habere possum.

Illum finem mihi a Deo praestitutum adipisci valebo sub unica conditione divinae legis servandae. Conditione hac non observata, illum non attingam, et scopus creationis et redemptionis, quoad me, penitus et in perpetuo frustrabitur, atque anima mea immortalis, infinitorum capax et sanguine Dei redempta, in aeternum perdurabit tamquam ruina infelicissima.

II. Ex fine neglecto sequitur miseria :

« Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. » Jer. 2. 13.

« Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. » ib. 19.

« Nolite errare, Deus non irridetur : quae enim seminaverit homo, haec et metet. » Gal. 6. 7. 8.

III. Finis autem meus attingetur :

1. *In hac vita* :

a. « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » M. 19. 17.

b. « Elegit nos in ipso... ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Eph. 1. 4.

2. *In futuro* :

« Haec est autem vita aeterna ut cognoscant te : solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » J. 17. 3.

« Thesaurizate vobis thesauros in coelo. » M. 6. 20.

« Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » S. Aug.

IV. De fine cognoscendo et prosequendo :

« Deus det vobis.. illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis — quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos. » Eph. 1. 17. 18.

V. Audi Christum proclamantem : « Unum est necessarium. » L. 10. 42.

26. De Dei Gloria [1].

i. Visionem Apocalypsis revocabo in mentem : « Vidi sanctum civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. » Ap. 21. 2.

ii. Statuam in omnibus operibus Dei gloriam quaerere.

I. *Gloria Dei intrinseca* ea est qua divinae personae se modo infinito cognoscunt, laudant, diligunt, proinde ineffabili ac aeterna beatitate perfruuntur. Deus in se solus bonus, solus beatus, splendorem inhabitans inaccessibilem ac proprissimum.

« Beatus (ὁ μακάριος) et solus potens. Rex regum et

1. Lessius. De summo bono. II, c. XIII.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem. » 1 T. 6. 15. 16.

II. *Gloria extrinseca* ea est quam Deus ab omnibus creaturis recipit :

1. *In ordine supernaturali :* ubi conspiciuntur

a. Ecclesia triumphans

α. Christus, regnans, cui omnia tandem erunt subjecta, fastigium divinae sapientiae, potentiae, amoris.

« Clarificavi et iterum clarificabo ». J. 12. 28.

β. Beata Virgo Maria, Angeli, et Beati omnes, a quibus praestantur majestati Dei supremae amor, laus, gratiarum actio.

Clamant angeli : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. » Is. 6. 3. Et dicunt : « Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro, in saecula saeculorum. Amen. Ap. 7. 12.

γ. Tota simul curia coelestis ; una voce laudis simul concinunt omnes.

b. Ecclesia patiens. Animae in purgatorio lugentes in testimonium sunt divinae puritatis et justitiae et misericordiae; gloriam reddunt Deo continuam.

c. Ecclesia militans, in qua gloria Deo redditur

α. per conversiones a vitiis ad virtutes ope gratiae effectas. L. 15. 10.

β. per sanctificationem et actus sanctitatis ;

γ. per actus cultus.

2. *In ordine naturali.* Dei enim sapientia, potentia, providentia manifestae fiunt ex ordine mundano. Hinc dicimus : « Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in saecula. » Dan. 3. 57.

3. *In lapsu ex utroque ordine,* ubi cernuntur —
   a. manifestatio justitiae : « et fumus tormentorum ascendit semper ; »
   b. magnitudo majestatis, quae ineffabiliter per peccatum violata est ;
   c. severitas justitiae : « nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam. » Ap. 14. 11.

27. De Dei gloria quaerenda.

i. « Omnia in nomine Domini Jesu Christi (facite). » Col. 3, 17.
ii. Gratiam efflagitabo hanc semper recolendi intentionem.

---

1. Deus mihi constituit finem necessarium, quem vel *mutare,* vel *effugere* haudquaquam valeo. Gloriam Deo non reddere mihi est impossibile. In mea tantum remanet potestate *modus* quo gloria ex parte mea in aeternum sit exhibenda.

2. *Gradus* tamen *altiores* hujus finis obtinendos Deus in mea posuit libera potestate, ita ut possim
   a. vel *nullum* voluntarie praestare gradum gloriae ; quo in casu invitus reddam gloriam divinae majestati in inferno.
   b. vel ex propria voluntate *infimum* aliquem gloriae gradum tantummodo reddere ;
   c. vel gradum operari qui signum et effectus erit *amoris generosi ;* quae intentio respondebit illi divini amoris excessui quo ab aeterno me elegit, amavitque, et in tempore creavit, ornavit, restauravit, cibavit, condonavit.

Altiores hos gradus, Dei opitulante gratia, efficere

valemus. Hoc in nobis et in aliis efficere possumus. Quibusnam actibus? Quid ego in me, aliisque operor ad Dei gloriam ? ad majorem Dei gloriam ?

3. « *Omnia* ad gloriam Dei facite. » I C. 10. 31. Quibus verbis enixe nos hortatur Apostolus :
   a. Ut faciamus actus nostros tales quales *digni* sint ut Deo optimo maximo offerantur ;
   b. Ut *studiosissime* promoveamus Dei gloriam in omnibus — providendo
      α. Ut vitetur (quantum fieri potest) omnis Dei offensa;
      β. Ut amor Dei ubique accendatur ;
      γ. Ut ex intimo corde Deo offeramus servitii nostri holocaustum ;
   c. Ut Deum ipsum in *omni opere* veneremur.

28. De statu christiani.

i. Cogita animam fulgentem veste candida baptismatis. Splendent ibi cœlestis justitia, innocentia a labe, claritas donorum ac virtutum, et sigillum filiationis divinae.
ii. Posce ut intelligere valeas regalem dignitatem christiani.

I. DEUS PATER praedestinavit nos : « elegit nos, praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. » Eph. 1. 5.
« Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. » J. 3. 16.
« O inaestimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti. »

II. VERBUM se fecit fratrem nostrum secundum carnem. Exempla dedit : mundum doctrina sua illuminavit. Crucis amaritudine redemit nos ab inferno ; et ad amicitiam pristinam restituit.

Corpus et Sanguinem incomparabili affectu charitatis in cibum et potum reliquit.

Sanguinis pretiossimi rivulum perennem in sacramento poenitentiae instituit ad maculas peccatorum abstergendas.

« Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis. » Is. 61. 10.

« Totam vitam debes huic, qui vitam suam pro te posuit, et cruciatus duros sustinuit » S.Bonaventura.

III. SPIRITUS SANCTUS sanctificat nos, — docet nos, — ducit nos, — inhabitat in nobis, — consolatur et laetificat corda nostra peregrinorum. « Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ? ». Stude animum gratissimum exhibere semper sanctissimae Trinitati.

29. Affectus viri christiani.

i. Repraesentabo mihi animam fulgentem splendore gratiae baptismatis, secundum illud apostoli : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum » R. 8. 15 ; et illud psalmistae : « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum. » Ps. 138, 17

ii. A Deo efflagitabo ut intime cognoscam dona divina, et ut rite vivam secundum normam sanctae meae vocationis sacerdotalis.

I. *A Deo quid recepi ?*

Donis, amore, dignitatibus cumulavit me Deus, — Pater, Verbum et Spiritus sanctus. Ego tamen Patrem languide adoravi, laudavi, eique parum generose servivi.

Christi Salvatoris propemodum oblitus sum, licet amabilissimus sit, totus desiderabilis, mihique generosissimus.

Spiritum sanctum saepissime contristavi ; saepe forsan ipsum in corde meo commorantem propter peccatum expuli foras.

Eheu ; tristis confessio in ore filii tantopere dilecti.

II. *Domino meo quam parum retribui !* Dona non recordari, dona contemnere, sunt animi ingrati indicia certa. Nulla tamen neque Judaeorum ingratitudo sicut ingratitudo Christianorum. « Jam satis silui, diu tacui, jam nunc cum verecundia, et rubore compellor confiteri et dicere, quod hanc dignitatem modicum adverti. Amorem meum heu ego infelix, et misera (i. e. ego anima) nimis indigne prostitui, factorem meum non pro his omnibus glorificavi, Deum meum propter dona sua non benedixi.. nimis indigne et irreverenter, vane et negligenter vixi. » S. Bonav. Solil. c. i. p. 115.

III. *Deo quid tandem praestandum ?*

Oportet Christum sequi, Christum diligere ut sanctissima Trinitate perpetuo gaudere possim. Deus « me creavit quando non eram, — redemit cum perieram, — liberavit a multis periculis, — reduxit quando errabam, — erexit quando cecidi. » S. Bernardus.

Quid adeo hebes, vel lapideus, ut non velit Deum quaerere et amare ? Sed monet Salvator :

« Si diligitis me, mandata mea servate. » J. 14. 15.

30. Vocatio ecclesiastica.

i. « Adduxit Ezechias sacerdotes, dixitque ad eos : « Audite me Levitae et sanctificamini. » 2. Par. 29. 5.

ii. Ob oculos pone vocationem S. Petri : « vidit (Jesus) duos fratres . mittentes rete in mare... et ait illis : venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. « M. 4. 18.

iii. Sic ora : « Domine, doce me, quid sibi velit a Te vocari. »

I. *Electio in clerum.*

1. *Quis* te vocavit ? — « Ego (Dominus Jesus), vos elegi de mundo... non vos me elegistis, sed ego elegi vos. » J. 15. 16.

Christus ex industria, et gratis te dignatus est invitare ad coetum suum electum. Praecelsam hanc dignitatem rite aestima : « Beatus quem elegisti, et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis. » Ps. 64. 5.

Christo invitanti gratias refer ; docenti et jubenti in omnibus obtemperare statue.

2. *Quomodo* vocavit te ? Benevole, — favore divino, — gratis, — personali dilectione et selectione, alios complures tibi posthabendo, — te dulciter invitando : — « Amici, ascende superius. »

Quantum igitur debes Domino tuo !

3. *Ad quid* te vocavit ?

α. Ut relictis mundanis Christum sequaris. « At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. » M. 4. 20.

β. Ut Dominum pro portione tua accipias et teneas semper. « Tu es gloria mea, tu es susceptor meus... Tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo. » Ex officio Conf. Pont.

γ. Ut in ministeria Dominica segregatus vitam ducas.

δ. Ut sanctus sis : « Sancti estote, quia ego sanctus sum. » « Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Deo offerent, et ideo sancti erunt.» Lev. 11. 44 ; 21. 6. 8. Quanto magis sancti esse debent sacerdotes Novi Testamenti, qui corpus Dei consecrant, tractant, manducant, eoque tanquam cibo sacratissimo quotidie reficiuntur.

II. Examina quonam sensu tu mundum reliqueris ; an forsan reputes clerum dioecesanum ad eminentem sanctitatem nullatenus vocari ; — an reapse intelligas hunc statum specialiter a Christo institutum esse. Enixe postula gratiam vocationis tuae vere agnoscendae.

31. Vocatio ecclesiastica.

i. Contemplare Christum in cruce sacrificium cruentum offerentem.

ii. Lumen petas ut rite cognoscas dignitatem vocationis tuae ecclesiasticae.

Ad quaenam et quanta munera Christus te destinavit ?

I. *Ad sacerdotium* :

1. Ad conficiendum Corpus et Sanguinem Christi Dei-hominis. Tremenda plane et stupenda potestas.
2. Ad sacrificium novi foederis Deo quotidie offerendum.
3. Ut potestatem recipias Spiritus sancti ad peccata hominum delenda. Munera quidem non angelica sed divina. Onus hoc profecto angelicis humeris formidandum. Quae omnia facta sunt, nullo jure vel merito

tuo, sed sola Dei voluntate et benignitate, qui tibi magna fecit, qui potens est. Deum adora, te humilia.

II. *Ad divinum cultum.* « Cujus (Jesu Christi) factus sum minister, secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi secundum operationem virtutis ejus. » Eph. 3. 7.

1. Ad custodiendum sacratissimum Sacramentum altaris.
2. Ad distribuendum populo panem vitae, « sicut bonus dispensator multiformis gratiae Dei. » (1 P. 4. 10). « Sic nos existimet homo... ut dispensatores mysteriorum Dei. » 1 C. 4. 1.
3. Ad universa opera templi novi testamenti, ut majestatis divinae cultus reverenter et honorifice peragatur.
4. Ut septies in die laudes divinas cum sanctis in terra, et cum angelis in coelo devote cantem.

« Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime. » Ps. 91. 2.

« Laetabor et exultabo in te : psallam nomini tuo Altissime. » Ps. 9. 3. « Implemini Spiritu sancto... Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Eph. 5. 19.

Actus *admirationis* : « Deifica professio, quo nihil excellentius in hoc mundo. » S. Ambrosius. De dignitate sacerdotali. c. 3. « Sacerdotium ipsi quoque angeli venerantur. S. Gregorius Naz.

Actus *humilitatis* : « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. » L. 5. 8.

Actus *fiduciae* : « Da quod jubes, et jube quod vis. » S. Augustinus. Conf. X. c. 29.

32. Adjuncta vocationis.

i. « Filii mei nolite negligere : vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis ei incensum. » 2 Par. 29. 11.

ii. Repraesenta tibi Christum te adhuc puerum ad se invitantem.

iii. Pete ut hanc magistri tui bonitatem intimo sensu possis comprehendere.

I. *Persona vocati* :

1. Quot alios peritiores, dociliores, meliores, alacriores praetermisit Christus, ut locum concederet tibi quem prae aliis magis dilexit :
2. Non observavit peccata tua, ignaviam, negligentiam ; sed simpliciter voluit te gratia divinae vocationis honorare. « Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. » 1. C. 1. 27.
   « Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum. » 1 Reg. 2. 28.
3. Te elegit, dum sciebat te imperfecte co-operaturum esse gratiis quotidianis. Cogita praeterita, praesentia, proposita.
   De malis et negligentiis tuis humiliter confundere. « Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. » 2. C. 6. 4.

II. *Modus vocandi* :

1. *Dulciter* ; suasit enim, non coegit : — sustulit impedimenta ; media praestitit inopinata :
2. *Perseveranter* ; de die in diem adjutoria specialia nunquam denegavit :
3. *Delectabiliter* ; suavitate nempe divini famulatus, — dignitate et pulchritudine scientiae ecclesiasticae, — fratrum copia et exemplo.

Plurimum in Deo gaude et confide. » Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : Posui adjutorium in potente : et exaltavi electum de plebe mea. » Ps. 88. 20.

III. *Praemium* :

1. In hac vita : pax, solatia doctrinae et pietatis :
2. In vita futura : merces specialis decorque doctorum et apostolorum. An cognovi, — an aestimavi, — an custodivi altissimam meam vocationem ? Quid hodie praestandum ? quid in posterum ?

« Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo : dilatatum est os meum super inimicos meos : quia laetata sum in salutari tuo. » 1 Reg. 2. 1.

33. Officia seminaristae.

i. Ad pedes sistam Domini monentis : « cui multum datum fuerit, multum quaeretur ab eo. » L. 12. 48.

ii. Da mihi, Domine, scire donum vocationis hujus supernaturalis, et vitam meam ei convenienter aptare.

I. Deo gratias effundam ob eminentem mihi concessam dignitatem aspirandi ad munus Christi sacerdotale.

Meipsum humiliabo propter indignitatem meam manifestam.

Actus pariter timoris eliciam : quia sacerdotium onus grande est, et ipsis angelicis humeris reformidandum :

2. *S. Benedictus*, et *S. Franciscus* illud accipere non sunt ausi ;

S. Ceadda pariter de munere Episcopali dixit : « libenter ab officio discedo : quippe qui me neque unquam dignum arbitrabar, sed obedientiae causa jussus consensi. » Brev. die 2 Martii.

S. Franciscus Xaverius integrum mensem post ordinationem a celebrando abstinuit ob reverentiam muneris sui.

S. Vincentius a Paulo aiebat : « Si sacerdos non essem, sacerdos nunquam fierem, propter meam indignitatem. »

II. Hinc intelligere studebo :

1. In sacerdote « *nihil commune* cum multitudine. » S. Carolus Bor.
2. Sacerdos est major populo, ut angelus Dei, et minister Christi, ut luminare in Ecclesia, et *in culmine virtutum* collocatus. S. Laur. Just.
3. Sacerdos est major religiosis : « major (sacerdotis) perfectio interior quam requirit etiam religionis status. » 2. 2. q. 184. a. 8.

« Perfecti in virtute esse debent (sacerdotes). »

III. Gratiis mihi collatis semper respondere enitar. Si enim Deus ad statum sublimem aliquem vocavit, auxiliorum suorum copiam praestat.

An ego hactenus istis fideliter cooperatus sum intentione, zelo, moribus, pietate, scientiae desiderio ? »

IV. Muneri futuro me aptum reddere omnibus viribus conabor.

« Attende tibi (spiritu pietatis), et doctrinae (diligentia, et amore studii, et lectione sacrarum Scripturarum). » 1 Tim. 4. 16.

Quid in me vocatione indignum reperio ?

34. Vocatio missionarii.

i. Tibi scenam depinge, ubi Christus discipulos allocutus est ita : « Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae jam sunt ad messem. » J. 4. 35.
ii. Ora ut cognoscas, et prosequaris indesinenter vocationem ministerii apostolici.
iii. « Domine, quid me vis facere ? » Act. 9 6.

Missionarius a Christo vocatus et deputatus est.

I. *Ad lucrandas animas,* — pretiosas, — emptas sanguine Christi Salvatoris, — ad aeteram gloriam destinatas.

II. Ad opus quod Christus *suum fecit :* « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » M. 1. 21.
1. in hoc enim sumus Christi *coadjutores*, — Dei *adjutores*, — « pro Christo.... legatione fungimur. » 2 C. 5. 20. A Christo dicti sunt apostoli « *piscatores hominum.* » De ipsis etiam principium edidit : « Qui vos audit, me audit. » L. 10. 16.
2. *socii* sumus Domini Jesu :
   a. propter *missionem*. « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » J. 20. 21.
   b. propter *potestatem* collatam in corpus Christi *naturale* (ut illud consecremus). et in corpus Christi *mysticum* (fideles scilicet), ut illud a peccatis solvamus.
   c. cum Christo sumus *pastores.* « Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas. » Ezech. 34. 23. « Ego sum pastor bonus. » J. 10. 11.
   « Pasce oves meas.» J. 21. 15. « Pascite, qui in vobis est, gregem Dei . » 1. P. 5. 2.

Neque fidelium tantum sumus pastores, sed et infidelium :

« Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. » J. 10. 16.

Hoc enim « tenemus Dei miserentis esse consilium, Redemptoris nostri facto et doctrinis testatum, ut mortales homines ipsius Dei operi in salutem animarum obsecundent. » Ep. Leonis XIII.

III. Humilia teipsum ob indignitatem tantae vocationis. Enixe postula gratiam vocationis ad quam assumptus es.

An habes *zelum animarum* ? Ex animo repete : « Da mihi animas ; cetera tolle. »

An in praesenti consentis libenter *pro aliis* laborare, orare, pati ?

Stude fideliter adimplere omnia quae secundum *directionem superiorum* ad opus ministerii spectare videntur.

An forsan censeas summa Christi Pastoris charismata iis ordinarie denegari qui ad munus pastorale ex officio et perpetuo assumpti sunt ? O stupenda et lugenda contradictio.

35. Vocatio missionarii. (2)

i. Repraesenta tibi illuminationem et sanctificationem apostolorum in die Pentecostes.

ii. Postula sinceram vocationis aestimationem.

iii. Sic ora : « Loquere Domine, quia audit servus tuus. » I Reg. 3. 9.

Vocatus es ad doctrinam Christi praedicandam gregi determinato. Quapropter : —

1. Doctrina pollere debes, ut valeas gregem pascere pabulo veritatis divinae, et ut possis Christum totum ostendere tanquam *viam*, *veritatem* et *vitam*. » Dabo vobis pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina. » Jer. 3. 15.

   Hujus itaque semper memor esto, te missum iri ut annunties *totam revelationem* datam a Spiritu sancto.

2. Doctrina ista neque mundana est, neque philosophica, neque tua, sed *Christi*, tradita in Ecclesia et Scripturis, explicata a sanctis Patribus, definita ab œcumenicis conciliis et a Romanis Pontificibus, accurate declarata a compluribus viris doctis et piis.

   An amas et legis constanter scripturas sive novi sive veteris testamenti ?

   An libros diligis ecclesiasticos ?

   An magni facis libros illos classicos quibus doctrinae Ecclesiae traduntur, cujusmodi sunt decreta tridentina et provincialia ?

   An legis scripta sanctorum Patrum ?

   An habes, legis, revereris statuta dioecesis tuae ?

   An regulam Seminarii accipis ut propriam vitae normam ?

3. Missionarius, personam gerens Christi, incedit ut *propheta*, et *alter Christus*. Ejus est proponere fidem quae est ex auditu.

4. Missionarius *gratis* distribuit, quod gratis et cumulate a Domino recepit. Cibat *pauperes* Christi ; *dubiis* laborantes sanat ; *obtrectatoribus* respondet ; gloriam fidei omnibus aperit ; illuminatos ad lumen splendidius provehit ; sanctos sanctiores reddit ; peccatores ad gratiam poenitentiae reducit.

   An recte adhuc percipis opus ministerii apostolici ?

An integrum revelationis thesaurum magno pretio habes ?

An meliores et doctiores inter sacerdotes aemularis et imitaris ?

36. Vocatio missionarii (3).

i. In mentem revocentur verba Salvatoris : « Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est ? » J. 6. 71 ; et illa etiam Domini in Apocalypsi : « Scio opera tua : quia neque frigidus es neque calidus. » Ap. 3. 15.

ii. A Deo efflagita ut te sanctum faciat sacerdotem.

---

1. *Sancta sancte tractanda :* quod sane quis qui nec sanctus sit, nec ad sanctitatem aspiret, Missae sacrificium pro fidelibus celebret, eosque absolvat, horteturque ad virtutes Christianas excolendas, ac praesertim ad amorem Jesu fovendum, horrorem movet, et hypocrisim sapit. An suppono ego forsan sanctitatis spiritum et habitum acquiri sola ordinatione suscipienda ?

2. Patres et Doctores docent : — sacerdotium *praesupponere* sanctitatem, — ad sacerdotium postulari *sanctitatem interiorem* ; — exigunt etiam ut eluceat in sacerdotibus « *totius forma justitiae,* » — ut sint praeterea *viva Christi imago* in conspectu mundi. » Syn. Prov. West. IV. Decr. XII. n. 2.

3. Principia sanctorum haec sunt : —

« *Flamma pastoris lux gregis.* » « *Qualis pastor, talis grex.* »

Infra non supra verba ac vitam pastoris stabit populus. Paucae admodum et electae animae poterunt ipsi praevenire, ac sua sanctitate ipsum constanter admonere. Sacerdos missionarius est « sal terrae » per exemplum

virtutum, et medicinam coelestis doctrinae ; « lux mundi » est per documenta divinae revelationis quae mundo annuntiat. « Annuntiare Verbum Dei hominibus... certe maximi momenti habendum. » « Simplex et virilis Evangelii annuntiatio salus est audientium. » « Debet animarum moderator ascensiones cordis ad Deum, necnon orationis profectus... agnoscere et callere. » Syn. Prov. West. IV. Decr. XII. n. 5.

Quantum igitur scandalum sacerdotis mali vel tepidi.

4. *Exempla :* S. Joannes Baptista fuit « lucerna lucens et ardens. » J. 5. 35.

Christus exemplar nostrum de seipso dixit : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? ». J. 8. 46.

S. Paulus his vel similibus pluries hortatus est gregem suum : « Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. ». I. C. 4. 16.

5. Roga itaque Deum ut concedat tibi *mores, spiritum*, et *desideria* inflammata veri sacerdotis, ut non in sola superficie et in externis tantum actibus minister Christi esse appareas, sed et corde et animo id reapse existas. « Ardua sane sacerdotis vita ; attamen innumeris ad perfectionem acquirendam mediis et auxiliis circumdata est et stipata. » Syn. Prov. West. l. c. n. 6.

37. Summa praecedentium.

i. Cogita Deum te invitantem ad majora : « Amice, ascende superius : veni, ut collocem te cum principibus populi tui. » Ps. 112. 18,

ii. Sic orabis : « Deduc me Domine in via tua. » Ps. 85. 11.

I. Finis *juvenis ecclesiastici*.

Prae ceteris destinatus est ut salvus fiat per dignitatem et onera ministerii sacri. Alia quaecunque pro illo sunt indifferentia.

Quaenam fortasse tibi impedimento sunt in fine isto recte sequendo ? « Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam quid desit mihi. » Ps. 38. 5.

II. Finis *missionarii*.

A Salvatore Christo speciatim electus est et destinatus ad apostolatum inter homines, ut animam suam salvam faciat una cum aliis quas curae ejus commissurus est Christus. Unde vocatus est ad vitam virtutibus apostolicis ornatam et locupletatam. « Contexerunt me tenebrae : Deus meus, illumina tenebras meas. » Ps. 54. 6.

III. Finis *seminaristae*.

Hic certe finis est seminaristae ut mente et corde efficiatur instrumentum aptum ad quaelibet opera apostolica.

Eo nempe sensu vocatur ad *sanctitatem* « ut spiritus Jesu intime animam clerici penetret et vivificet, ut vere possit dicere. « Mihi vivere Christus est. » Syn. West. IV. decr. IX. n. 7.

Summus pontifex Leo XIII haec monuit : « Caussae profecto graves et omnium aetatum communes decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant : verumtamen nostra haec aetas plura quoque et majora admodum flagitat. » Encyc. ad Ep. Italiae, 1882. p. 261.

Vocatur denique ad *scientiam*, ut evadat instrumentum in omnibus idoneum, et ut sit verus Evangelii praeco. « Consideret se piscatorem hominum esse : ideo nervos omnes intendere debet... ut sagenam evangelicam impleat, nempe animas pereuntium Christo Domino lucrifaciat. » S. Carolus. cit. Syn. West. ut supra. n. 14.

Ac revera vocatus es ut, relictis commodis et solatiis vitae saecularis, totum te Deo et animarum saluti devoveas. ib.

An finem tuum prae oculis habere soleas ? Quid est quod obesse videtur vocationi tuae ? Da mihi, Domine, lumen et cor magnum ut ne unum perdam diem.

38. Officiorum repetitio.

i. « Audite me, Levitae, et sanctificamini. » 2. Par. 29. 5.
ii. « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.» M. 4. 19.
iii. Doce me, Domine, quid importet a Te vocari.

I. *Hominis* est, ad Deum *toto cordis affectu* tendere, et reliquis uti creaturis prouti juvent ipsum ad finem suum proprium prosequendum. « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, praeter Deum amare et illi soli servire. » Deum quaere, et circa reliqua *fac te indifferentem.*

II. *Christiani* est Jesum *cognoscere* et *diligere.* « Haec est vita aeterna ut cognoscant Te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. »J. 17. 3.
« Omnia Christus est nobis : —
« Si vulnus curare desideras, — medicus est.
« Si gravaris iniquitate, — justitia est.
« Si auxilio indiges, — virtus est.
« Si coelum desideras, — via est.
« Si tenebras fugis, — lux est.
« Si cibum quaeris, — alimentum est.
« Gustate et videte quoniam suavis est. » S. Bernardus.

III. *Sacerdotis* est, quaerere Deum *fideliter*, *constanter*, *ardenter*, sicut discipulus electus.

IV. *Missionarii* est, virtutes apostolicas aemulari, et in seipso reproducere. Sacerdos missionarius et vocatione, et ordine, et habitu, et professione *segregatus* est a mundo in apostolatum, atque Deo solemni consecratione dedicatus in perpetuum.

Affectu etiam te separaa mundanis omnibus, et Deo adhaerere stude forti dilectionis conatu.

« Amor Dei contemptus est saeculi ; amor enim saeculi contemptus est Dei. »

Caput III. De Peccato ejusque Sequelis

39. De tristi hominis statu [1].

i. « Ne igitur sine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis : — non est haec fortitudo, sed mentis hebetudo. Non est sanitas, sed obdurata iniquitas. » S. Bonaventura. Solil. p. 118.

ii. Lumen efflagita, ut teipsum agnoscas sicut ob oculos divinae majestatis reperiris.

I. Status hominis in *paradiso* : status innocentiae, gratiae, immortalitatis. « Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus. » Eccl. 7. 30.

« Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. » Sap. 1. 13. « Per peccatum mors. » R. 5. 12.

II. Status *praesens* :

1. *homo* in exilio vitam ducit, — procul a Deo quum mente tum affectu. « Peregrini enim sumus coram te, et advenae, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. » 1 Par. 29. 15.
2. *anima* vero i. velut in *carcere* conjecta gemit, — corpore aggravata, taedio lassa, hebetudine oppressa, curis anxia, concupiscentiis illecta, turpitudine commaculata. « Timor et tremor venerunt super me

et contexerunt me tenebrae. » Ps. 54. 6. « Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt. » Eccli. 11. 16. « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » R. 7. 24.

ii. in *ergastulo* includitur, negotiis distenta, — laboribus occupata, aerumnis cruciata. « Educ de custodia animam meam. » Ps. 141. 8. « O civitas sancta Jerusalem, de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro. »

3. *totus homo* ejectus vagatur inter bruta animalia, quibus non est intellectus. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis, propter impetum passionum quae rationem praeveniunt.

Unde talem hominem bestiis pejorem Aristoteles ipse pronuntiavit, propter cogitationes infrenatas, indignas, foedas et immundas. « Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. » Prov. 26. 11.

« Contingit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum : et : Sus lota in volutabro luti. » 2. Pet. 2. 22.

40. De peccato [1].

i. « Ne igitur sine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis : non est haec fortitudo, sed mentis hebetudo. Non est sanitas, sed obdurata iniquitas. » S. Bonav. Solil. c. 2. in medio. Op. Vol. VII .p. 118.

ii. « Quasi a facie colubri fuge peccatum. » Eccli. 21. 2.

iii. Petam pudorem et confusionem faciei.

---

1. Secundum S. Ignatium).

I. Considerabo 1. quod Angeli mali *unicum* peccatum superbiae commiserint : peccata vero mea *innumerabilia* sunt et omnis generis :

2. quod isti ob illud unicum peccatum damnati sint : ego autem pluribus reus eamdem merui damnationem :

3. quod Angeli noluerint sibi prospicere bono usu libertatis ; ipsi sibi defecerint. Et ego pariter libero meo arbitrio ad bonum uti nolui, sed mea propria et maxima culpa peccavi contra Creatorem et Dominum meum.

II. *Protoparentes* unicum commiserunt delictum ; gratiam et justitiam originalem amiserunt ; ex paradiso expulsi sunt, ac diuturnam egerunt poenitentiam. Quanta deinceps corruptio mundum invasit, quot homines nunc ad infernum praecipites currunt. « Justum judicium ; justa immo et misericors condemnatio. In quibus vos deprehendam, in iis et judicabo. » De meis tamen peccatis quid hactenus recepi, nisi misericordiam Salvatoris ?

III. Hae omnia contra Creatorem et Dominum *bonum, justum, misericordem* patravi. « Tibi serviat omnis creatura tua : quia dixisti et facta sunt : misisti spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui resistat voci tuae. » Judith 16. 17.

Contemplabor cum affectu Verbum Patris de coelo descendens, — vivens in terris, — in carne moriens pro peccatis meis.

Quid contra ego pro Christo egi ?

« Confusio faciei meae cooperuit me. Ps. 43. 16.

« Peccavi valde in hoc facto : sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. » 2. Reg: 24. 10.

41. De peccato (iterum). [1]

i. « Ne igitur sine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis : non est haec fortitudo, sed mentis hebetudo. Non est sanitas, sed obdurata iniquitas. » S. Bonaventura. l. c.

ii. Postulabo magnum dolorem de peccatis meis. « Cor mundum crea in me Deus. » Ps. 50. 12.

I. *Peccata*, sive gravia sive levia, *offensiones*, *negligentias* anteactae vitae revocabo mente : —
secundum *loca* ubi habitavi :
secundum *personas* quibuscum conversatus sum :
secundum *officia* quae tenui :
N. B. Consideratio fiat de me ipso qualem per culpas *me feci*, non de me qualem me restauraverunt divina gratia et misericordia.

II. Perpendam *singulorum foeditatem*, tum prout sunt *contra* divinam legem, tum praecipue ut *in se* sunt homine *indigna*, —
1. sive *gravia* : — cujusmodi sunt blasphemiae, superbia, impudicitia.
2. sive *levia* : — ut sunt opera vanitatis, negligentiae, mendacia.

III. Quantulus 1. sum ego peccator comparatus cum toto *hominum* coetu ? —
2. quid omnes homines comparati cum *beatis spiritibus* in coelo ?

---

1. Secundum S. Ignatium.

3. quid omnes simul creaturae si cum *Deo infinito* comparantur ?
4. quid *ego homuncio* ad Deum ?
5. quid ego ob *corporis* corruptionem ex natura vitiata per peccatum originale ?
6. quid ob *animae* corruptionem moralem ? —
   a. per *concupiscentiam* (mali omnis fontem, sive animae *ulcus*) :
   b. per *peccata*, quae sunt *pestis* venenosa.
   « Amplius lava me ab iniquitate mea ; et a peccato meo munda me.
   « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco ; et peccatum meum contra me est semper. » Ps. 50. 4. 5.

42. De peccato (3) [1].

i. « Ne igitur sine rugitu cordis toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis ; non est haec fortitudo, sed mentis hebetudo. Non est sanitas, sed obdurata iniquitas. » S. Bonaventura, l. c.

ii. Revocabo considerationem factam de unico peccato angelorum ac protoparentum, et de multis meis. Brevissime recogitabo peccata, offensiones, et negligentias vitae meae praeteritae, eorumque foeditatem atque numerum.

iii. Humiliter petam gratiam particularem hujus meditationis, scilicet pudorem animi cum voluntate firma vitam emendandi.

I. Deus, qualis et quantus a me esse apprehenditur ? Ipse SAPIENTISSIMUS, ego insipiens :

---

1. Secundum S. Ignatium.

Ipse POTENTISSIMUS, ego imbecillis :
Ipse SANCTISSIMUS, ego malignus :
Ipse BENIGNISSIMUS, ego protervus.

II. Creaturae bonae, quomodo hucusque me ferre potuerunt —
angeli, gladii justitiae divinae :
sancti, qui pro me pie oraverint :
creaturae *irrationales*, quae mihi inservierunt ?
« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in aeternum ; quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori. » Ps. 85. 12. 13.

III. Colloquia instituenda :
1. cum *Beata Maria Virgine*, ut gratiam mihi impetrare dignetur
   a. ut sentiam internam *cognitionem*, et *dolorem* peccatorum meorum :
   b. ut sentiam ac detester *inordinationem* operum meorum, et illam emendem (sive quoad finem et intentionem, sive quoad actionum seriem inepte distributam, sive quoad singularum actionum modum intentionemve) :
   c. ut cognoscam et damnem *mundi pravitatem*, et a rebus vanis et mundanis me recipiam :
2. cum *Filio*, ut ea pro nobis obtineat a Patre :
3. cum *Patre*, ut ipse dignetur has mihi impetrare gratias.

43. De peccato mortali.

i. Siste te in loco deserto, et velut alieno a Deo tuo,
ii. Ob oculos istud pone : « Ecce, qui elongant se a te, peribunt, » Ps. 72. 27.
iii. Roga summam detestationem peccati mortalis.

I. Peccatum mortiferum est :
1. contra hominis *dignitatem nativam ;* quod evincit
a. dictum scripturae sacrae, — « Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Ps. 48. 13.
b. erubescentia, infamia, remorsus: — « in malignitate autem nostra consumpti sumus. » Sap. 5. 13.
c. peccata lethalia sunt « siliquae porcorum. »
2. contra *bonum sociale* : quod ostendunt ejus inconsideratio, injuria, injustitia, ignobilitas.

II. Essentialiter et praecipue est inordinatio *contra Deum*. Est enim *Dei offensa*. Est oppositio seu repugnantia creatae voluntatis contra voluntatem Creatoris obligantis illam. Peccator agnoscit actionem illicitam esse, eam tamen facit : hinc contemptus Dei. « Non dicas ille me implanavit... si volueris mandata servare, conservabunt te... ad quod volueris, porrige manum tuam. » Eccl. 15. 12. seqq

Hisce verbis depingitur peccatoris malitia : — non ambulat cum Deo... relinquit Deum... Deo adversatur... contemnit Deum... spernit legem Dei.

In hac contrarietate, in hac rebellione contra mandata Domini supremi, propria et infinita malignitas peccati sita est. « Quare ergo contempsisti verbum

Domini, ut faceres malum in conspectu meo ? » 2 Reg. 12. 9.

III. Deus infinite *odit peccatum* ; —

1. quia ipse est infinite sanctus :
2. quia malum adeo magnum est peccatum, ut nullis unquam bonis operibus sanctorum omnium compensari possit ; unde magis Deum affligit unum peccatum mortale, quam omnia opera bona creaturarum delectant.
3. quia privando hominem beatitudine, frustra reddit opus divinum :
4. delet merita bona :
5. creat aeternos cruciatus : « quorum finis interitus : quorum Deus venter est. » Phil. 3. 19.

Colloquium : — « Ne projicias me a facie tua : et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma me. » Ps. 50. 14.

44. De peccato mortali (2).

i. Repraesenta tibi gloriosissimum Dominum Deum magnificentia sua implentem universum creaturarum orbem. « Operuit coelos gloria ejus : et laudis ejus plena est terra. » Hab. 3. 3.

ii Lumen petas et horrorem peccati.

I. Deus ex natura sua est omnium *Gubernator*, cujus voluntati creaturae omnes necessario sunt subjectae. « Arguet te *malitia tua*, et *aversio* tua increpabit te ; et vide quia malum et amarum est reliquisse te Domi-

num Deum tuum... confregisti jugum meum, — rupisti vincula mea. » Jer. 2. 19. 20.

II. Deus pariter ex natura sua est *legifer* noster supremus et absolutus. Hinc peccatum dicitur « iniquitas » (ἀνομία) 1. J. 3. 4. et « inobedientia » (παρακοὴ.) R. 5. 19 ; « *apostasia ;* » Initium superbiae hominis, apostatare a Deo. « Quoniam ab eo qui fecit illum, *recessit cor* ejus. » Eccli. 10. 14. 15.

III. Deus totius universi est *Dominus* absolutus. Vult ut res quas condidit omnes ordinate adhibeantur. Peccator vero abutitur rebus Dei ; et quasi cogit Deum ut cooperetur in inordinatis suis actibus. « *Servire* me fecisti in peccatis tuis. » Is. 43. 24.

IV. Deus in omnibus *excellentissimus* est, et summa religione *colendus*. Infinitam Dei majestatem omni honore oportet nos venerari. « Loquar ad Dominum, quum sim pulvis et cinis. » Gen. 18. 27.

Peccator autem Deum inhonorat ; « per praevaricationem legis Deum inhonoras. « R. 2. 23. Tanta porro est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta ejus injuria in Divinam Majestatem, ut ex parte omnium simul creaturarum, sit absolute sine remedio, adeoque de se irremissibile.

« Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. »

« Miserere mei DEUS (in hoc immorare), secundum magnam misericordiam TUAM. » Ps. 50. 6. 1.

45. De peccato mortali (3).

i. Repraesenta tibi Christum universis et discipulis et turbis benefacientem. « Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui. » Mc. 7. 37.

ii. Rursus efflagita summum horrorem peccati.

I. Deus, vel in ipsius naturae ordine, peccatori summe *beneficus* extitit. Dedit enim ornamenta *coelorum*, — bona et delectabilia *mundana*, materialia, intellectualia, pulchra, socialia, — libere contulit altissimam *destinationem*, — voluntatis *arbitrium* mirabile, — et pretiosam *merendi* potestatem. Foeda profecto est peccatoris ingratitudo. « Haeccine reddis Domino, populo stulte et insipiens ? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te. » Deut. 32. 6.

« Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. » 1 Reg. 2. 30.

II. Peccator contemptu habet attributa divina, — *omnipotentiam*, quam non timet, — *dominium*, quod spernit, — *sapientiam*, cujus ordinem transgreditur, — *sanctitatem*, quam revereri recusat, — *immensitatem*, quia Deum ubique praesentem non considerat, — *justitiam*, quam non reformidat, — *misericordiam*, in qua praesumit, — *providentiam* quam tentat.

« Ego enim sum DOMINUS DEUS vester. » Et quando peccaverat populus « et cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis. » Lev. 26. 1. 44.

III. Deus amicissimus noster est; ad bona nos adjuvat, ad gratiam elevat, ad visionem beatificam praedestinat. Quae Dei sunt, sive temporanea sive aeterna, nostra sunt. Nostra itaque Dei fieri oportet. « Fili », dicit « praebe mihi cor tuum. » Peccator vero amicitiam solvit ; quoties et quam foede ? Peccat igitur *inimicitia ;* odit lucem.

IV. Deus praestituit nobis finem supernaturalem, ubi sola nostra bonitas reperiri poterit. Peccator, qui praetergreditur viam ad beatitudinem, manifeste agit contra debitum sui amorem ; *suicidii* igitur spiritualis reus evadit.

Ora Deum, ut te semper immunem servet a teterrimo isto malo. « Convertere Domine, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam. » Ps. 6. 5.

46. De peccato mortali (4).

i. Respice Jesum pretium delictorum in cruce solventem.
ii. Iterum posce peccati detestationem summam.

I. Peccata, eaque sola, *Jesum crucifixerunt*. Peccator itaque decidii reus existit. « Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. » Heb. 6. 6.

II. Quot in novo foedere contulit Christus bona, quae peccator *illico perdit* ? Sane inter haec dona eminent :
1. gratia sanctificans, — adoptio, — virtutes supernaturales ;
2. inhabitatio Spiritus sancti ;
3. jus ad beatitudinem ;

III. Peccator privatur omnibus meritis, et speciali Dei protectione ; penes ipsum tamen manent fides et spes, tanquam *semen conversionis*. Peccatum secum infert damnationem. Sed venit Christus ut salvos nos faceret.

IV. Peccatum mortiferum est gravis violatio foederis novi. « Filium Dei conculcavit, sanguinem testamenti pollutum duxit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecit. » Heb. 10. 29.

V. Peccator fit : — 1. *servus diaboli ;* « a quo quis superatus est, hujus et servus est. » 2. P. 2. 19 ; « Qui facit peccatum ex diabolo est. » 1 J. 3. 8 ; 2. *filius diaboli :* « In hoc (sc. in peccato) manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. » ib. 10. « Vos ex patre diabolo estis : et desideria patris vestri vultis facere. » J. 8. 44.

VI. Precatio Ludovici Blosii : « O Domine Deus, ego vilissimus peccator indignus sum, quem terra sustineat. Eheu ! procul a te, qui es summum bonum, recessi, et habito in regione longinqua, in regione dissimilitudinis.

Miser et coecus sum: nihil sum, nihil possum sine te. » Inst. spir. c. IV. n. 2.

47. De natura peccati venialis.

i. Animam imaginare Dei gratia splendescentem, sed simul ulceribus in variis membris foetentem.

ii. Postula cognitionem malitiae peccati venialis.

Peccatum veniale est offensa contra Deum, at non tanta ut hominem Dei inimicum constituat.

1. Ejus *magnitudo* inde discernitur quod sit malum contra Deum ipsum. Hinc non liceret vel unum hujusmodi

delictum committere, ut quis a quocunque periculo, morte, peccato, vel ipso inferno liberaretur.

Sane, ut docet Angelicus : « Culpa habet plus de ratione mali quam poena » (S. Th. I. q. 48. a. 6). « Puniri non est malum, sed fieri poena dignum. » De Div. Nom. IV. c. 4.

Non liceret itaque facere peccatum veniale, ut omnes Catholicos redderes sanctos, ut omnes infideles ad fidem converteres, ut omnes damnatos ab inferno liberares.

Quoties bono tuo posthabuisti bonum divinum ? Casus istos defle.

2. Unum peccatum veniale a cœli gloria *quempiam excluderet*, donec purgaretur pœnitentia et pœna lustrali. « Non introibit in eam aliquid coinquinatum. » Ap. 21. 27.

3. *Injuria* per unum peccatum veniale Deo irrogata major est quam honor, qui ex omnium sanctorum laude ei accrescit.

4. Nequeunt peccata venialia adaequate expiari per ullam *creaturarum satisfactionem*. « Impossibile est ea dilui nisi per Christum Jesum, et a Christo. » S. Bernardus. Sermo in Cœna Domini. n. 5. Lugo De Incarnatione Disp. V. s. 7. n. 122.

48. Proprietates peccati venialis.

i. Propone tibi ob oculos culpas tuas, quas leviores vocares; earum computare stude numerum, frequentiam. affectum voluntarium.

ii. Recogitentur verba apostoli ; « Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quale sit, ignis probabit... Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » 1 C. 3. 13. 15.

iii. Pete auxilium Dei ad peccata venialia detestanda.

I. Peccatum etiam veniale *morbus* est, seu adversa animae valetudo ; animam enim concipitur vulnerare et deformare. « Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti. » Eccles. 10. 1.

II. *Macula* est, et velut animae *lepra :* dicitur pariter *lutum, scabies, pustula,* quatenus animam fœdat, et horrendam reddit.

III. *Impedimentum* est, quia oculos obnubilat, aures obturat, pedes retardat, hominem pigrum efficit. « Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. » Ps. 12. 4.

IV. *Ad lapsum disponit* peccati lethalis. Etenim qui venialia committit, peccatis fit assuetus, et inverecundus in peccato a Deo meretur derelinqui.

« Nemo repente fit summus ; a minimo incipiunt qui in majora proruunt. » S. Bernardus... Quod accidit : —

1. in iis quae ex genere suo sunt mala *mortalia* (cujusmodi sunt gula et impuritas) ; quod fit per negligentiam et familiaritatem ;
2. in iis quae ex genere suo *levia* sunt (ut sunt verba otiosa, mendacia non nociva) quia repetita peccata minuunt horrorem peccandi.

« Noli illa contemnere quia minora sunt, sed time quia plura sunt. » S. Aug.

« Qui timet Deum, nihil negligit. » Eccles. 7. 19. « Qui spernit modica, paullatim decidet. » Eccli. 19. 1.

Sunt ergo *morbus ingravescens*, — valetudo, qua affectus homo ad morbum lethalem disponitur. Sunt

porro *cuneus*, quo facile resistentia frangitur. Sunt *scintilla*, quae ingentem excitat flammam.

Facilis denique est *descensus* ille a pietate, a probitate, a statu gratiae, quo infelix homo ad statum perditionis declinat.

49. Damna quae invehunt peccata venialia.

Quoad singula quae hic proponuntur, principium ipsum perpendas, et secundum illud actus tuos aestimare studeas.

I. Peccata venialia quandoque *corrumpunt* virtutis actum, agendi scilicet intentione corrupta ; puta, ratione ostensionis vel invidiae.

« Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. » M. 6. 1.

II. *Fervorem charitatis minuunt*, eo modo quo aqua extinguit ignem. Hinc etiam non raro ariditates, segnities, tepores oriuntur.

Concede aliquid creaturae, a Creatore detrahis.

Quod tollis a virtute, concedis inclinationi vitiosae.

III. Potentias *ad bene operandum debilitant ;* nam ex repetitis actibus remisse vivendi notum est malos generari habitus. Quare venialia similia sunt compedibus quibus obstringuntur gressus, vel nubilis quae visum impediunt.

Desideras fortasse bonum, verum ob impedimenta non imples.

Recte igitur ponitur adagium : « Alae quid prosunt, capto pede ? »

IV. *Animam a gloria retardant*, quia maculae omnes sunt abstergendae ante ingressum in coelum. Verumtamen

quam gravis est poena ipsa gloriae dilatio. O quam diuturna saepe et acuta.

Neque tantum retardatur, nam et gratia et gloria pariter diminuuntur.

V. Sunt denique *peccati mortiferi occasio.*

« Nemo dicat... levia sunt ista, non curo corrigere ; non est magnum si in his maneo venialibus minimisque peccatis. Haec est enim impoenitentia ; haec blasphemia in Spiritum sanctum. » S. Bernardus. Sermo in Conversione S. Pauli. n. 5. p. 2166.

50. Quid Deus, quid sancti de peccato veniali dixerint.

I. Quomodo Deus in hac vita punivit ista ?

1. *Moyses* ob dubiolum non fuit admissus in terram promissionis.
2. *Maria,* soror ejus, ob murmurationem lepra foedata est. Num. 12. 10.
3. *David,* propter vanitatem suam vidit quamplurimos e populo suo peste percussos. 1. Reg. 24. 15.
4. *Uxor Loth* ob curiositatem conversa est in statuam salis. Gen. 19. 26.
5. *Bethsamitae,* ob irreverentiam, plaga sunt percussi, et *Ozias* mortuus concidit. 1. Reg. 6. 19 ; 2. Reg. 6. 6.
6. *Ananias* et *Saphira* morte subitanea puniti sunt ob mendacium. Act. 5.

Sic Deus justus et misericors peccatum graviter corripit.

II. S. Joannes Chrysostomus : « Si Christum ita amemus, ut amandus est, peccatorum nostrorum ipsimet vindices erimus...

Ne igitur gehennam perhorrescamus, sed id potius ti-

meamus, ne Deum offendamus : hoc enim illo atrocius est, cum infensus vultum suum a nobis avertit ; hoc quovis supplicio gravius atque acerbius...

Haec igitur animo volventes, peccatum ante omnia timeamus : hoc enim poena est, hoc gehenna, hoc innumera mala. » In Ep. 2 ad Cor. Hom. XII.

S. Anselmus. « Beati omnes, si optio daretur, mallent gloria privari, quam venialiter peccare. »

S. Aloysius prae dolore paucissimorum peccatorum venialium corruit exanimis ad pedes confessarii in confessione sua generali.

S. Alphonsus Rodriguez solebat, dum domo exire deberet, petere a Deo gratiam moriendi in limine domus, si in via commissurus esset vel minimum peccatum. Et dicebat unicum tale delictum mereri, ut tota vita defleretur.

S. Teresia dicebat ab uno minore delicto majus malum advenire, quam a toto simul tartaro.

III. Et ego peccata mea minora prae multitudine numerare non valeo.

In eadem frequenter, ne dicam continuo, tanquam *recidivus* lapsus sum [1].

51. De discrimine peccatorum venialium.

i. Cogitabo caelestem medicum in statum meum spiritualem benigne animadvertentem.

ii. Cum psalmista confitebor : « Domine probasti me, et cognovisti me..

Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua :

---

1. Secundum Petit, *Sacerdos*. Vol. II, p. 327.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur.

Proba me Deus, et scito cor meum : interroga me et cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est : et deduc me in via aeterna. » Ps. 138.

iii. Lumen petam cognoscendi meipsum.

Peccata venialia existunt in *cogitatione, verbo, opere,* vel in *omissione.*

1. *Plene deliberata* sunt ea quae fiunt ex industria, scienter, ex plena advertentia mentis, plenoque consensu voluntatis (v. g. mendacia, invidiae); ista tolli possunt et debent.

2. Peccata subreptitia (seu *offensiones*) oriuntur ex imperfecta cognitione, vel ex imperfecto consensu (cujusmodi frequenter sunt actus impatientiae, vanitatis,socordiae). Haec proveniunt ex infirmitate. Ista tolli vel certe minui possunt.

« Sollicite ambulemus cum Domino Deo nostro. »

3. Peccata indeliberata in se, sed negligentiae praeviae et voluntariae tribuenda saepe dicuntur *negligentiae.* Haec ad proprium peccatum omissionis non attingunt. Spectant potius intentionis puritatem et intensitatem, vel modum quo fit actio (huc igitur frequenter referri debebunt imperfecta oratio, imperfecta obedientia, studium imperfectum). Haec pariter tolli vel minui possunt.

4. *Ignorantiae* accipi possunt ut peccata commissa ex imperfecta cognitione.

5. *Defectus,* seu imperfectiones, stricte dictae, sunt actus qui carent debita sua perfectione, qui tamen defectus nullo modo est voluntarius. Hoc igitur sensu plurimi

vel omnes actus nostri morales possunt esse imperfecti.
Via proinde vitae nostrae plena est —
a. sordibus peccatorum :
b. lapidibus offensionis :
c. luto negligentiarum :
d. pulvere defectuum.

52. Remedia peccati venialis.

i. Brevi conspectu menti repraesentabo ingentem culparum mearum multitudinem.
ii. Sic frequenter orabo : « Viam iniquitatis amove a me. » Ps. 118. 29.

---

1. *Odium peccati*, prout est offensa Dei creatoris et redemptoris : prout etiam deducus et turpitudo est animae; prout tandem signum est socordis et ingrati animi.
   De S. Edmondo Cantuariensi narratur quod in rogum ardentem insilire maluisset, quam delictum unum sciens admittere.

2. *Vigilantia perfecta*, in verbis et in iis quae audiuntur; in in cogitationibus, ne quaversus dissipentur ; in affectibus, ut rite ordinentur ; in passionibus, ut jubjugentur, et freno dirigantur ; in passione praesertim praevalente, ut dometur ; in culpis frequentioribus, ut minuantur ; in occasionibus (personis, locis, circumstantiis), ut tollantur.

3. *Prompta repugnantia*, absque mora, haesitatione, vel titubantia ulla.
   An forsan interdum cunctor, delibero, haesito ubi agitur de malo resistendo ?

4. *Fervens ac frequens oratio.*
An, et quando preces fundo ea intentione ut a malis meis in genere et in specie eripiar ?
5. *Amor* Dei, qui frequentioribus actibus sese manifestat.
Mi Deus amo te, et mallem aegrotare, infamari, mori, quam vel leve peccatum scienter et de industria committere.

53. De remissione peccati venialis.

i. Mihi ob oculos proponam tristem conspectum peccatorum meorum venialium.
ii. Gratiam petam perennis doloris : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : et peccatum meum contra me est semper. » Ps. 50 5.

---

1. Culpas istas delet : —
a. contritio ; vir sane pius vehementer dolebit quod bonus Deus in ipso reperiat vel levem causam displicentiae. Peccata enim patrem benignissimum offendunt.
b. actus caritatis, quo quis ita Deo adhaeret, ut detestetur (saltem implicite) id omne, quo homo a Deo alienatur. Si uni peccato opponitur detestatio, istud delet, si pluribus vel omnibus, et ista pariter.
Hujusmodi actus saepius in die eliciam ; ut qui saepius culpis inficior, saepius etiam divinae miserationis balneo abstergar.
c. sacramentum poenitentiae, in quo cum laude et merito peccata venialia clavibus subjiciuntur. « Confessio levia peccata sacerdoti manifestata remittit, pro debito illorum satisfacit, malitiam eorum pandit,

dolorem excitat, confusionem ingerit, et ingentem pacem internam ac laetitiam spiritualem subministrat. »

2. *Examinabo,* — an peccata mea levia detestari soleam tanquam offensas Dei,— an deinde interdum de iis speciales actus eliciam contritionis, — an praeterea post lapsum aliquem statim in doloris actum erumpam, — an postremo actus caritatis eliciam eo fine ut peccata deleantur ?

Qualiter sum dispositus circa Sacramentum poenitentiae ?

54. De remissione peccati venialis. (2)

i. Revocabo paulisper venialia mea delicta frequentiora, et inter venialia magis gravia.

ii. Humiliter Deum obsecrabo ut me servum suum purificare dignetur ab omni inquinamento offensae.

I. *Sacramentum Eucharistiae* inter alios effectus admirandos hunc habet ut sit « antidotum quo liberamur a peccatis quotidianis. » Con. Trid. XIII. c. 2.

Docet porro Catechismus Concilii : « Remitti Eucharistia et condonari leviora peccata (i. e. venialia) non est quod dubitari debeat. » Euc. n. 52.

II. *Sacramentalia* remittunt culpas veniales ; illa autem sunt : —

1. *Oratio Dominica* :

2. *Aqua benedicta,* pie reverenter et cum compunctionis affectu suscepta. Notetur igitur acceptio aquae lustralis ad ingressum in Ecclesiam, et ad aspersionem ante Missam solemnem.

3. *Confessio generalis* (*Confiteor*) ubi praeter ipsam humilem confessionem occurrunt displicentia enunciata, intercessio rogata. Haec generalis confessio fit, ut notum est, in initio cujuscunque Missae, ante Communionem, ad Completorium.
4. *Tunsio pectoris* ; quae signum solet esse poenitentiae intensioris. Contritionis instinctu pectora percutiebant publicanus in parabola, et adstantes cruci Domini. Id etiam facere solebat S. Hieronymus cum lapide in manu.
5. *Eleemosyna*, sive corporalis, sive spiritualis : « peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitan ignoscet (Deus) delictis tuis. » Dan. 4. 24.
« Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. » Eccli. 3. 33.
6. *Episcopi vel abbatis benedictio* : « Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Num. 6. 27.
7. *Oratio facta in Ecclesia consecrata* ; specialis enim in ea est precandi convenientia, quia « ibi Dominus... largior in dando, et in condonando benignior. »

III. Sacramentalia ista effectum obtinent non ex sese (seu ex opere operato), sed ex institutione et precibus Ecclesiae, quatenus animum inducunt ad affectum poenitentiae. Adeoque culpas remittunt ob efficaciam precum, quas Ecclesia pro auxiliatrice gratia tempore opportuno impetranda fundere solet.

Gaude igitur et gratias age, quod quamvis frequentia sint delicta nostra, ad manus nostras posuit misericors Dominus remedia complura et facillima.

55. De lucta sustinenda cum peccato veniali.

i. Mente repraesentabo peccatorum meorum numerum, magnitudinem, foeditatem, damna.
ii. Efflagitabo fortitudinem virilem, et Christiano vere dignam.

I. Praesto sit *resistentia*, qua intenditur virilis, constans, vigilans conatus contra motus inordinatos, contra infirmitates, contra arbitrium in mala pronum. Conatus iste exercebitur tum in *primo mali occursu*, tum semel devicto malo, *iterum ad conflictum* revocabitur tentatio (si tamen tentationes contra fidem vel castitatem exceperis), ut denuo et validius profligetur.

II. *Actus* ponantur *virtutis oppositae*. « Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit inimicos tuos. » Eccli 4. 33. Hoc est generare habitum novum priori repugnantem, quod fit : —

1. quaerendo *occasiones* exercendi virtutem istam :
2. frequentes *actus* eliciendo ; v. g. humilitatis, vel patientiae :
3. perpendendo *motiva* quibus allicimur ad talem vel talem virtutem exercendam :
4. *refutando* rationes quibus ad malum instigamur :
5. strenue accingendo nos ad virtutem exercendam in rebus *difficilioribus* :
6. repetendo saepe et vehementer actus virtutis oppositae, donec penitus debellata sit et extincta inclinatio mala.

III. Examen particulare quotidie peragatur circa deter-

minatum vitium vel virtutem ; immo adhuc frequentius id fieri convenit, ut vigil et strenuus maneat animus contra malam propensionem.

56. Septem misericordiae. [1]

i. Revoca in mentem parabolam boni Samaritani.
ii. Pete ut cognoscas « quae a Deo donata sunt nobis. » 1 C. 2. 12.

I. « Sic enim onerat me miserationibus suis... sic obruit beneficiis suis, ut onus aliud sentire non possim. Tanta tribuit, et tanta retribuit... Et licet dignas non sufficiam gratias agere, sed ingratitudinem prorsus odit anima mea. » Jure perditum reputatur quod ingrato donatum est.

II. Misericordia tua *magna est super me* : —

1. quod a multis peccatis in saeculo adhuc positum me custodivit.
   « Fateor, et fatebor, nisi quia Deus adjuvit me, paulo minus in omne peccatum cecidisset anima mea.
2. quod me peccantem non statim damnavit, sed me prolongante iniquitatem, ipse prolongavit pietatem.
3. quod visitavit cor meum et immutavit, ut fierent ei dulcia, quae prius erant amara.
4. quod me poenitentem misericorditer recepit.
5. quod mihi continendi deinceps, et emendatius vivendi praestitit virtutem.
6. quod dedit mihi gratiam promerendi, qua munus bonae conversationis indulget.

(S. Bernardus. Sermo II Dom vi post Pentecosten. p. 2035)

7. quod mihi tribuit spem obtinendi... « qua donas, Domine, homini indigno et peccatori de tua toties experta bonitate usque ad coelestia speranda praesumere. »

« Quid ergo retribuam Domino, nisi quod diligam, et gratias agam, confitear, et laudem dicam nomini suo aeterno et benedicto. » S. Augustinus.

57. Fragmenta septem misericordiarum [1].

i. Tria stadia vitae meae summatim revocabo, — tempus conversionis, et quod ipsum praecessit et subsecutum est.

ii. Gratiam petam agnoscendi magnitudinem divinae erga me miserationis,

iii. « Benedic anima mea Domino : et omnia quae intra me sunt, nomini sancta ejus. » Ps. 102. 3.

I. *Conservatio* a multis peccatis : —

1. occasionis subtractione, — infirmitatem meam tentari non est passus.
2. resistendi data virtute (quod majus est); ut, scilicet, tentationem sentiens, viriliter agerem et non consentirem.
3. affectionis sanitate, (quod perfectissimum est), qua prorsus eradicaretur tentatio, ut non solum non consentirem ei, sed ne sentiretur quidem. « Qui sanat omnes infirmitates tuas. » Ps. 102. 3.

II. *Expectatio* qua tardabat ultionem : quia indulgentiam cogitabat (magna omnino miseratio); qua in re cogitanda veniunt ; —

---

1. (S. Bernardus. Sermo III in Dom. VI post Pent p 2038).

1. *longanimitas* Dei, dissimulans peccata : Sap. 11.24.
2. *voluntas* Dei, juxta illud : « praedestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. » Eph. 1.11.
3. charitas *nimia* dilectionis suae, — « propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos. » Eph. 2. 4.

III. *Convertit* nos Deus ad poenitentiam.
1. excitavit *sensum* vulnerum peccatorum, et *dolorem* vulnerum ;
2. *terruit*, deducens nos ad portas inferi ;
3. spem dedit indulgentiae.

IV. Ipsa Dei *indulgentia* : — ex toto induisit : nec ulciscendo, nec increpando, nec imputando ; immo ita plenarie et dulciter solet Dominus agere, ut ubi abundavit delictum, soleat gratia abundare.
O vere salutaris et dulcis Dei miseratio.

58. Fragmenta septem misericordiarum.(2)

i. Breviter recogitabo pueritiam meam, et juventutem, et tempus jam praeteritum sub disciplina Seminarii
ii. Aures praebebo Psalmistae dicenti : « Spera in Domino, et fac bonitatem. » Ps. 63. 3.

I. De Domini erga me benignitate, longanimitate et indulgentia, gratias effundam. Benedicam ei de quo canitur : « Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus. » Ps. 102. 4.

II. Adhuc recogitanda supersunt fragmenta quaedam : — v. *Continentia a peccato :* hostes enim sunt : —

1. *caro*, — quam nec fugere, nec fugare possumus, quia dormit in sinu nostro.
2. *praesens saeculum* nequam, quod per quinque portas sensuum jaculis suis vulnerat me.
3. *diabolus*, — malleus universae terrae, impugnat nos, — nunc occulte, nunc aperte, et violenter, semper malitiose et crudeliter.

Sed contra omnes inimicos praevalere possumus per ea quae a Christo donata sunt nobis. 1. C. 2. 12.

VI. *Gratia promerendi vitam aeternam* : —

1. in *odio* praeteritorum malorum. Quot, qualia et quanta ?
2. *contemptu* praesentium bonorum. Quaenam forte me sollicitant ?
3. *desiderio* futurorum. « Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. » Ps. 83. 3.

VII. *Spes obtinendi divinam mercedem* (hujus fragmenti sapor dulcis gutturi meo). In quo sunt perpendenda : —

1. *charitas adoptionis* : « Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. » Rom. 8. 17.
2. *veritas promissionis* : « Scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. » Col. 3. 24.
3. *potestas redditionis* : « Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. » 2. Tim. 1. 12.

Propter ista, nulla me penuria meritorum, nulla consideratiò propriae vilitatis, nulla aestimatio coelestis beatitudinis, ab altitudine spei dejicere potest.

Caput IV. De Novissimis.

59. De morte.

i. Meipsum moribundum imaginabor, et horae illius circumstantias menti meae attentius repraesentare conabor.
ii. Gratiam efflagitabo bene moriendi.

I. Certissima sunt ista : —
1. *me morituram esse.* « Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.) Eccles. 12. 7.
2. totam aeternitatem meam ex *isto solo mortis momento pendere.*
3. legem ordinariam hanc esse : « *Qualis vita* (sancta, tepida, mala) *finis ita* » (felix, anxius, miser).

II. Incerta plane sunt : —
tempus mortis meae, — *locus* ejus, — *status* meus, sive gratiae sit, sive peccati, — circumstantiae mortis, sive subitanea sit, sive diu expectata, sive ex improviso sive ex monitione aliqua accepta « Haec ita sapienter instituta sunt, ut horam mortis semper expectemus, semperque eodem studio teneamur. »

III. Certum est me nunc posse bonam providere mortem, si nunc ita vivo, ac si semper moriturus essem.
1. An hoc momento mori sum paratus ?
2. Quantum temporis exposcerem, ut mortis meae praeparationem proximam facerem ?

3. Quid in ista praeparatione facere vellem ?
4. An consentirem hodie mori et esse cum Christo ?
5. Quid video nunc resecandum esse, quid percipio statim faciendum ut paratum me exhibeam adventanti morti ?

60. De mala morte.

i. Imaginabor me malam mortem esse obiturum : morti proximus jaceo in lectulo, forsan sine fide, sine spe vel charitate, — pertinax et obstinatus in peccato ; segregatus a fratribus meis, vel cum uno qui frustra conatur me revocare ad pœnitentiam.

ii. « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum. » Ps. 12. 4. 5.

I. Circumstantias considerabo mortis hujus : — factus olim sacerdos Dei Altissimi, nunc morior hostis induratus : vel forte, vocatione perdita, laicus permansi, ego, qui vocatus fui vel ad apostolatum.

Amorem Domino negavi ; lucem deserui ; secutus sum temporanea, æterna non curavi ; mundana, non Deum, quaesivi.

Sentina sum peccatorum, in aperto lumine cognitionis commissorum...

« Mors peccatorum pessima, « Ps. 33. 22., sed mors sacerdotis mali prorsus horrenda.

II. Considerabo ea quae consequuntur sacerdotis mortem hanc miserrimam ; sunt nempe : —

1. vivorum, sive catholicorum sive acatholicorum, scandalum vel tristitia gravissima.

2. damnatorum irrisio, quia magister in Israel, dux piorum et alter Christus, cum impiis in inferno sit inventus.
3. daemonum odium et triumphus.

II. Causas investigabo aliquot ruinae hujus luctuosissimae.

Puer dum fuerim et seminarista, pius fui ; irrepsit postea tepor, peccata primo levia deinde gravia, peccandi consuetudo, obduratus animus, et tandem desperatio.

O centies mallem mature mori, quam serius adeo miserabilem experiri exitum.

61. De bona morte.

i. Meipsum in spiritu contemplabor jam ad portas mortis festinantem ; adstantes expectant suspirium ultimum, dum ego vado ad domum aeternitatis.

ii. « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Num. 23. 10.

I. Roboratus fuero ministerio pii confratris, munitus et consolatus corpore Christi et Ecclesiae ritibus, plenus ero fiducia Salvatoris, et gaudio repletus quia jam dissolvor ut cum Christo vivam ; gratias agam de copiosis specialibusque Dei erga me beneficiis, paratissimus ad mundum derelinquendum, cui adhaesi nunquam.

II. Quaenam res mortem justi consequuntur ?

1. Accessus ad judicem aspectu mitem.
2. Magister suaviter alloquitur ministrum suum ; « Euge serve bone et fidelis. »

3. Recipitur sententia qua decernitur animae defuncti beata aeternitas.
4. Purgatorii, si ullum, breve tantum spatium.

III. Quaenam obtinuerunt exitum adeo felicem ?

Fides : « Qui crediderit in eum non confundetur. » 1. P. 2. 6.

Fiducia : « Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi. » Eccli. 51. 2.

Humilitas : « talium enim (parvulorum) est regnum coelorum. » M. 19. 14.

Conatus : « Colluctata est anima mea in illa,... manus meas extendi in altum. » Eccli. 51. 25-6.

Fidelitas : « Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes : in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. » Col. 1. 10.

Odium peccati : « odivi omnem viam iniquitatis. » Ps. 118. 104.

Orandi studium : « Fili, in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te. » Eccli. 38. 9.

Amor Dei : « oculi Dei in diligentes se. » Eccli. 34. 15.

62. De neglectu mortis considerandae.

i. « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te ; quae autem parasti, cujus erunt ? » L. 12. 20.

ii. Rogabo, ut nunc, dum tempus est, sapiens sim,et sapiens in futurum permaneam.

I. Mihi forte persuadeo, quod quum juvenis sim, mors procul a me distet, et quod possim igitur non impru-

denter ejus differre praeparationem, immo quod liceat interim vivere ac si mori nunquam deberem.

Quot vero juvenes in primo adolescentiae flore morte sunt correpti, qui tamen, sicut et ego, mortem haud-quaquam expectaverunt ?

II. Sic forte mecum fere de morte colloquor : —

« Vita mea longa erit. Ita saltem mihi videtur. Et profecto non est cur mortem cogitem antequam vivere incoeperim.

Quando sacerdos ordinatus fuerim, melior ero, prout omnino decebit : vel quando ad subdiaconatus onera promotus fuero, ferventior fiam, et mundana nugas-que dimittam : vel post paululum, magis devotus, et exactior in officiis implendis evadam, quasi per con-suetudinem pedetentim mutatus.»

Pulchra sane haec sunt ; sed quis mihi promisit tempus et gratiam et bonam voluntatem ad haec proposita implenda ?

III. Incuria perpendatur quae istis vel factis vel principiis exhiberi solet : —

1. raro vel nunquam fortasse de morte cogito :
2. nimis occupatus sum studiis, muneribus, recreationi-bus, exercitiis pietatis :
3. caput est (aiunt) ut bene vivamus tempore illo quod actu est :
4. supervacaneum est (dicere pergunt) insistere cogi-tationi mortis nostrae.

An serio itaque ego de morte cogitare soleo, de ejus certitudine et incertitudine ?

An quaero interdum de actione mea, « Quid in hora mortis valebit ista ? Quid post mortem ?

Quid de morte sentio ? an timeo illam ?

Quid vero de morte nos docuit Salvator ? « Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. » L. 12. 40.

63. De mortis recordatione.

i. Menti repraesentabo illud vitae meae momentum quo vertitur aeternitas.
ii. Gratiam petam novissima mea constanter rememorandi.

I. Sapientum doctrina mente serio volvatur : —

S. Hieronymus de Marcella dixit : « Vixit, ut semper se crederet esse moriturum. » Op. (M. 1. p. 1091).

Item. « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. » Ep. 53. ad Paulinam n. 10. (M. 1. p. 549).

Item . « Platonis sententia est, omnium sapientium vitam, meditationem esse mortis. Laudant hoc philosophi, et in cœlum usque ferunt.

Sed multo fortius Apostolus : Quotidie, inquit, morior per gloriam vestram (1. C. 15. 31). Aliud est enim conari, aliud agere : aliud vivere moriturum, aliud mori victurum. Ille moriturus est ex gloria ; iste moritur semper ad gloriam. Debemus igitur et nos animo praemeditari, quod aliquando futuri sumus : et quod velimus, nolimus, abesse longius non potest. » Ep. 60 ad Heliod. n. 14. (M. 1. 598)

S. Augustinus : « Sic vive, quasi hodie venturus sit ad judicium Deus, et non timebis eum cum venerit. » « Sermo 256 n. 3. (Op. M. V. 1221)

Item. « Fac ut bona sit vita, et noli timere ne brevis sit. » Sermo 16. c. 2. (Op. M. V. 122).

S. Gregorius : « Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. » Moral. in Job. 17. 1. p. 429.

Item. « Terrena substantia supernae felicitati comparata

pondus est, non subsidium. Temporalis vita aeternae vitae comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quaedam prolixitas mortis ? » Hom. 37. in Ev. init. p. 1627.

Consideretur deinde monitum vigilandi, a Christo nobis datum, ac soepius repetitum.

Mors enim a Magistro dicitur venire tanquam fur, — sicut dominus ex improviso reversus, — sicut sponsus inopinato apparens.

De omnium comuni et constante officio vigilandi ita loquitur : « Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori praecepit ut vigilet. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne, cum repente venerit, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate. » Mc. 13. 33-37.

64. Christus constanter expectandus.

1. Mente pie contemplabor Verbum divinum in carne documenta sapientiae suae discipulis communicans, et nominatim illud : « Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. » L. 12. 35. 36. Intelligentiam rogabo doctrinae divinae.

1. *Sint lumbi vestri praecincti.* Simus divinis operibus

intenti, et ad exequenda Dei mandata in omnibus parati, immo expeditissimi.

Semper simus ad agendum strenui, et refraenati ab omni vanitate, concupiscentia, et mollitie.

2. *et lucernae ardentes in manibus vestris.* Lucernae nostrae ardere usu bonae rationis dicuntur, si et recta ratione (quam dedit nobis Deus) et fide cujus pariter donum largitus est) bene utimur.

Lucernae in manibus nostris esse intelliguntur, quatenus nos individui, quicunque simus, sicut humiles ac fideles famuli, sine interruptione, somno vel segnitie, Dominum redeuntem expectamus.

3. *et vos similes hominibus expectantibus dominum suum* ; quibus significatur quod oporteat nos ab aliis rebus avocari, et tota mente in Deum intendi ; ubi etiam insinuatur debitum vitam praesentem despiciendi, atque obliviscendi, ut mentes et corda nostra tota in cœlestia sint defixa, secundum illud : « Conversatio nostra in cœlis est. » Phil. 3. 20.

4. *Quando revertatur a nuptiis.* « Ideo vita Christiana. expectatio est Christi.

« Expectans expectavi Dominum. Ps. 39. 1.

» Expecta Dominum, viriliter age confortetur cor tuum, et sustine Dominum » Ps. 26. 14.

» Sobrii estote, et vigilate. » 1 P. 5. 8.

« Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei. » Tit. 2. 13.

65. Judicium particulare.

i. Menti proponam futurum illum statum animae meae quando discesserit a corpore, et incola tandem fuerit mundi invisibilis, et ad tribunal Dei apparuerit.

ii. Tunc persentietur id quod praenuntiavit S. Paulus : « Qui judicat me, Dominus est ». 1 C. 4. 4.

iii. Rogabo gratiam me nunc rite praeparandi ad examen illud a quo pendet sors mea aeterna.

1. *Veritas fidei.*

Anima a corpore soluta, statim subit judicium Dei de futura sua sorte ; judicium istud est irrevocabile. « Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. » Eccli. 11. 28.

2. *Locus judicii ;* ille est ubi anima corpus reliquerit. Dirutis enim corporis impedimentis, anima in Dei praesentia clare sistitur et illuminatur. Illico invenit dominum transeuntem et vocantem suos. « Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. » L. 12. 37.

3. *Processus* : —

a. inevitabilis est. « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam ? » Ps. 138. 7.

b. peragitur in tribunali praesentiae divinae, ubi mens illuminabitur ut statum suum percipiat.

c. anima erit sola cum Deo.

d. judex erit —

α. omniscius, quem delictum nullum, circumstantia nulla effugiet.

β. inviolabilis, et flecti nesciens.

γ. justissimus, cui facta mea omnia, bona et mala,— peccata, offensiones, negligentiae, — defectus poenitentiae, victoriae de tentationibus, virtutes, amor Dei, apparebunt exactissime prout existunt in momento mortis meae.

δ. sententia erit decretoria et finalis.

4. Reddam nunc mihi rationem villicationis meae.
Qualis igitur hactenus fuit ? sancta ? justa ? mediocris ? tepida ? mala ? qualis nunc sit ?
An paratus sum ad illud examen supremum ?
Quid adhuc complendum superest ? Quid hodie maxime praestandum ?

66. Judicium particulare. (2)

i. Imaginabor me esse morti proximum.
ii. Gratiam exposcam mortem semper cogitandi.

---

1. Mors est *praeteritorum finis*.
Deus ordinator mundi non amplius indiget opera mea in terris.
Ipse, Dominus vitae et mortis, ad se tandem me revocat.
Disparent —
mundus, quem tantopere amavi,
ludi, curiosa, res novae quibus adeo occupatus et delectatus sum,
amici, quibus tota vita devinctus sum tenero amore,
opera ipsa bona, in quibus forte nimis absorptus fui,
probatio, in qua necesse fuit ut tentatio probaret me,
vita hominis, vita corporis.

Corpus ad pulverem redit, spiritus coram judice sistitur.

2. Nunc *vitae exitus*. Nunc probationis meae eventus. « Beatus vir qui suffert tentationem ; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. » Jac. 1. 12.

3. Imminet *judicium* conditoris mei, ea nempe futuri decisio absolute justa atque completa ad abditissima et minima pertingens.

4. Certamen militiae mortalis desinit in victoria vel in clade. « Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. » 2 T. 2. 5.

Sors mea mox est in aeternum determinanda. Mihi tandem distinctissime apparet quod « prima abierunt. »

5. Mors *initium est futuri*.

Prioribus dictum est, in aeternum valete ; praeterit et in obscura recedit figura mundi istius, quia nunc tandem in domo aeternitatis meae existo.

Ubi sum ? ubi mundus ? ubi sacerdos qui mihi morienti assistebat ? ubi optimi amici ? ubi socii ? solus appareo coram Deo.

Quantus denique horror, si sors infelix me praecipitaverit in puteum inferni.

Verumtamen quali et quanto tripudio exultabit anima mea quum primum noverit sortem suam futuram esse aeternitatem beatam.

67. De inferno.

i. « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Heb. 10. 31.

ii. Petas intimum sensum pœnae inferni, ut si unquam amoris Dei oblitus fueris, saltem timor pœnae te juvet, ne in peccatum rebellionis devenias.

I. *Realitas inferni.* Dogma fidei est : « (Credimus) illorum... animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. » Conf. Fidei sub Clem. IV. Denz. n. 387.

« Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » M. 10. 28.

II. *Necessitas futurae vindictae.* Vindicta in homine sive creatura injuria est, in Deo jus et necessitas. Infernus meta est naturalis rebellionis et contemptus ordinatoris supremi. Si Deus offenditur, debet irasci, ut norma, custos, et sanctio rectitudinis omnis. Si irascitur, debet ulcisci, ne tanquam ineptus irrideatur. Ut legislator, ut sanctissimus, ut justus, ut plenus majestate, retributionem pro demeritis reddere debet.

III. *Natura pœnarum :* —

1. rejectio a Deo : « Nescio vos unde sitis : » L. 13. 27. (Deus suos agnoscere recusat); et expulsio a pristino jure beatitudinis : « discedite a me omnes operarii iniquitatis. » ib.
2. amissio : —

a. omnis boni intellectus, omnisque amoris et felicitatis : « terra miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. » Job. 10. 22. « nec habent requiem die ac nocte. » Ap. 14. 11.

b. omnis boni sensibilis ; cum summo cruciatu in membris omnibus : « discedite in ignem : »

« Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. » Mc. 9. 48.

« Paleas autem comburet (Dominus) igne inextinguibili. » M. 3. 12.

IV. Dogma pariter fidei est, poenas inferni esse *aeternas*, — « in saecula saeculorum. » « Ibunt hi in supplicium aeternum. » M. 25. 46.

Omnis videlicet poenarum *finis negatur*. Durabit poena damnatorum, sicut felicitas justorum. Ignis est devorans ; ardor est sempiternus, — ignis inextinguibilis. Vermis non moritur (Mc. 9. 45) ; in quo loco mitis salvator septies poenarum aeternitatem proclamat.

Nulla exinde redemptio, neque per poenitentiam, neque per suffragia sanctorum, neque per destructionem.

« Poenas dabunt in interitu aeternas. » 2 Thess. 1. 9.

« Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt ; alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper. » Dan. 12. 2.

« Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. » Ap. 20. 10.

68. De pœnis inferni [1].

i. « Vivens igitur in infernum descendas, percurre mentalibus oculis tormentorum officinas. » S. Bern. Sermo 42. n. 6. (p. 2462).

ii. Fac tibi imaginem quamdam teterrimi loci, longi, lati, profundi.

iii. Pete sensum vividum pœnae inferni, ut si unquam amoris Dei oblitus fueris, timor saltem justitiae ejus te juvet, ne in peccatum devenias.

I. « Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum. » Judith. 16. 21.

II. Ignis paratus est diabolo *ad cruciandum* Dicitur porro infernus esse stagnum ardens igne et sulphure. Cf. Ap. 21. 8.

Ignis est *materialis*, at non lucet sed describitur tanquam « tenebrae exteriores ; » *devorat*, sed non destruit : *inextinguibilis* est ; verus est ignis, cui noster ignis est sicut *analogicus*.

« Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? cum ardoribus sempiternis ? » Is. 33. 14.

III. *Vide* stagnum igneum, lethale, — animas, daemones, corpora.

Audi planctum, stridorem dentium, ululatum, blasphemias, maledictiones. « Et bestia aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus et tabernaculum ejus, et eos qui in coelo habitant ». Ap. 13. 6.

---

1. Secundum S. Ignatium.

Olfacias fumum, sulphur, foetorem sentinae iniquae, de quo licet usurpare verba prophetae : « Et erit pro suavi odore foetor. » Is. 3. 24.

Degusta saporem stagni ignei, palatum imaginare ardens ; et memento supplicis clamoris divitis in inferno : « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. » L. 16. 24.

Tange flammas cruciantes.

« Hic ure, hic seca, Domine, ut in aeternum parcas. » S. Aug.

IV. Considera *varias classes* hominum in infernum sepultorum : — sunt

1. qui vixerint ante Christum natum, qui cum salvatore coaevi fuerunt, et qui post Christum mortuum cursum suum malum perfecerunt :
2. sunt etiam credentes et infideles, Catholici et acatholici :
3. sunt exculti et rudes, divites et pauperes, sacerdotes et laici, juvenes et senes.

Gratias age quod inter istos non inveniaris, et quod ad hunc ipsum diem Deus te prosecutus sit tanta pietate et misericordia.

« Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis...

« Fuge scelera et vitia, pro quibus scelerati homines et vitiosi perierunt. Habe odio iniquitatem, et dilige legem Domini, et in tam formidolosis nundinis fac sarcinam tuam, odium peccati ». S. Bern. 1. c.

« De morte aeterna libera me, Domine. »

69. De natura purgatorii.

i. Imaginatione tibi repraesenta locum tristem, in quo congregatae sunt animae Deo gratae, quae tamen taedio, dolore et cruciatu affliguntur.

ii. Ora ut intelligere possis hoc opus justitiae divinae.

I. Realitas purgatorii.

Fides nos docet existere statum aliquem inter coelum et infernum, ubi detinentur animae, et poenis piacularibus mundantur.

Doctrina catholica de purgatorio duo includit : *a* posse animas justas alteram vitam ingredi maculis quibusdam moralibus affectas ; *b*. has maculas deleri debere poenis satisfactoriis, antequam animae illae ad beatitudinem perveniant. « Pesch. Theol. Vol. IX n. 587.

Et dicit Scriptura : — « Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, *ut a peccatis solvantur*. » 2. Mach. 12. 46.

« Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, *sic tamen quasi per ignem*. » 1. C. 3. 15.

II. Natura poenae.

Est 1. poena *damni*, — maximo enim ardore feruntur animae in supremum bonum ; sed simul vident se privari illo, ipso momento quo fruendum erat, et intelligunt hoc contingere *sua culpa*, et *ob nugas*, et quia *satisfactionem non praestiterunt*, quando facile potuerunt satisfacere.

Hinc prima et maxima tristitia. « Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior, et quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensissi-

mus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono advenisset nisi aliquid impediret : ideo de retardatione maxime dolent. » Suppl. q. 72. 1. 0.

2. Altera et gravissima tristitia sita est in poena *sensus*. Quoad illam tenendum : — *a*. certe maxima ibi poena praecellit quamlibet hujus vitae poenam :

b. S. Thomas : « Gregorius dicit, quod sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat : ita sub eodem igne peccator crematur, et electus purgatur. » In IV Dist. q. 1. a. 1.

c. idem testantur probatae apparitiones, quae annuntiant poenam ignis eamque signo aperto manifestant.

Colloquium institue cum Christo et Beata Maria Virgine pro animabus in purgatorio detentis, et pro teipso, ut omnem negligentiam in Dei servitio evites, et ut dignam praestes satisfactionem pro delictis tuis.

70. Acerbitas pœnarum purgatorii.

i. Ad tristem moram purgatorii applica verba prophetae : « Ne laeteris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. » Michaeae. 7. 8.

ii. Pete prudentiam qua libens acceptes purgationem tuam in hac vita.

I. Poena *damni* quam maximam infert tristitiam : per se solam excedit quodlibet malum temporale ; et licet animae sanctae illam patienter tolerent, eam ut amarissimam agnoscunt. Illud constat « ex magnitudine boni amissi, seu mali praesentis, et ex vehementione illius

considerationis et ex magna affectione ad illud.» Suarez Disp. 46. s. 3. n. 1.

Ora Christum pro animabus ut eripiantur ex caligino-so carcere, et pro teipso, ne diu post discessum ex hac vita priveris visione Domini.

II. Poena *sensus*, carceris scilicet et ignis.

1. Generatim « gravior est ille ignis quam quidquid homo potest pati in hac vita. » S. Aug. in Ps. 37. n. 3. (M. IV. 697).

   « Maxima poena excedit maximam vitae praesentis » S. Bonav. in 4 Dist. 20. p. 1. a. 1. q. 2.
2. Plures poenae actu sunt longe majores poenis vitae hujus.
3. Minimus tamen cruciatus non est major omnibus hujus vitae poenis.
4. Pie etiam credi potest quod purgatio allevietur versus finem.
5. Immo in quibusdam animabus, poenae probabiliter sunt nullae. C. Pesch. Prael. IX. n. 604.

   Reverearis divinam justitiam et sanctitatem. Admirare benignitatem. Confide plene in divina bonitate.

   Tecum statue poenas patienter in hac vita tolerare, ne cogas divinam justitiam poenas severiores a te exigere ignibus purgatorii.

III. De purgatorio loquens S. Augustinus haec habet : « Futurum est enim ut quidam in ira Dei emendentur, et in indignatione arguantur. » In Ps. 37. n. 3. (M. IV. 397). Cujus ratio severitatis est quod offensio contra Deum etiam levior, gravior est quocunque malo creaturae.

Supplex institue colloquium cum Jesu Salvatore pro animabus defunctis, et humiliter pete ut per opera satisfactoria a te libere nunc posita, futura poena tua evadat saltem levior et brevior.

71. Acerbitas pœnarum purgatorii.(2)

i Cogita varias animarum classes quae in purgatorio detinentur (cujusmodi sunt sanctiores, sanctae, tepidae, et vix ab inferno ereptae) ; illarum tamen omnes et justae sunt, et variis pœnis cruciatae.

ii. Roga ut intelligas Dei sanctitatem et justitiam. Sane de Creatore et Domino supremo agitur, non de rege humano, — de Sancto sanctorum in cujus praesentiam inquinato nulli patet ingressus, — et de Altissimo judice cujus est postulare novissimum quadrantem.

---

1. Probatae apparitiones declaraverunt, et signo sensibili ostenderunt gravissimas esse has piaculares poenas.

2. Idem declaravit consensus sanctorum patrum : —
   a. quoad *intensitatem ignis materialis*. « Quia illum transitorium ignem omni tribulatione praesenti aestimo intolerabiliorem, non solum in furore aeternae damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis pugari. » S. Greg. In Ps. poenit. 3. init.
   b. quoad *durationem* :
      α. aliquae animae ad diem judicii universalis detinebuntur ;
      β. aliae detinebuntur ad tempus quod determinare nullo modo possumus (hinc missae perpetuae) ;
      γ. quaedam ad longum tempus corrigentur propter offensiones quas nos ut leviores reputamus ;
      δ. ad brevissimum vero tempus detineri paucarum solum animarum sanctiorum est.

      De necessitate itaque purgationis nostrae nunc

faciendae loquitur S. Bernardus (vel Guerricus Abbas) Sermo 6. de Purificatione n. 5. « Illa vero mirabilis et miserabilis est in hominibus sui negligentia, ut cum nemo sit qui se purificatione non indigere praesumat, vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultum, quasi purgatissimus sit, non negligat.» Op.iv.p. 1901.

3. *Poenarum diversitas* :
   a. in iis quae unam vel aliam tantum culpam levem habent expiandam ;
   b. in iis quae satisfacere debent pro plurimis peccatis venialibus, et qui modicam solummodo satisfactionem in vita praestiterint, aut quae tantum non inciderunt in infernum ;
   c. in remissione quae probabiliter conceditur versus finem detentionis.

72. Principia de purgatorio.

i. Cogita hinc altissimum et sanctissimum Deum, Dominum coeli et terrae, et illinc humilem creaturam quae ipsum offendit, vel debitam ipsi satisfactionem praebere negligit.
ii. Supplex roga ut tibi concedatur pius sensus timoris Dei.

I. *Peccata venialia* Deum multum offendunt et gravitate sua et numero.
Nequit Deus illa non detestari, et punire.
Delenda itaque nunc sunt poenitentia, qua confugimus ad misericordiam Salvatoris, vel post mortem purganda sunt flammis divinae justitiae.

II. *Poena luenda* est pro peccato sive mortali sive veniali.

Deus, utpote supremus legislator, ob offensas quaslibet exigit justam poenae satisfactionem.

Quae poenae evitari haudquaquam possunt.

Perpendas tecum igitur utrum in hac, an in futura vita, debita solvere malis.

III. Principium est Revelationis antiquissimae : « Mea est ultio, et ego retribuam in tempore. » Deut. 32. 35. *Justitia Dei vindicativa* in futura vita exercebitur. Hic enim locus est misericordiae, ibi justitiae. Haec licet satisfacere, ibi solummodo patiendo malum compensare conceditur, secundum illud verbum Salvatoris : « Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » M. 5. 26.

IV. Divina *gubernatio justa* postulat, ut hominibus rependatur secundum merita vel demerita, — secundum facta, vel omissa, ut qui venialia adhuc habent vel non, qui aliquam exhibuerint satisfactionem vel nullam, in diversa post obitum conditione reperiantur.

73. Officia nostra erga defunctos.

i. Ausculta tristes illas voces : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. » Ps. 119. 5.

ii. Pete claram officii tui intelligentiam.

iii. Pie Jesu Domine, dona eis requiem. »

---

1. Officium *humanitatis*.

« Numquid non Pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos ? » Mal. 2. 10.

« Mementote vinctorum, tanquam simul vincti. » Heb. 13. 3.

« Ad illos transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. » S. Bernardus. Sermo 42. n. 5.

2. Officium *pietatis*.

De carne et sanguine nostro plures ibi existunt, avi, avunculi, parentes, fratres, sorores, consobrini. Durissimi plane vel socordis esset animi gemitus istos surdis auribus recipere.

3. Officium *grati animi*.

In regione illa expiationis jacere poterunt benefactores nostri temporales ac spirituales, — confessores, magistri, superiores quibus obstricti sumus arctis vinculis gratitudinis.

An eorum memoriam constanter in orationibus nostris retinemus ?

4. Aliae plures animae sunt amicissimorum nostrorum, quibus subvenire in dolore officium est strictum. Omnes porro sunt fratres in fide, eodem redempti sanguine, filii ejusdem Patris, ejusdemque regni cohaeredes.

5. Illas nos adjuvare oportet orationibus et piis operibus, ut dum liberatae fuerint, nobismetipsis in eodem cruciatu existentibus, suo vicissim patrocinio succurrant. « Surgam in adjutorium illis, ut Deus convertat laborem in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. »

« Interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus, intercedam, satisfaciam sacrificio singulari. » S. Bernardus. Sermo 42. n. 5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

74. Officia nostra erga defunctos (2).

i. « Miseremini mei, saltem vos amici mei. » Job. 19. 21.
ii. Lumen petas et constantiam.
iii. « Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Domini. » Ex Off. Ant. 6.

I. *Verus amicus* indigentia probatur. Benefactorum opus est meminisse eo tempore, quo in nostra est potestate iis succurrere. Si indigenti amico subvenire nolis, amici nomine indignum te prodis ; si benefactoris oblitus fueris, eo ipso ingratus esse deprehenderis.

II. *Carissimi nostri* plures ex hac vita emigraverunt, parentes, cognati, aliique ; alii porro sunt nobis inter mortuos *amici* ignoti, qui nobiscum sunt filii ejusdem Patris in coelis. *Benefactores* tandem innumeri sunt, quorum forte plures obierunt, inter quos praesertim recensentur illi ex quibus recepimus tot beneficia spiritualia, ut sunt confessarii, superiores, professores, parochi, illi praeterea per quos recepimus inaestimabile summum illud donum, educationem nempe ecclesiasticam.

III. Illorum fortasse non pauci nunc severas culparum poenas luunt.

De iis haec igitur perpendantur : —

1. valde cruciantur : « quia manus Domini tetigit me. » Ex Off.
2. lenire poenas suas ipsi nequeunt.
3. poenis mereri non possunt.
4. certum est nos illis operibus nostris posse opitulari.

IV. 1. Lugendae *inconsiderationis* est, quod quis suorum amicorum non recordetur.

2. *Ingratus* profecto ille probatur esse, qui dum haec noverit, media adjuvandi animas illas dolentes negligat.

3. Haud omnino generosus, immo potius *affectu humano* plane *expers* reputabitur iste, qui multum laborem non assumpserit, ut allevarentur dolores fratrum, qui justa poena in purgatorio detinentur.

75. Quomodo sint adjuvandae animae in purgatorio?

i. Mente contemplare communionem sanctorum in triplici Ecclesiae stadio, cujus una pars incessanter clamat: « Miseremini mei, saltem vos amici mei. » Job. 19, 21.

ii. Gratiam roga pietatis et compassionis in animas fidelium defunctorum.

iii. « Lux aeterna luceat eis, Domine, cum Sanctis tuis in aeternum, quia pius es. »

I. Fidelium animae nec merentur, nec valent satisfacere, quia tempus probationis, meriti et satisfactionis jam transiit. Pertransiit quidem stadium misericordiae, manet nunc tempus rigorosae justitiae.

« Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet apparebit:
Nil inultum remanebit. »

Quantum studium tuum pro defunctis merendi? Quaenam opera satisfactoria nunc praestare soles?

II. Nobiscum uniuntur pii defuncti in communione sanctorum, cujus caput Christus, cujus membra baptizati

omnes, quorum interactio viva est et efficax in vinculo caritatis.

Nostrum igitur est pro fratribus suffragia offerre.

« Fac eas, Domine, de morte transire ad vitam. »

III. Fide certum est ipsas a nobis permultum adjuvari posse, ut e purgatorii igne citius eripiantur : — quod fit ;—

1. *Missae sacrificio* ; « Hostias, Domine, propitiatus intende. » Hujus enim praegrandis sacrificii est directe et ex opere operato poenas peccati condonati delere.

An soleo missas quas audio pro defunctis pie offerre?

2. *orationibus universis* : —

a. quatenus includunt difficultatem et poenam aliquam ;

b. quatenus opus sunt impetratorium.

3. poenis et operibus *satisfactoriis*, nempe :

a. jejunio, abstinentia, et aliis mortificationibus ;

b. eleemosynis ;

c. indulgentiis, — quibus homo satisfactionem quam lucratus fuerit, Deo pie ac suppliciter offert per modum suffragii in beneficium defunctorum ; quod et efficacius praestatur, si ipse summus pontifex indulgentias illas concesserit tanquam defunctis applicabiles.

Tecum firmiter resolve non negligere plurima ista remedia, quibus solamen afferre potes animabus Deo gratissimis.

76. Quomodo sint adjuvandae animae in purgatorio ? (2)

i. Repraesenta tibi purgatorii locum tristem, poenas acerbas, durationem quandoque longissimam.
ii. A Deo exposce gratiam pietatis erga defunctos.
iii. « Collocet eos Dominus cum principibus : cum principibus populi sui. » Ex Off.

I. *Opera satisfactoria.*

1. *Sacrificium Missae.* De fide enim est, « animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis (i. e. orationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus) potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. » C. Trid. Sess. XXV. sub init.

Hoc autem adjutorium iis praebetur tum a sacerdote celebrante, tum a populo assistente. Immo justis baptizatis in purgatorio existentibus levamen satisfactione afferri posse ex opere operato, certum est. Idem videtur dicendum quoad satisfactiones personales et indulgentias. Qualis mea sollicitudo in pio isto opere ?

2. *Indulgentiae,* quae erogari consueverunt ex immenso thesauro satisfactionum Christi et sanctorum, quasque Deo licet offerre in pium suffragium pro defunctorum liberatione.

Clamant animae in officio defunctorum (Resp. 8), « Domine, secundum actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi : ideo deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam. »

Quot igitur sunt et quantae indulgentiae tot precibus

quas recito annexae ? Quot lucrari studeo ? Quot plenarias, quot partiales ?
An rite adimpleo conditiones praescriptas ?

3. Opera *poenalia personalia.*
   a. necessaria seu *inevitabilia*, qualia sunt :— patientia doloris, laboris, defatigationis, frigoris, vel caloris.
   Quaenam ex istis sustineo ego ? quo animo? quanam recordatione defunctorum ?
   b. *libere suscepta*, qualia sunt : — humiliatio voluntarie assumpta, — abnegatio in cibis vel delectatione aliqua, —poenitentia aliqua corpori inflicta.
   An ego hujusmodi poenitentias facio ? Quoties ? qua intentione ?

77. Quomodo evitandae sint poenae purgatorii ?

i. *Imaginare* locum purgatorii. — longum, latum, profundum. *Audi* gemitus ; *tange* ignem ; *considera* taedium carceris intolerabile.
ii. Roga gratiam ea nunc peragendi, quae te salvum faciant in die justitiae Domini.

I. Quaenam est *causa* hujus carceris et doloris purgatorii ?
Peccata et poenae luendae pro peccatis. Remisso enim reatu peccati *mortalis*, non ideo poena omnis remissa est, sed manet ordinarie poena temporalis.
Singula porro peccata *venialia*, reatu jam remisso, suam retinent poenam delendam.

II. *Quot* sunt peccata mea ?
Quanta pro eis postulatur satisfactio ?

Qualem vero et *quantam* pro eis satisfactionem reapse praebui ?

Nec culpa nec poena seipsam extinguit, nec diuturnitate evanescit, sed dolore et poena voluntaria sola delentur.

III. *Remedia.*

1. *a*. Profundo et intenso horrore cave a peccato mortifero.

b. Stude sollicite devitare quodcunque peccatum veniale aperte voluntarium. Id omni diligentia et conatu repelle, ejusque occasiones fuge.

c. Patienter et viriliter enitere, ne opera tua, praesertim orationes, negligenter peragas.

2. Poenas aliquot voluntarie subire statue : — v. g. difficultatem orandi, laborem studii, temporis asperitates, sociorum inconsiderationem, valetudinis dolorem ac moram, disciplinae rigorem.

Haec, si feceris, dies purgationis tuae abbreviabuntur.

« Peccantem me quotidie, et non me poenitentem, timor mortis conturbat me : » Ex Off : Def. Resp. 7.

78. Purgatorium schola vivorum.

i. Considerentur taedium et cruciatus purgatorii tamquam opus « manus Domini. » Job. 19. 21.

ii. Postula spiritum sollicitum de vero bono tuo.

iii. Dictum recogita : « Exultabunt Domino ossa humiliata. » Ex Off. Ant. Laud. 1.

I. Poenae purgatorii ab animabus stricte debentur : —

1. propter peccata *mortalia remissa*, pro quibus insufficiens satisfactio Deo fuit exhibita.

2. propter peccata *venialia remissa*, pro quibus pariter vel nulla vel inadaequata facta sit in hac vita satisfactio.
3. propter peccata *venialia* ante mortem *nondum remissa*.

« A porta inferi erue, Domine, animam meam. » Ex Off : Ant. Laud. 4.

Ecclesiae doctrinam hac de re suscipiam reverenter, et vivam postulabo fidem.

II. Jamvero : —

Quot fuerunt peccata mea ? Innumera sicut arena in littore maris.

Quot peccata mortalia ? Forte neque illa valeo ego enumerare.

Quot peccata commisi venialia ?

Quot meae negligentiae voluntariae ?

« Confusio faciei meae cooperuit me. » Ps. 43. 16.

III. Praeterea : —

1. pro illis omnibus exigitur a me *verus aliquis dolor* antequam remitti possint :
2. ad omnia jam remissa consequitur per se debitum *poenae temporalis* subeundae :
3. pro hac poena satisfactio potest exhiberi per opera pia.

IV. Quaenam et qualia sunt opera, quae assumo ego ad finem solvendi ingens meum debitum satisfactionis ? Nonne convenit ut levem poenitentiam sacramentalem accipiam, tanquam signum satisfactionis amplioris a meipso voluntarie reddendae.

Justus judex a me postulabit satisfactionem usque ad novissimum quadrantem.

An fide viva credo, quod si satisfactionem in hac vita pro delictis non praebuerim, certissime illam solvere cogar in purgatorio igni.

Cavendum igitur a peccato tanquam ab unico malo. De operibus satisfactoriis simus valde solliciti.

79. Pia purgatorii consideratio.

i. Repraesenta tibi universam Ecclesiam dicentem die solemnis commemorationis fidelium defunctorum : « Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae. » Ps. 114. ex Off. Vesp.

ii. A Spiritu sancto efflagita ut in his, sicut in ceteris omnibus, Dei sapientiam intelligere et adorare discas.

I. Dei *justitia* delinquentes punit, et poenam peccatorum exigit.

Dei *sanctitudo* delicta abominatur. « Mundi sunt oculi tui, ne videas malum : et respicere ad iniquitatem non poteris. » Hab. 1. 13.

Dei *majestas* ne umbram quidem peccati ad se sinit accedere.

« Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum ? quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimet-ipsi gravis ? » Ex Off. Lect. 1.

II. Intelligere studeas quanta sit civitatis cœlestis gloria, splendor atque mundities, si, vel ultimas peccati reliquias pœnasque debitas aboleri oportet antequam illuc intrare cuivis permittatur.

III. O suave solamen peccatori morienti, qui, post vitam scelestam tandem pœnitens factus, vix sperare posset, nulla satisfactione exhibita, se adepturum esse statum beatitudinis sanctorum, attamen per poenas temporales scit se evasurum esse ignes aeternos.

« Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei ? » Ex Off. Lect. 6.

IV. Purgatorium pie recogitatum *a*. ad *opera bona* animum excitat; fovet spiritum poenitentiae; hominem inducit ad virtutes pietatis et gratitudinis exercendas:

b. fovet cogitationes *vitae futurae*. « Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu irae tuae? Quia peccavi nimis in vita mea. » Ex Off. Resp. 3.

c. *deterret* a peccatis venialibus, quae nullo existente purgatorio, omni carerent positiva sanctione adaequata, quod Dei sanctitate indignum foret. « Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare. » Resp. 3.

« Percurre igitur, fidelis anima, regionem expiationis, et vide quid in ea fiat, et in nundinis istis fac sarcinam tuam, affectum compatiendi. » S. Bernardus. Sermo 42. n. 5.

80. De coelo.

i. Cogita haec duo: —

1. mensam coelestem; « Et ego dispono vobis... Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. » L. 22. 29. 30.

2. « Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt. » Apoc. 19. 9.

ii. Donum petas memorandi coelum pro nobis paratum a constitutione mundi. M. 25. 34.

I. *Realitas coeli*.

Spes est et fulcimentum totius vitae humanae.

Solatium in tribulatione.

Doctrina Christi, Apostolorum, Ecclesiae tota in coelum ordinatur.

Coelum est nobis sensu plenissimo salus, redemptio, merces.

Ad illud disponitur Incarnatio Verbi ; ad illud exemplum, doctrina, passio, et gratiae Christi.

Propter coelum sunt sacramenta, Ecclesia, cultus sacrificalis, et omnis splendor liturgiae. Illuc dirigitur omnis nostra virtus et labor.

Formalissima et frequentissima Christi promissio his verbis exhibetur :

« Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum. » J. 10. 28.

II. *Natura*. « Torrente voluptatis tuae potabis eos. » Ps. 35. 9. Quae voluptas ineffabilis intelligitur esse : —

1. *Possessio Dei, — assimilatio Deo*. « Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » I. J. 3. 2.

Videbimus etiam Mariam, angelos, sanctos, bonos universos. Summa inde erit intellectus et voluntatis felicitas in coelesti societate.

2. *Nec labor* erit, nec lachrymae, peccatum, defectus, invidia, mors, « quia *prima abierunt*. » Apoc. 21. 4.

3. *Gaudium* erit, beatitudo, gloria et exultatio. « Exultabunt sancti in gloria. » Ps. 149. 5.

« Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies laetitiae, et confitemini illi. » Ex Off. Festi Om. Sanctorum.

4. Erit *merces* « magna nimis » omnia verba omnemque hominis captum exsuperans; « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum. » 1. C. 2. 9.

III. *Duratio*. Non tantum est *vita*, prout morti opponitur, sed est *vita* aeterna ; « Thesaurus non deficiens ; » L. 12 33 ; « *immarcescibilis* vitae corona. » 1. P. 1. 4 ; « regnabunt in saecula saeculorum. » Ap. 22. 5.

Colloquia institue cum Divinis Personis, cum Maria Matre Dei, cum Angelo custode; ad coelestem patriam adspira, et pete gratiam illuc perveniendi.

81. De patria beata.

i. « Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitae fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum » Ap. 7. 17.

ii. Tanta erit in paradiso Domini dulcedo et exultatio, « qualem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum, qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, qui et laverunt stolas suas in sanguine Agni, et sunt ante sedem Dei, serviuntque ei die ac nocte. » S. Beda. Brev. die 3. Nov. Lectio V.

iii. « O quando ero tecum in regno tuo, quod praeparasti dilectis tuis ab aeterno. » De Imit. Christi. III. c. 47. n. 3.

I. Coelum vere *domus* et *patria* est nostra.
1. Ad illam beatitatem Deus me destinavit.
2 Ad supernam visionem essentiae suae gloriosissimae me elevavit.
3. In filium me adoptavit, ut haereditatem acciperem.
4. Ita me condidit, et tam altum spiritum in me posuit, ut singulis diebus, in gaudio et in dolore, persentirem exigentiam perveniendi ad requiem et fruitionem aeternam, ad felicitatem nempe imperturbatam et domum beatitatis meae.

II. *Merces* est *magna nimis*.
Deus qui in creando optimus est, in ignoscendo misericors, magnificus esse cernitur in retribuendo.

Magnum nomen ejus ; magnificatus est ipse vehementer. Magnus in mundo, major in gratiis, maximus in remunerando, splendidissimus in sempiterno festo beatitatis.

Mala in hoc vitae praesentis stadio accidere permisit, ut labore et patientia nobis promereri possimus mercedem illam Deo plane dignam ; quae si relationem quamdam habet ad merita, nullam tamen habet proportionem cum malis quae perpessi fuerimus. vel cum diuturnitate et taedio certaminis.

III. *Nihil nobis adeo desiderandum* est ac patria cœlestis. In ea verum et unicum bonum nostrum. Cetera ab hoc distincta, vel quae huc non referuntur, umbrae sunt, tenebrae, fallaciae, laquei, aut, ad summum, tenues boni supremi reflectiones.

Haec vita via est ; omnia in vita sunt media, seu gradus, vel vana sunt vel noxia.

« Succurre mihi, aeterna veritas, ut nulla me moveat vanitas. »

« Adveni, cœlestis suavitas, et fugiat a facie tua omnis impuritas. » De Imit. Christi. III. c. 48. n. 5.

« Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei. ? » Ps. 41. 2.

« Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. » Ps. 83. 3.

82. De visione Dei.

i. Verba perpende S. Joannis : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. » Ap. 21. 3.

i. Petas desiderium ardens Deum videndi.

I. *Visio* illa benedicta erit « facie ad faciem ; » « cognoscam sicut et cognitus sum. » 1. C. 13. 12.
« Manifestabo ei **meipsum**. » J. 14. 21.
« Adimplebis me laetitia cum vultu **tuo**. » Ps. 15. 11.

II. Lumen Dei illuminabit coelum et beatos. « In **lumine tuo** videbimus **lumen**. » Ps. 35. 10.
Lucerna coeli est **agnus**. Ap. 21. 23.

III. Coelum erit locus **visionis** illius magnae, ubi homo Deum videbit et vivet ; conspicietur **Dei majestas** incomparabilis et splendor, — **realitas** infinita, — **existentia** aeterna, — **immensitas** illimitata, — **sapientia** replens universum, illuminans mentes, omnia suaviter ac fortiter disponens, — **potentia**, quae creaturas universas e nihilo vocavit, viribus instruxit omnibus ornavitque, — quae nihil fecit quod non sit insignitum sigillo « **mirabilis.** » Videbitur **sanctitudo**, cujus laus in coelis praecipua ; — « Sanctus, Sanctus, Sanctus, **Dominus Deus sabaoth**, » — Bonum bonorum omnium.

IV. Ipsa **trinitas adoranda** manifestabit se, — **Pater aeternus**, qui misit ad nos Filium unigenitum, — **Filius Patris** infinite dilectus, — **Spiritus sanctus**, dulcis spiritus gratiae, et consolationis.

V. Beati inibunt societatem cum **ipso Deo**. Regio illa erit in qua Deus « transiens ministrabit illis, i. e. electis suis, et erit triumphus Dei, ubi Deus erit omnia in omnibus. 1. C. 15. 28.
« Beati servi tui, qui stant coram te semper. » 3. Reg. 10. 8.
« Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate **Dei nostri** : Deus fundavit eam in aeternum. » Ps. 47. 9.

83. De Jesu Redemptore videndo.

i. Imaginare Christum in coelos ascendentem, et ad dexteram Patris sedentem.

ii. « Et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem. » Ap. 5. 12.

iii. Ora ut nunc vivas propter Christum, ut cum ipso tandem gaudeas.

I. Jesus in coelis conspicitur, — Deus-homo, — omnium operum sanctissimae Trinitatis *culmen* splendidissimum : in ipso plenitudo *divinitatis* ; — in omnibus *primatum* tenet (Col. 1. 18. 19.), universos *dignitate* praecedit ut « haeres universorum » (Heb. 1. 2.) ; *scientia* fulget admirabili, in eo enim « sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. » (Col. 2. 3.), *potestate* suprema potitus est, quia omnia posuit Pater in manus ejus, in coelo et in terra ; *sanctitate* unctus est a Deo prae participibus suis ; gratia *Capitis* Ecclesiae cunctos regit et vivificat ; « de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » J. 1. 16.

II. Videbitur gloria Jesu in sinu Patris, in amore Spiritus sancti erga ipsum, in suavissima affectione et mutua gratulatione personarum divinarum.

III. Jesu *respectu nostri* conspicietur tanquam, — Deus, Dominus, amator, amicus, frater, redemptor, cibus, dux, legifer, magister.

Oculis propriis intuebimur Jesum illum, qui ab aeterno nos dilexit, qui misertus est nostri, qui quaesivit

nos ad redimendum, qui in utero Mariae absconditus est, ex ea natus est, qui diu nobiscum conversatus, dira tandem morte, in cruce est oblatus. Carne sua pavit nos per totam vitam nostram, et summa semper erga nos usus est misericordia.

IV. O quam suave videre tandem totius vitae meae desideratissimum Jesum, quem in cruce contemplabar, in Eucharistia recipiebam, in tentatione invocabam.

« Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. » Job. 42. 5.

« Salutis aeternae dator, Jesu redemptis subveni. »

84. Mansio cœlestis.

i. « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. » Ap. 21. 3.
ii. Magno animo cupiam cum Christo et sanctis suis habitare.

I. Coelestis urbs Jerusalem est locus a Deo paratus ut omni *magnificentia et fulgore* : —
a. cum auro splendeat et lapidibus pretiosis ;
b. cum cantu resonet et musica ;
c. ornatus sicut sponsa ornatur viro suo ;
d. illuminatus ipsa gloria divina ;

II. Ibi *oculus* delectatur lucis refulgentia et varietate, *aures* vocibus, musica, et choris, *olfactus, gustus, tactus* aptis propriisque deliciis vere divinis. Hi nunc in utilitatem praesertim concessi sunt, sed ibi erunt in gaudium superabundans : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos. » Ps. 35. 9.

III. Plena habebitur *immunitas* a morte, luctu, tristitia, invidia, inedia, labore, et omni sollicitudine ; eritque

pacis et securitatis summa consolatio, gaudiorum saturitas, et inenarrabilis gloria et felicitas.

IV. Illud erit **regnum Dei Patris** beatorum, — regnum coelorum, in quo Deus regnabit glorificatus cum sanctis omnibus. Sancti in illud intrabunt, sicut qui ingrediuntur in haereditatem propriam; in eo regnabunt cum Deo,.. in saecula saeculorum. Erit gloria Dei in sanctis suis. ibi Deus erit omnia in omnibus. Deus parabit mensam coelestem dignam munificentia divina, et coenam nuptiarum Agni.

O anima mea recogita magnificentiam domus nobis in coelis a Deo paratae, et vilescent tibi gloriae vanae et caducae exilii hujus caliginosi.

85. Societas sanctorum.

i. « Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. » Col. 1. 12.
ii. Petas ut vocatio tua adimpleatur.

I. In regione illa beatitudinis supernae erit *affabilis et suavis conversatio* cum Jesu, Maria et summis sanctis : —

cum Abraham, Moyse, David, prophetis; cum apostolis et primis martyribus, cum SS. Augustino, Chrysostomo, Gregorio, Bernardo, Bonaventura, Francisco, Thoma Aquinate, cum angelis nostris custodibus, et sanctis patronis.

Quot cum illis omnibus nobis dicenda erunt?

Principes ipsi spiritus coelestes nos tanquam fratres in eodem Patre agnoscent, ut beatos qui redempti sunt specialissimo Christi amore.

II. Inter incolas urbis coelestis *amicissimi* mihi erunt: — **Dominus ipse**, Pater, Verbum, Spiritus sanctus :
Domina et Regina, Beata Maria Virgo, Mater Dei :
ministratorii spiritus, novem angelorum chori, — angeli custodes :
tota beatorum *redemptorum familia*, qui nec hospites sunt nec advenae, sed cives, domestici, haeredes, cohaeredes cum Christo, filii cum Christo, quorum Deus est amantissimus Pater.
In hac familia numerabuntur :
sancti eminentes et sanctae,
patroni nostri, justi et justae multitudine innumerabiles,
sacerdotes, virgines, viduae, matronae, amici et cognati, animae quas Deus salvas fecerit propter labores, opera, preces nostras.

III. Audiantur suavissima verba Apostoli Pauli :
« Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum. » Heb. 12. 22-24.
« Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.» Ps. 83. 5.

86. Merces divina.

i. « Et dixit mihi : Factum est. Ego sum Alpha et Omega, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquae vitae, gratis. Qui vicerit possidebit haec, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. » Ap. 21. 6. 7.

ii. Cum plena fiducia mentem erigam ad mercedem certantibus reconditam in coelis.

---

1. In eloquiis divinis merces futura describitur tanquam:— *Domus* et *patria* peregrinis, — *requies* lassis, — *merces* laborantibus, — *honor* ignobilibus, — *consolatio* lugentibus, — *visio* immaculatis, — *regnum* pauperibus, — *saturitas* egentibus, — *corona* certantibus, — *victoria* tentatis, — *revelatio* perfecta filiis adoptivis ; « Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. » 1 J. 3. 2.

2. Inter laborem praesentem et mercedem futuram, *nulla* fieri potest *comparatio*.

« Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur. » 2. C. 4. 17. In quibus verbis perlucidis ac summa repletis consolatione singula animo attento perpendantur.

3. Inter praesens et futurum aequalitas nulla existit, sed solum *proportio* quaedam. « Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. » R. 8. 18.

a. Certe in se non sunt condignae : —

b. passiones nostrae, gratia Christi ad ordinem supernaturalem elevatae, quamdam habent proportionem ad gloriam supernaturalem, sed nullo modo aequalitatem. « Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me poena delectet, et omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis. » S. Franciscus cit. a Corn. a Lapide in h. 1.

« Nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tantae gloriae, tantique boni participes haberemur. » S. Augustinus. 1. c.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

87. Via ad coelum.

i. « Quam sordet mihi tellus dum coelum suspicio. » S. Ignatius.

ii. Ora ut in omnibus angustam viam secure teneas.

I. *Lex generalis.* « Serva mandata. » M. 19, 17.

« Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. » Eccles. 12. 13.

« Serva mandata mea, et vives, et legem meam quasi pupillam oculi tui : Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. » Prov. 7. 2. 3.

II. Postula suppliciter *perseverantiam finalem.*

« Vigilate, — omni tempore orantes, — ut digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt, — et stare ante Filium hominis. » L. 21. 36.

Deus exaudiet orationem, dummodo petitio supremo huic fini congruat. Pete igitur mercedem coelestem. Efflagita gratias quae ducunt ad coelum, auxilia ad virtutes exercendas, et praesidia ad tentationes repellendas.

III. *Officia quotidiana* omnia perage propter propriam tuam salutem. Sacramenta devote suscipe, orationes pie funde, studia diligenter obeas, muneribus fungere assidue, labores patienter sustine, recreationes hilariter ac modeste accipe, tristitias humili et constanti animo ferto.

IV. Devotum foveas animum erga *Beatissimam Dei Matrem*, quae nobis per pia suffragia conciliet id quod Filius sua ipsius potestate perficiat.

V. Studiose colatur *Sacratissimum Cor Jesu*, symbolum amoris insignis, quo Servator pro nobis vitam suam prodigus dedit ad salutem.

VI. Voluntas tua *divinae sit conformis* in tribulationibus quibusvis ; memor esto normae probationis spiritualis, quae verbis hymni pulchre proponitur : « Fabri polita malleo, et tunsione plurima. »

« Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » 1 P. 5. 6

Crucem portes post Jesum ; vitam tuam Christo trade in egestate, dolore, labore, infirmitate. « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » ib. 7.

VII. Ad bene moriendum *praepara te* indesinenter. « Et vos estote parati. » L. 12. 40.

« Adventum aeterni judicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo praevenitis. » S. Greg. Hom. I. in Ev. n. 6.

88. Carmina coeli.

1. Verba Tobiae de civitate coelesti dici poterunt : —

« Portae Jerusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur..... et per vicos ejus ALLELUIA cantabitur. » Tob. 13. 21. 22.

2. *Visio Isaiae* : —

Duo Seraphim « clamabant alter ad alterum, et dicebant : SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.» Is. 6. 3.

3. *Visio S. Joannis* : —

a. « Et *quatuor animalia*, singula eorum habebant alas

senas... requiem non habebant die ac nocte, dicentia: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. » Ap. 4. 8.

b. Procidebant *viginti quatuor seniores* ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem : quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. » Ap. 4. 10. 11.

c. *Quatuor animalia, et viginti quatuor seniores* cantant coram Agno : « Dignus es Domine accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabimus super terram. » Ap. 5. 9. 10.

d. *Chorus angelorum, quatuor animalium, et viginti quatuor seniorum* :

« Et erat numurus eorum millia millium, dicentium voce magna :

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. » ib. 12.

89. Carmina cœli. (2)

i. Nihil hominibus in terra commorantibus instantius urgetur quam rerum omnium Dominum confiteri, benedicere et cantu laudare.

ii. Quanta igitur erit pulchritudo carminum cœlestium in domo Dei, ubi laus divinae majestati ab electis creaturis incessanter offeretur.

1. *Chorus universalis :* —

« Et omnem creaturam quae in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in màri, et quae in eo : omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum.

Et quatuor animalia dicebant : Amen. » ib. 13. 14.

2. *Chorus virginum :* —

« Et vide : et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

Et audivi vocem de coelo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni : et vocem quam audivi, sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis.

Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra.... Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. » Ap. 14. 1-4.

3. *Carmen triumphale* de lapsu Babylonis : —

« Post haec audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo dicentium : Alleluia : salus, et gloria, et virtus Deo nostro est : quia vera et justa judicia sunt ejus..... Et iterum dixerunt : Alleluia. » ib. 19. 1. 3.....

Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen : Alleluia. » ib. 4.

4. *Carmen aliud triumphale :* —

« Et audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium :

ALLELUIA :

QUONIAM REGNAVIT DOMINUS NOSTER OMNIPOTENS. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei : quia venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus praeparavit se. » Ap. 19. 6. 7.

90. De die novissimo.

i. Contemplabor Dominum Jesum signa novissima discipulis praenuntiantem :

« *Et erunt signa in sole, et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum :* » L. 21. 25.

ii. Apparente signo Filii hominis, « *tunc plangent omnes tribus terrae.* » M. 24. 30.

iii. Petam sensum pium timoris Domini mei.

I. **Signa praevia.**

1. Evangelium praedicatum in universo orbe.
2. Conversio Judaeorum.
3. Apostasia magna.
4. Reditus Eliae et Henoch.
5. Adventus et persecutio Antichristi, et seductio multorum.
6. In coelis signa terrifica : « *arescentibus hominibus prae timore.* » L. 21. 26.

II. **Dies ipsa domini**, seu **dies novissima.**

1. Signum crucis in coelo. « *tunc parebit signum Filii hominis in coelo.* » M. 24. 30.
2. Adventus Christi cum Angelis, Apostolis, et Sanctis.
3. Sonus tubarum ; canente novissima tuba, mortui resurgent, et ictu oculi, rapientur vivi in judicii

locum. « *in Christo omnes vivificabuntur.* » 1. C. 15. 22.

4. Angeli judicandorum agmina disponent ; bonos a malis separabunt, hosque a sinistris statuent, a dextris illos.
5. Judicium erit omnium. « *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant : et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant : et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* » Ap. 20. 13.
6. Christus, e throno majestatis suae, sententiam aeternam utrique parti dabit.

III. **Quæ sequuntur** novissimum diem.

1. Conflagratio et renovatio mundi.
2. Ibunt justi in vitam, recedent mali in infernum.
3. Jesus, devictis inimicis universis, regnum suum Patri tradet.
4. Erit Deus omnia in omnibus.

Magnificabo Dei gloriam, potestatem, justitiam.

Statuam firmiter meipsum ad novissimum illum diem praeparare, — ad diem judicii mei, — ad diem quando pro me incipiet aeternitas.

« *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* » Ap. 22. 12.

91. De resurrectione carnis.

i. « Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est qui est vitae : et judicati sunt mortui ex his quae scripta sunt in libris, secundum opera eorum. » Ap. 20. 12.

« Et ego resuscitabo eum in novissimo die. » J. 6. 55.

« Credo in... carnis resurrectionem. »

ii. Vivam postulabo fidem carnis meae resurrecturae.

I. *Dogma fidei capitale* est resurrectio carnis, anima jam vivente.

« Si resurrectio mortuorum non est, neque Chistus resurrexit. » 1 C. 15. 13. Testis est magnus Augustinus violentiae et frequentiae,qua ab infidelibus impetebatur hoc fidei Christianae punctum essentiale : » « In nulla re sic contradicitur fidei Christianae, quam in resurrectione carnis. » S. Augustinus. Enar. in Ps. 87. n. 5. (M. 4. 1134).

« Propria fides Christianorum. resurrectio mortuorum. Hanc in se ipso, id est resurrectionem mortuorum, caput nostrum Christus ostendit,et exemplo fidei nobis praestitit ; ut hoc sperent membra in se, quod praecessit in capite.» Sermo 241. n. 1. id. (M. 5. 1133).

1. Quae resurrectio praedicatur ut *universalis*, id est, eorum qui prius mortui sunt, et eorum qui die ipso supremo vixerint, et dum raperentur Christo obviam in aera, morte affecti fuerint.
2. Resurget *corpus nostrum physicum*. « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem.» 1 C. 15.53.

   « Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo de terra surrecturus sum :

   Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : reposita est haec spes mea in sinu meo. » Job. 19. 25-7.
3. Resurgent corpora *aspectu diversissima*. « Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectia mortuorum. » 1 C. 15. 41-2.
4. Sed omnia pariter tunc erunt *immortalia*. « Oportet enim.. et hoc mortale induere immortalitatem. » ib. 15. 53.

II. Dei providentia suavis

1. decrevit vitam coelestem dare ipsi corpori, quod fuit animae socius et collaborator in stadio probationis :

2. disposuit ut beatitudo finalis complecteretur homines in carne, qui similes essent incarnato redemptori :
3. voluit ut corpus, quod et ipsum tot ritibus et sacramentis sanctificatum fuit, in gloria splendide restauraretur.

III. Laudabo Dei omniscentiam et omnipotentiam in opere stupendo resurrectionis.

92. De splendore corporum justorum.

i. Considerabo coetum splendidum beatorum, qui cum Christo ibunt in vitam aeternam.
ii. Gratiam petam spei magnae.

I. In coelis nihil reperietur inquinatum, nihil non clarum, pulchrum, mirabile ; nihil coelesti societate et Dei magnificentia indignum.

Jamvero inter corporeas dotes conspicientur istae : —

1. *impassibilitas*, qua fit ut beati nec dolore tristitiave ulla afficiantur, nec molestiam pati possint, nec ignis, nec frigus, nec violentia ulla eis valeat nocere. « *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* » 1. C. 15. 41. 42. « *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* » Ap. 21. 4.
2. *claritas*, quae erit fulgor radians ex corpore ob animae beatitatem eminentem. « *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* » M. 13. 43.

« *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* » 1. C. 15. 43.

Hujus dotis similitudo habetur in mirabili transfiguratione Christi.

Claritas insuper ista erit *diversa in diversis*, prae diversitate felicitatis in anima. « *Stella enim a stella differt in claritate : Sic et resurrectio mortuorum.* » 1 C. 15. 41. 42.

Specialis demum *aureola* insignientur martyres, virgines, atque doctores. De doctoribus notetur dictum propheticum : « *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* « Dan. 12. 3. Accedit et illud Dionysii : Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum. Cf. De Divinis Nominibus. c. VIII. n. 9.

3. *subtilitas*, qua corpus proprietates quasdam spirituales induetur. « In eo consistit, quod ex una parte cessabunt operationes animales, ut nutritio et generatio, et ex altera parte corpus sine ullo impedimento serviet spiritualibus animae operationibus.»Pesch. sec. S. Thomam. IX. n. 693. Igitur corpus nullo detinebitur obstaculo materiali, nec cibo, potu, somno, requie indigebit.
4. *agilitas*, qua, anima volente, citissime corpus de loco in locum movebitur.
5. *integritas*, seu corporis plena perfectio et pulchritudo. « *Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* » Ep. 4. 13.

93. De corporis resurrectione (Repetitio).

1. Sta in imaginatione ante apertum tumulum, et ausculta verba Domini, quæ recitat sacerdos : « *Ego sum resurrectio et vita.* » J. 11. 25.
2. Revocentur verba Job : « *Quem visurus sum ego ipse,*

et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. » Job. 19. 27.

3. Corpus quod resurget erit vel gloriosum vel horrendum.

4. Si in vitam æternam ingressurum erit, splendidissimis refulgebit qualitatibus.

5. Resurrectio futura est vitae humanae restauratae corona et merces admirabilis.

6. Quanam nunc via attingenda est beatitas ista ?

a. Nulla unquam repromittitur gloria futura respectu roboris, pulchritudinis, vel excellentiae figurae humanae in vita praesenti, sed unice respectu virtutis interioris.

b. Vera corporeae naturae perfectio, honor, fulgentia, decor, felicitas nobis (si fideles fuerimus) in coelo reservatur.

c. Infirmitas, ignobilitas, dolor, passiones, quae in stadio probationis occurrunt, dotes oppositas operantur in superna beatitudine. Saepe itaque corporis gloria coelestis contraponitur praesenti corporis ignobilitati et miseriae.

Si enim complantati facti sumus in similitudine mortis ejus (per passiones, labores, contumelias, odium et fugam omnis concupiscentiae) *simul et resurrectionis erimus.* » R. 6. 5.

d. Accipe tandem verba haec consolatione plena : — « *Salvatorem expectamus... qui reformabit* (i. e. transfigurabit) *corpus humilitatis* (i.e. humile) *nostrae configuratum corpori claritatis suae.*» Phil. 3. 20. 21.

94. Judicium universale.

i. « Hoc signum crucis erit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit. »
ii. Rogabo timorem tremendi judicii Dei.

I. *Documentum fidei* ita nos docet de ultimo et universali judicio :

« Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. »

II. Judicii *indoles* haec erit :

1. examen, seu *manifestatio* omnium meritorum et demeritorum, quae probabiliter mentaliter fiet : « Et cuncta quae fiunt, adducet Deus in judicio pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit. » Eccles. 12. 14.
2. judicium simpliciter *universale* erit, cui omnis intererit creatura rationalis, angeli, et boni et mali, homines, pii et impii, et infantes qui baptismo praemortui sunt :
3. pronuntiabitur duplex *sententia finalis ;* « Venite benedicti, » et « Discedite a me maledicti. »
4. judicis sententia illico *mandabitur exsecutioni* : « Beati cum Christo ascendent in coelum, damnati vero igne conflagrationis universalis corripientur et terra dehiscente in gehennam descendent. » Suarez. De myst. vitae Christi. D. 58. s. 1. nn. 1. 2.

III. Vindicabitur 1. Dei *majestas* in splendore adventus Jesu Christi :

« Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae. » M. 25. 31.

2. Dei *omniscientia* in terribili omnium factorum perscrutatione : « Scrutans corda et renes Deus. » Ps. 7. 10.
3. Dei *potentia* in vi irresistibili, qua omnes compellentur ad sententiam recipiendam: « Tu terribilis es, et quis resistet tibi, ex tunc ira tua. » Ps. 75. 8.
4. Dei *misericordia*, qua peccatoribus indulsit.
5. Dei *sapientia* et *justitia*, quae tunc in omnium conspectu splendidissime apparebunt.

IV. Gloriosus Christi Redemptoris triumphus omnibus patebit, piis in exultationem, impiis in vindictam.

V. Sententiae pluribus in individuo jam notae, *publicabuntur universis*, maledictis ad confusionem horrendam, justis ad retributionem et compensationem magnificam.

95. Judicium universale (2).

i. « Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis. » Ap. 20. 12, 15.

ii. « Nec me revocabat a profundiore voluptatum gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. » S. Aug. Conf. vi. 16.

iii. Pete ut semper memoreris novissima tua.

I. *Ostensio majestatis* Dei viventis, legislatoris ac judicis hominum universorum : —

« Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque ad occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. » M. 24. 27 ;

« Parebit signum Filii hominis in coelo. » ib. 30.

« Plangent omnes tribus terrae. » ib.

« Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli, cum virtute multa et majestate. » ib.

« Mittet angelos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus. » ib. 31.

Tunc athei blasphemabunt et trement ; agnostici splendore percellentur et suae obcoecationi maledicent ; catholici flagitiosi infamia opprimentur.

II. *Revelatio secretorum cordium* : —

Rapidissima et publica erit actuum bonorum et malorum revelatio. Bona quae feceris, si feliciter inter bonos numeratus fueris, revelabuntur, mala vero, si inter malos miserrime sis collocatus.

III. *Solemnis sententia judicis Christi* : —

« Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » M. 25. 34.

« Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » ib. 41.

96. De processu judiciali.

I. *Apparitio Judicis.* Canente novissima tuba, cujus sonus pertingit ad ultimas terrae partes, rapiuntur homines vivi et mortui ad locum judicii ; signum Salvatoris, crux lucidissima, in coelis coruscat ; Christus judicaturus apparet, summo fulgens splendore, piis aspectu amabilis, impiis terribilis ; illis venit ad consolationem, his vero ad desperationem. Pavor reprobos opprimit, et « incipiunt dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos. » L. 23. 30. Splendescit et terret fulgentissimus ignis, qui dum beatos illustrat, impiorum corpora coepit torquere.

II. *Judex* est Christus ; Verbum divinum in natura humana gloriosa : judicis accessorii, et ministri sunt sancti eminentiores et angeli.

III. *Judicandi* sunt homines, infantes non baptizati, angeli.

IV. Discussio est manifestatio factorum in stadio probationis ; « manifestabit consilia cordium. » 1. C. 4. 5. Subitanea mentium illustratione revelantur omnium opera bona et mala ; nullus est locus tergiversandi, nec intercessionis, neque defensionis, neque misericordiae, sed solius justitiae. Singulis pro meritis determinatur ac mente percipitur gradus gloriae vel poenae recipiendae.

V. *Sententia* voce solemni, sensibili, publica profertur,—
1. *damnatorum* : « Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » M. 25. 41.
2. *beatorum* : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » M. 25. 34.

VI. Subsequitur sententiae *exsecutio* subitanea et irrestibilis : irruit ignis, rapit damnatos, qui in infernum trahuntur ; beati Christum in requiem aeternam coelesti triumpho comitantur.

97. De mundi renovatione.

i. Dicta apostolica in memoriam revocentur : « praeterit figura hujus mundi. » 1 C. 7. 31 ; « haec omnia dissolvenda sunt. » 2 P. 3. 11.

ii. Is esto spiritus noster quem suggerit apostolus : « expectantes et properantes in adventum diei Domini. » ib 12.

I. *Factum* : « terra et quae in ipsa sunt opera, exurentur. » 2 P. 3. 10.

« Ecce nova facio omnia. » Ap. 21. 5.

II. *Quomodo fiet ?* Ignis combustione et purificatione. Sicut mundus diluvio periit, ita cœli qui nunc sunt, et terra, igni reservati sunt in diem judicii. Cf. 2 P. 3. 6. 7.

III. *Quid fiet ? Consumptio* sordium, reliquiarum memoriarumque peccatorum, plantarum animaliumque ; omnium prorsus in terris fiet *purificatio* ; *augmentum* denique splendoris in stellis, planetis ac terra. Ista enim non amplius ad utilitatem, sed ad majorem dumtaxat perfectionem et gloriam beatorum adsunt. Regnum Christi aeternum et mansio cœlestis intra fines hujus planetae nequaquam continebuntur ; nihilominus tellus haec nostra beatis erit singulari modo amabilis ; quia locus fuit tot ac tantarum misericordiarum Dei.

IV. *Quando fiet* ? Peracto judiciali processu latisque sententiis, ignis statim involvet et abripiet malos ; mundum et cœlum beatis saltem proximum purgabit, ut omnia sint apta ad beatitatem supernam, quam Deus dilectis suis praedestinavit.

V. *Finis* erit ut corporum renovatio universa respondeat innovato animarum splendori, et ut in omnibus convenientius reluceat divina perfectio.

« Novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.

Propter quod carissimi haec expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. » 2 P. 3. 13. 14.

Caput V. Gressus quibus itur ad perfectionem.

Articulus I. De Perfectione ipsa.

98. De desiderio perfectionis. [1]

1. *Quid sit* perfectionis desiderium ?
   Fervens cordis inclinatio in illum Dei amorem, quem Deus a me exposcit. Includit cognitionem propriae perfectionis, animum illam prosequendi et depellendi malas propensiones huic repugnantes.
2. Interdum *a Deo conceditur* nec quaerenti eam, nec de ea cogitanti ; haec autem est edacissima fames et sitis perfectionis, qua anima, quavis contempta difficultate, ad Deum instinctu divino impellitur.
   Temporaneum fortasse erit desiderium perfectionis, quo si fruar, festinare, currere, eniti maxime oportet, ut tempore isto valde opportuno longum iter facere valeam. « Quaesierunt me qui ante non interrogabant.» Is. 65. 1.
3. Aliud desiderium perfectionis a nobis ipsis excitatur, quo efficimur « *viri desideriorum* » Hujus desiderii vehementia et robore, vincimus difficultates, infirmitates. et spiritum socordem stimulamus.
4. Desiderium *parit* desiderium. « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus. » Ps. 41. 2.

---

1. Alvarez de Paz De Perfectione Lib. v. cc. 1-4.

« Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. » Ps. 118. 20.

5. Desiderio jugenda sunt *opera*.

« Desideria (inefficacia) occidunt pigrum. » Prov. 21. 25. Sit igitur desiderium ardens, forte et efficax. « Quamvis omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostrae tamen fructum quaerit industriae. » S. Leo. Sermo II. in Epiph. versus finem.

Ad desiderium efficax consequuntur opera strenua contra vitia, luctus contra passiones, et conamina virilia ad virtutes adipiscendas. « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. » M. 5. 6.

6. Saltem *desideremus desiderare* perfectionem. Audit enim Deus exiguam illam vocem. Et si prae infirmitate voce sincera non valemus perfectionis donum desiderare, nihilominus sine voce, sine gemitu optima nostra desiderare desideremus. Nam vocem illam internam audit Deus. « Concupiscimus desiderare, quasi non sit potestatis nostrae desiderium sed gratiae Dei. »

99. De regno Christi [1].

i. Imaginabor synagogas, oppida, castella, ubi Christus praedicabat.

ii. Gratiam poscam fideliter respondendi Christo me vocanti.

I. *Parabola*. 1. Repraesentabo menti meae regem humanum, pium, sapientem, victorem, divinitus nominatum, cui omnes et principes et populi Christiani reverenter obediunt ;

2. Rex ille sic alloquitur suos ; —

1. (Secundum S. Ignatium.)

« Ego, ex Dei mandato, profecturus sum ad omnes terras infidelium subjiciendas. Vos omnes invito mecum ire. Sed qui me comitari voluerit, debet esse contentus eodem cibo, potu, vestitu, quo ego utor ; debet laborare die ac nocte, sicut et ego.

Hisce positis conditionibus, mecum victoriam participabit. »

3. Quid boni subditi responsuri sint ?

II. *Explicatio.* 1. Christus est rex noster, Filius Dei, a Patre missus, cui omnes debent cultum adorationis.

2. Christus annuntiat se velle universum mundum sibi subjicere, ut una cum ipso, omnes possint in gloriam intrare.

Nos itaque invitat ipsum sequi. Lex primaria hujus expeditionis sacrae est, ut contenti simus iisdem quibus et dux ipse, — cibo nimirum potuque parco, vestitu simplici, labore continuo.

3. Prudentes omnes sese totos ad opus offerunt.

Sed qui magis amant Christum, et cupiunt insignes esse in servitio regis sui aeterni, ita se offerunt ut agendo contra sensualitatem, amorem carnalem et sui et mundi, meliores oblationes Domino praestent.

Adeoque hi, non solum carnis rebellioni renituntur, verum etiam in licitis student propensiones suas debellare earumque vires frangere.

100. De regno Christi. (2) [1]

I. *Similitudo.*

1. Rex fortis, pius, sapiens, amabilis, prudens et divinitus constitutus,

1. Secundum S. Ignatium.

2. rogat homines ditionis suae ut ipsum comitentur ad opus magnum et beneficum perficiendum, ita ut sortem, labores, praelia, victoriam spoliaque secum sint participaturi.
3. Alii quidem venire recusant, alii nonnisi segniter respondent, alii vero sese offerunt tanquam fortes et generosos ad omnia paratos.

II. Similitudinis *applicatio*.

1. Christus est rex ille, qui nos, confratres suos dulciter invitat ad praeliandum pro regno coelorum, eo ipso modo quo ipse jam praeliatus est, ut nos una cum ipso eadam gloria victoriae perfruamur.
2. Alii tamen, vocante Christo, surdas praebent aures ; alii vero sponte sese offerunt totos ad Christum sequendum (cujusmodi sunt boni laici) ; alii demum ad quodlibet opus arduum et difficile, generoso animo sese offerunt, ut *insignes* inter milites habeantur (cujus classis sunt boni sacerdotes, et maxime missionarii).
3. Revera tamen ut Christum expeditius sequantur, ipsos oportet eradicare plane quidquid tanto operi videtur obstare, cujusmodi sunt : —
   a. sensualitas (sensuum oblectamenta, libertas fruendi sensibus) :
   b. amor sui circa commoda, otium, vanitatem, honorem, ambitionem :
   c. amor mundanus, cujus manifestationes sunt voluptas, opes, luxus, principia Christo adversantia.

   Neque sufficit praecidere tantum propensionem dum surgens tendit ad mala ; sed penitus debellanda est, ut malitia ejus frangatur, et evellatur, quod fit *agendo contra* propensiones seu appetitus ceteroquin bonos.

101. Protestatio boni militis Christi [1].

I. Imaginatione menti repraesentabo Christum me vocantem : —

« Sequere me : »

« Ego elegi vos de mundo ; » J. 15. 19.

« Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis : » ib. 16.

« ubi sum ego, illic et minister meus erit. » J. 12. 26.

II. « Aeterne Domine/ rerum omnium/,

ego facio meam oblationem/ cum Tuo favore et auxilio/,

coram infinita Tua bonitate/,

in conspectu Beatae Mariae Virginis/, et omnium sanctorum/,

qua volo (voluntate sincera ac stabili),

qua desidero (et haec est mea determinatio deliberata, bene considerata, libere posita, robusta ; etiam si in aliquo deficere videor,

« Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. » Ps. 118. 20),

quantum possum (scio enim ignorantiam meam et infirmitatem),

imitari Te (« discite a me »),

in ferendis/ injuriis/ adversis/ vituperio/ paupertate,

dummodo hoc sit in majorem laudem Tuam,

et in majorem praestolationem obsequii mei,

si placuerit Tibi/ me eligere in apostolatum.

Haec sane tota indoles vitae meae praesentis, ut continuo/,

---

1. Secundum S. Ignatium).

in omnibus/, constanter/, et ardenter/ induere studeam/ novum hominem...

mores apostolicos/, sensum Christi/, zelum animarum. »

102. Incitamenta ad perfectionem.

I. *Voluntas Dei.*

« Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. » 1. Thess. 4. 3.

« Estote perfecti,sicut et Pater vester coelestis perfectus est. » M. 5. 48.

« qui eripuit nos de potestate tenebrarum (ignorantiae, concupiscentiae, servitutis diabolicae), et transtulit in regnum Filii dilectionis suae. » Col. 1. 13.

II. *Vocatio Christi .*

Quos vult suos esse Christus e turba seligit, eosque honorat speciali gratia, instructione, disciplina, societate.

Eos porro deputat ut vice sua agant, nominibus familiaribus eos vocat.

Quanta fecit Christus, quanta modo facit, eo solo fine, ut dignus evadam discipulus et apostolus.

III. *Aliorum salus.*

Minister Christi ero,ut per Dei gratiam alios homines plurimos mecum in salutem adducam ; cui muneri quam maxime proderit illa animi vis et attractio, quae ex perfectione vere Christiana dimanat. « Dedi te in lucem gentium. » Is. 49. 6.

IV. *Merces divina.*

1. *in hac vita :* —

a. Dei pia familiaritas ;

b. afflatus divinarum inspirationum —
ad verum intelligendum ;
ad bonum faciendum ;
ad malum vitandum ;

c. ineffabilis laetitia divinae praesentiae,et pax animi, quibus veri Dei cultores gaudere solent.

2. *in futura vita* : — merces illa magna nimis, nullis verbis humanis exprimenda, nulla mentis cogitatione comprehendenda, — bibere de torrente felicitatis purae,conspicere Deum ipsum, recipere praemium de manu ejus.

103. Quatuor cautelae. [1]

i. Mente fingam occursum triplicis hostis mei (diaboli, carnis, mundi), et in memoriam revocabo tristem nonnullorum defectum a via perfectionis, vel etiam a via salutis.
ii. Postulabo sanctam prudentiam.

Proficientibus in servitio Dei, S. Bonaventura quatuor praesertim cavenda indicat :

I. *Non tepescere.*

Quidam enim cito fiunt tepidi in bonis, desides in agendo, leves in considerando.

« Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. » Ap. 2. 4.

II. *Exemplis tepidorum non moveri.*

Istiusmodi exempla in actione, verbis, principiis habentur. Qui videt alium verbosum, elatum, rebellem, irregularem, mundanum, leviorem, ne dicat sibi, « Haec, cur non et mihi licent ? » Sed potius dicat :

1. S. Bonaventura. De Profectu religiosorum. I. c. 1.

« Ista non intelligo Hoc tamen bene intellexi, me huc venisse propter Deum, nec propter ullum alium a Deo retrocedam. » Pius quidem non mala sed bona attendit exemplaria.

III. *Facta aliorum temere non judicare, neque se immiscere rebus et negotiis aliorum.*

Hoc enim esset vel charitatem laedere, vel cor proprium inutiliter perturbare. Parati semper simus ad quemlibet adjuvandum, tardi vero ad immiscendum nos rebus alienis.

IV. *Non frangi adversitate,* quod diversimode evenire posset : —

1. infelici studiorum exitu, — reprehensione sive justa sive injusta, duritie vel inconsideratione sociorum, — infortuniis domesticis :
2. tentationis violentia :
3. scrupulorum anxietate.

Contra vero perpendamus quod ideo venerimus ad Dei servitium, ut omnia huic servitio propria vel contingentia, laeti feramus.

« Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide : quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Act. 14. 21.

104. Quatuor axiomata sancti Bernardi.[1]

1. Nunquam mente excidat *peregrinos* nos esse, longe factos a patria, pulsos haereditate ; futuram inquirimus civitatem : recta igitur via pergamus : si haeremus, retardamur a patria.

Ex rebus mundanis solo viatico intineris nostri opus habemus.

1. Cf. Praef. ad Vol. II Opp. S. Bern. nn. XVI-XIX.

An finis vitae distincte ob oculos meos ponitur ?

An nimio affectu adhaereo iis quae in via reperiuntur, v. g. occupationibus, locis, recreationibus, sociis, cognatis ?

2. Profectus noster in eo consistit ut *nunquam arbitremur nos comprehendisse,* sed semper extendamur ad anteriora (quod fecerimus haud respicientes, sed prospicientes quid faciendum supersit), ut incessanter conemur in melius (nisu, vi, animo generoso ad majora anhelantes), et quae in nobis sunt minus perfecta, divinae misericordiae obtutibus exponamus.

3. In veritate didici nil aeque efficax ad gratiam promerendam vel retinendam vel recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere sed *timere*, et tanto amplius... quanto majora ejus munera percepimus, « Qui timet Deum faciet bona. » Eccli. 15. 1.

4. *Gratos* nos continuo Deo exhibeamus tum ob beneficia generalia, tum ob particularia,.. pro quotidianis gratiis, pro vocatione ecclesiastica.

Hoc primum respicientes officium, — gratias rependere. Gratus animus et alia beneficia invitat, humilem et pium ostendit.

105. De statu gratiae divinae [1].

i. « In justitia tua libera me. » Ps. 30. 2.
ii. Petam summam gratiae aestimationem.

I. *Quid* haec Dei gratia ? Est donum purum absque ullo

Alvarez Op. cit. Lib. II. c. 1.

merito nostro. Gratia sanctificans est affectio manens in anima, est habitus mentibus justorum infusus per Spiritum sanctum, qui datus est illis.

Ipsam animae naturam perficit, eamque deiferam reddit, et divinae consortem naturae. Ac revera

1. destruit peccata ;
2. est lumen divinitus immissum (« qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. » Col. 1. 12) ;
3. decor est, vel pulchritudo qua anima Deo amabilis constituitur ;
4. vestis est nuptialis, et semen vitae aeternae nuncupatur, et fons aquae salientis in vitam aeternam ;
5. est vera vita spiritus, quam Deus in nobis spiravit.

Cupiam hisce veritatibus saturari, impelli ; statuam enixius proposita mea adimplere.

II. « *In Deo vivimus* » per gratiam ab ipso perenniter concessam, qua anima : —

1. specialibus qualitatibus elevatur ad divina, (gratia [sanctificans) ;
2. specialibus auxiliis adjuvatur in actibus, (gratia [actualis) ;
3. specialibus ornamentis ditatur, (dona Spiritus [sancti) ;
4. specialibus dotibus fulget, (fructus Spiritus sancti) ;

« *movemur* » (meritis « ibunt de virtute in virtutem, — videbitur Deus deorum in Sion. » Ps. 83. 8. Virtutum merita sunt gressus nostri, quibus a mundo recedimus et ad cœlestia tendimus),

« *et sumus* » (mansione, stabilitate). Act. 17. 28.

Spiritus sanctus in animabus justorum inhabitat.

III. Ratione hujus gratiae sanctificantis Spiritus sanctus in animabus justorum *inhabitat*. « Vos estis templum Spiritus sancti. » Sane

« Nescitis quia templum Dei estis » 1 C. 3. 16.

« Vos estis templum Dei vivi. » 2 C. 6. 16.

« membra vestra templum sunt Spiritus sancti. » 1 C. 6. 19.

Sicut vita corporis anima, ita vita animae Deus, per gratias scilicet quas confert. « Glorificate et portate Deum in corpore vestro. » 1 C. 6. 20.

An magni facio hanc Dei gratiam sanctificantem ? An sollicitus sum ut servem illam incolumem ? An laboro ut augeatur ? An contristor de amisso aliquo gradu gratiae ?

106. Indicia vitae vere spiritualis [1].

1. *Spiritus contritionis*, quae vera est (i. e. spiritus sincerae detestationis peccatorum, apto motivo excitatus), et efficax (i. e. qui relapsum impedit).

   De singulis indiciis hoc proponitur examen : —

   a. An indicium istud in me reperiatur ?

   b. An verificetur etiam quoad culpas veniales ?

2. *Voluntas stabilis* et firma peccatum grave nunquam committendi.

   « Omnis qui in Christo manet, non peccat. » 1 J. 3. 6. Hoc excludit tum peccatum, tum peccandi desiderium. Qui sic facit non hostis est, sed famulus fidelis.

3. *Diu peccatum lethale non commisisse* : quia sicut corpus mortuum brevi foetet, ita peccatum mortiferum (nondum poenitentia deletum) alia secum trahere solet.

4. *Legis observantia*.

   De justo enim dicitur, « In lege Domini voluntas ejus. » Ps. 1. 2.

---

1. Alvarez. l. c. c. 3

« Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » J. 14. 21.

« Haec est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. » 1. J. 5. 3.

5. *Lux quaedam coelestis,* qua justi fallacem saeculi vanitatem percipiunt, coelestia mysteria suaviter contemplantur, et illustratione donorum Spiritus sancti diriguntur. « Accedite ad eum, et illuminamini. » Ps. 33. 6.

Ad Deum accedimus duobus pedibus, charitate scilicet Dei, et charitate proximi.

An expertus sum lumen istud ? An utor duobus illis pedibus ? An sumo media apta, ut mens mea de rebus divinis illustretur ?

6. *Flagrans Dei charitas*, qua Deum ferventer diligimus, et proximum quemlibet.

106. Indicia gratiae divinae. [1]

1. *Laetitia* de rebus coelestibus.

Gaudium quidem non de rebus caducis, sed de iis quae permanent, — i. e. de Deo. de divinis, de aeternis, de virtute, de amore Dei, de gratia.

Videt justus virtutis semitas tristes haud esse, sed omnem mundi exultationem longe superare.

« Viae ejus viae pulchrae, et omnes semitae ejus pacificae. » Prov. 3.17.

2. *Pax*, « exsuperans omnem sensum. » Phil. 4. 7.

Haec sedat animi tumultus, anxietates conscientiae, concupiscentias ; ea praesente tentationes mitigantur,

1. Alvarez l. c c. 4.

concupiscentiae consopiuntur ; anima virtutibus acquirendis incumbit.

Haec testificantur magistrum adesse, et in pace factum esse locum ejus. Ps. 75. 3.

3. *Contemptus saeculi*, et desiderium patriae coelestis, terrenorum displicentia, aestimatio supernorum. Anima sine delectatione esse non potest : aut igitur infimis delectatur, aut summis ; quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit circa infirma.

4. Aut *non timere mortem*, aut eam aequo et alacri animo expectare, aut eam valde cupere sicut rem desiderabilem et pretiosam. Verba amantis sunt ista : « Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo.» Phil. 1. 23.

5. *Conscientiae propriae testimonium* non increpantis nos. Etenim dedit Deus conscientiam ut « pharon, » et luminare quo peccatum detegeremus. « Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum. » 1. J. 3. 21. « Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. » 2 C. 1. 12.

Debet tamen quisque cum timore exultare, quia donum Dei est unde exultat, non meritum suum.

6. *Testimonium Spiritus sancti*. « Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. » R. 8. 16.

107. De vitae spiritualis actione propria.

i. Contemplemur scenam illam ubi Christus cum Maria colloquebatur, dum Martha « satagebat circa frequens ministerium. » L. 10. 40.

ii. Revocemus dictum illud, quod Deus creavit hominem in

statu gratiae, et posuit eum in paradiso ut operaretur et custodiret illum.

1. Vita spiritualis pariter consistit in *opere et custodia ;* in opere nempe et augmento virtutum, et in custodia earumdem, seu in perseverantia.

An ex animo studio virtutum incumbimus ?

2. Sicut vita naturalis in justa facultatum exercitatione sita est, ita vita spiritus non in unius tantum, sed in omnium virtutum cultu absolvitur ; conplectitur enim debitam nostrae actionis perfectionem erga Deum, proximum, et nosmetipsos, ac insuper ea speciatim, quae propria sunt statui nostro.

Quam dignus est Deus ut omni mentis studio colatur !

An solliciti sumus, ut in nobis virtutes augeantur ? Quibusnam nunc operam damus ?

3. Opus illud arduum virtutes excolendi non est identidem solum, sed *continuo* peragendum.

Qui enim non infrequenter mundanis inutiliter se ingerit, vel tepori cedit, vel otio nimis indulget, vires suas frangit vel dissipat. Spiritualis enim actio leges sequitur vitae omnis creatae, quae exercitatione evolvitur. Necesse igitur est ut continuo faciamus vel opera secundum se bona, vel saltem opera, quae, licet ex se sint indifferentia, intentionis tamen rectitudine ad ordinem spiritualem evehuntur.

4. Ex quibus inferre licet juvenem illum spiritualem non esse, qui raro vel nunquam cogitat de orando nisi in ecclesia, aut qui plerumque negligenter orat, aut mundana praesertim delectat audire, narrare, et meditari, dum res coelestes fastidit, aut qui parvipendit obedientiam aliave officia Seminaristae, aut habitum et ordinem juvenis ecclesiastici obtinuit, at apostolo-

rum spiritum sincerum apprehendere ac in se reproducere parum sollicitus est.

5. Vir spiritualis cupit saltem dicere posse cum S. Paulo : « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Gal. 6. 14 ; et sibi proponit tamquam normam agendi praeclarum illud : « Soli Deo vivere in Christo. »

Quapropter necesse est ut nos, qui Dei sumus ministri futuri, apostoli, lux gregis, et animarum magistri, Domino nostro assidue famulari enitamur.

108. Quid agat vir spiritualis ? [1].

I. Homo *spiritualis*, ut talis, operatur actus virtutum, cujusmodi sunt : —

1. sapere coelestia ;
2. meditari Deum, illumque revereri, ejusque promissa sperare, eumque super omnia creata diligere ;
3. mundana contemnere, condonare proximi offensas, semetipsum despicere, corpus et affectus inordinatos subjicere, superioribus obedire, munera status sui fideliter adimplere.

Haec et similia solum nostrum verum bonum sunt, quia nos conducunt ad bonum nostrum immutabile « Vanitas vanitatum et omnia vanitas: praeter amare Deum et illi soli servire. » De Imit. Christi. l. c. l.

II Homo, *naturalis*, ut talis, manducat, bibit, dormit, requiescit, se recreat, acquirit divitias, scientiam, honorem, potestatem, robur, vel alia hujus generis.

Ista vero secundum se, nec bona sunt nec mala, sed mala vel bona evadunt ex usu. Si recto fine et

1. Alvarez. l. c. c. v

modo adhibentur, evehuntur ad altiorem statum operum moraliter bonorum. Ea igitur sunt ita peragenda, ut non ad vitam carnalem restringantur, sed ad vitam vere et proprie spiritualem attollantur.

« Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.» 1 C.10.31.

« Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. » Col. 3. 17.

III. Homo etiam agit ut *peccator*. In solis actibus peccaminosis verum nostrum malum reperitur : cujus generis sunt : —

1. peccare mortaliter (quod est exitium vitae spiritualis) ; vel
2. peccare leviter, ut irasci, temere judicare, murmurare, invidere alicui, orare oscitanter, injuncti muneris officia inepte peragere ; haec e latere vitae spirituali insidiantur, et nos esse peccatores, et ex parte saltem viros carnales, alte proclamant.

109. De modo quo agit vir spiritualis.

i « Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillae in manibus dominae suae : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. » Ps. 122. 2.

ii. Principium recte agendi : — Opus est ut opera secundum se bona, et opera secundum se indifferentia, debant mente et voluntate in debitum suum finem referantur.

I. Finis autem iste est Deus colendus, amandus, glorificandus.

Ac sane :

1. Deus unica intentione omnia e nihilo evocavit, ut nempe, digne manifestet se suaque attributa. Deus igitur glorificandus est tanquam ultimus universorum finis necessarius et certo assequendus.
2. Eundem esse finem omnium aperte declaravit sacer scriptor : « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » Prov. 16. 4.
3. Idem consequitur ex eo quod Deus dignatus est hominem condere ad imaginem et similitudinem suam, « filius Dei » nominatur, et ratione gratiae « deifer » merito vocatur et est. Hinc necesse est ut homo, ita constitutus et evectus, normam agendi divinam tanquam suam prorsus sequatur.
4. Idipsum Christus suavi sua invitatione significavit, quando dixit : « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. » M. 5. 48.

Quum totum itaque creationis opus finem unum adimpleat ex Conditoris primitiva et suprema intentione, nefas proinde erit creaturae liberae alium sibi praefigere finem, illo vel excluso vel neglecto.

Quapropter « Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. » M. 6. 23.

« Quod est corpus sine vîta, hoc est opus sine intentione bona. » Richardus a S. Victore. De statu int. hom. c. vii.

Huc etiam spectant verba Domini : « Non quaero gloriam meam, est qui quaerat et judicet. » J. 8. 50.

« Non ergo (ait S. Augustinus) quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. » Sermo Dni in monte. Lib. II. c. XIII. n. 46. (M. III. 1289)

II. In opere quovis bona praefigatur intentio, — verbi gratia :
1. in principio diei omnes actiones Deo consecrentur :
2. in decursu actionis (si longior sit) renovetur intentio :
3. singulis horis ferventer instauretur :
4. actio indifferens intentione bona sanctificetur.

110. De actionibus rite instituendis.

i. Ob oculos ponatur Christus orans, laborans, colloquens cum beata Virgine et S. Joseph.

ii. Petam saltem modicum intentionis illius curae, et tranquillitatis quae elucebant in operibus Domini.

Inprimis considerentur *ordo et modus* agendi recte.

1. Secundum *rectum ordinem* prius fiant illae actiones, quae sunt de praecepto, quae sunt —

   vel 1. *communes* omnibus (ut debitum orationis pensum, pia sacramentorum susceptio, caritas, humilitas) ;

   vel 2. muneri vel statui *propriae* (ut sunt studium, obedientia superioribus exhibenda, spiritus ecclesiasticus) ;

   quibus accedunt illae quae sunt de consilio, vel quae sunt libere susceptae.

   Singulorum excellentiam et necessitatem breviter perpendam, et meipsum circum ea generali modo examinabo.

2. Quod ad *modum* attinet, quo exercendae sunt actiones viri spiritualis notandum quod 1. in actionibus quae sunt de se bonae agendum est *ferventer*, i. e. cum ea sollicitudine, quae postulatur in operibus in obsequium Dei factis ; et *quiete*, i. e. tempus iis dando sufficiens cum animo ab aliis negotis amoto ; nihil abbreviando, neque ad opus futurum festinando.

   « Bonum est bono suo esse contentum. et praesentia bona supervenientibus bonis augere, non pro futuris abjicere. » Hugo a S. Victore. Quidquid agas boni, ita

tranquillo peragas animo, ac si nihil tibi agendum restaret.

3. De bonis, quae sunt media ad bona secundum se, tantum solummodo sumatur, quantum necessitas vel utilitas exigat, quod spectat : —
   a. cibum, potum, recreationem, exercitationem corporalem :
   b. confabulationes, negotia saecularia.
   Meipsum circa singula examinabo.

III. De actionibus rite instituendis. (2)

I. In memoriam revocabo ea, quae mihi gravioris esse momenti visa sunt in punctis superioribus, quae sunt : —
1. *ordo* actionum ponendarum, secundum quod praeceptae vel non prohibitae fuerint, aut liberae ;
2. *modus* faciendi actiones : observata nempe distinctione inter actiones quae sunt secundum se bonae, et quae sunt secundum se indifferentes.
   Divinum auxilium ad eas rite ponendas rursus petam ; et resolutiones meas ferventer iterabo.

II. Alia qualitas actionis bonae est *discretio*, quae idem est ac : —
1. scire et velle bona (non praecepta), aut differre, aut omittere (si illud suaserit aliorum utilitas vel aedificatio). Hoc est (ut aiunt) Deum propter Deum relinquere.
2. Opera quae singularitatis speciem praeseferunt, non in publico sed privatim facere.
   « Quam multis nocuit virtus scita, et propere laudata ! »

III. His adjungenda est *perseverantia*, cujus est incoepta bona nunquam sine causa dimittere.

« Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua. » Eccles. 11. 6

Huic tamen obstant : — voluntas imbecilla, mens inconstans, aliorum exemplum, inutiles interruptiones ex parte aliorum.

Contra has omnes difficultates repugnabit virile animi constantis robur, anima in bonis incoeptis flecti nescia.

112 De studiis rite peragendis.

i. « Deus scientiarum, Dominus est. » 1 Reg. 2. 3.
ii. « Da mihi (Domine) sedium tuarum assistricem sapientiam. » Sap. 9. 4.

I. Negotium litteras et scientias addiscendi est officium gravissimum, quod nobis imponitur non solum pro tempore praeparationis, sed etiam pro tempore ministerii futuri. Qui enim studia sua absoluta vellet habere ut ea desereret, nondum intellexisset quaenam sit vocationis nostrae ratio et finis.

II. *Finis* studiorum non est, ut tanquam *eruditus* habearis ; neque ut titulo *doctoris* honoreris, nec ut ad *dignitates et munera altiora* proveharis (quod esset *vanitas*) ; neque ut appetitui satisfacias discendi, neque ut mentem repleas cognitione rerum plurimarum (quod esset *curiositas*) ; sed « ut *Deo placeas*, ut ejus beneplacito ex obedientiae praescripto te accommodes, ut Deum magis cognoscendo, ardentius eum diligas..

ut idoneus minister Evangelii fias, et ut animas, Christi sanguine redemptas, ad illum.. ire compellas. »

III. *Modus* in hoc negotio servandus est magistros magna prosequi veneratione, eosque in doctrina, methodo et directione sequi ; cetera studia parum pro tempore aestimare.

« Fructus magistri est discipulus obediens. » Comm. in Ep. I ad Thess. c. I. v. 20. Inter Opp. S. Ambros.

Praeterea, sit mentis applicatio *continua* ; *attenta* sit omnium etiam minutiorum consideratio ; opus injunctum hora statuta incipias et absolvas spiritu *obedientiae* et *sui abnegationis*.

Te circa ista examines ; et corrigenda corrige.

Articulus 2. De triplici hoste.

113. De diabolo.

Fratres (Apostolus, et cum ipso Ecclesia in sacra liturgia, nos humaniter salutat, et ad opera invitat spiritualia),
sobrii estote (mente et corpore moderati et sani),
et vigilate (militia enim vita est, hostes et insidiae plures):
quia adversarius vester diabolus (angelus infelicissime lapsus e supernis. Diaboli, quo nomine calumniatores significantur, in sacris eloquiis describuntur ut « principes et potestates, mundi rectores et tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in cœlestibus. Eph. 6. 12. Mendaces sunt, nequissimi, malitia et dolo pleni, ac potentissimi. Diabolus *a*. inimicus est *generi nostro* infensissimus, cujus invidia peccatum in hunc mundum intravit, quique nomine veluti proprio « Malus, » dicitur ; « venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus. « M. 13. 19.

b. Hostis est juratus *Christi*, v. g. in initio vitae publicae per trinam illam tentationem ; in passione propter singularem violentiam et astutiam, qua ipso suggerente peragebatur.

c. Sanctos interdum atrociter obsedit ; et quo magis quis profecerit in virtute, eo magis a diabolo impeti solet.

d. Idolum denique falsum est, cui tot homines hodie misere inserviunt)

tanquam leo rugiens (robore et rapacitate)
circuit (vigilanter, assidue, continuo),
quaerens quem devoret (quod facit ex odio in nos, ex invidia boni nostri, et tandem ut nos sibi similes malos ac miseros efficiat) :
cui resistite (conatu virili)
fortes (animosi, robusti, accincti ad opus)
in fide (i. e. in fide Christi victoris, ac etiam in spe Christi remuneratoris, et in charitate erga Deum, qui nobis legem tulit). 1. P. 5. 8-9.
Accipite armaturam Dei (fidem, spem, charitatem), *ut possitis resistere* (in malis omnibus, — in occursu inopinato, — et non tantum dum violenter impugnat inimicus, sed etiam quando blande nobis suadere malum studet)
in die malo (sive tristitiae, sive doloris gravioris, sive tentationis inusitatae), *et in omnibus perfecti stare*. Eph. 6. 13.

114. De mundo ut scala ad Deum.

i. « Delectasti me Domine in factura tua. » Ps. 91. 5.
ii. Gratiam petam recte utendi creaturis.

I. Mundus est *locus probationis* nostrae, de qua apostolus scribit : « probatio spem operatur. » R. 5. 4.
1. Cursus vitae hujus est *praeparatio* ad beatitudinem ; tempus est munera propria exercendi, virtutesque operandi, secundum quod Sapiens dixit : « Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Domino. » Eccli. 31. 10. 11.

2. Vita humana incedit *per prospera et adversa* : « modicum passos ipse perficiet. » 1 P. 5. 10.
3. Probatio ista includit —
   a. *nisum* : « Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. » Eccli. 4. 33.
   b. *constantiam* : « Tanquam aurum in fornace probavit illos. » Sap. 3. 6.
   c. *militiam*, seu certamen pro corona.
4. Est tandem probatio *unica*.

An haec vita a me suscipitur ut probatio, an potius ut locus deliciarum quaerendarum, vel otii, vel querelarum ?

II. Mundus praesertim instituitur ut *scala ad Deum*, qua per pulchri et magnifici ordinis contemplationem pervenire licet ad cognoscendam Conditoris sapientiam, potentiam, magnificentiam, benignitatem et justitiam. « Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile ? » Jud. 13. 18.

« Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis. » Ps. 138. 14.

III. Locus est *negotiationis* : « negotiamini dum venio, » monet nos Christus. Certo venturus est Dominus : sed incerto tempore, sicut fur. Tempus porro hujus negotiationis brevissimum esse apparebit : « Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens. » Sap. 5. 9.

Negotiandum igitur est : —

1. per usum occasionum virtutis exercendae ;
2. per cooperationem cum gratiis.

Qui non negotiantur « otiosi » vocantur. « Quid hic statis tota die otiosi ? » M. 20. 6.

« Labora sicut bonus miles Christi Jesu. » 2 T. 2. 3.

« In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans. » ib. 9.

115. De mundo ut magno libro Dei [1].

i. « Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego, manus meae tetenderunt coelos, et omni militiae eorum mandavi. ».

« Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam. » Is. 45. 12. 13.

ii. Lumen petam, ut opera Dei rectè intelligam.

I. Mundus est liber digito Dei conscriptus. Spiritualis homo ibi legit, quae alius non percipit. « Vir enim insipiens non cognoscet haec. » Ps. 91. 7.

Ex conspecta in mundo magnitudine, pulchritudine, majestate, suavitate, providentia transit ad divina attributa consideranda. « Quam magnificata sunt opera tua, Domine. » Ps. 91. 6. Omnia mirabilia, omnia tanquam vere divina opera laudanda.

Unde proclamavit Sapiens : « Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei : et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est. A magnitudine enim speciei et creaturae, cognoscibiliter poterit creator horum videri. » Sap. 13. 1. 5.

II. Contemplabor deinde miracula quotidiana divinae potestatis : —

1. *mutationem crudorum elementorum* in plantas, vinum, panem ;
2. tot immortales *animas* quotidie *creatas* ;
3. stupendam *molem corporum coelestium* in aethere suspensam ;

---

1. Blosius. Paradisus animae fidelis c. XXVIII

4. Supremi Opificis potentiam, sapientiam, bonitatem, quae in nulla neque vilissima creatura non relucent.

III. Quaelibet in suis ordinibus Deus conservat in esse ; cum omnibus in operando cooperatur ; sua virtute universa cohibet ; sua sapientia dirigit ; sua praesentia implet. « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Sap. 8. 1.

Providet angelis, hominibus, brutis, insectis, incolis aëris marisque, capillis capitis nostri, et foliis quae cadunt ; « benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra. » Act. 14. 16.

In hoc libro, manu Dei egregie conscripto, legere studebo de divinis perfectionibus cum laude et gratiarum actione.

116. De mundo tanquam hoste.

i. Oculos convertam in mundum cum suo ingenti progressu materiali, cum suis divitiis, litterarum splendore, eruditione, ludis, ambitione, cupidine, luxuria, naturalismo, repugnantia vel indifferentia circa religionem Christi.

ii. Gratiam efflagitabo cognoscendi quid sit vera mundi natura.

1. Mundus itaque *quid sit ?* Est : —

1. locus peregrinationis ;
2. homines, qui in mundo existunt ;
3. orbis hic physicus cum opibus, voluptate, et honoribus ;
4. mundana vita cum triplici concupiscentia ; « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et

concupiscentia oculorum, et superbia vitae : quae non est ex Patre, sed ex mundo. » 1 J. 2. 16.

II. Vanitas mundi consideretur, quae multiplex est : —

1. vita, nationes, fama, honor, voluptas, opes, robur, peritia ;

« Mundus transit et concupiscentia ejus. » 1 J. 2. 17.

« Praeterit figura hujus mundi. » 1 C. 7. 31.

« Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. » 1. C. 7. 31.

2. *Fascinatio nugacitatis* (allectamenta, suasiones mendaces, blandimenta malorum quae « concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt » S. Augustinus.

« O munde immunde, qui homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quaeris. Vae qui tibi credit, beatus qui tibi resistit, sed beatior qui a te illaesus recedit. » Sermo ad fratres 31. M. vol VI. p. 1290.

« *Obscurat bona.* » Sap. 4. 12 (mundani nec percipiunt, nec sapiunt, nec intelligunt res divinas).

III. *Pravitas* infelicissime in mundo grassatur :

Concupiscentia carnis (luxuria omnis, — sermones, lectiones, mala aperta et occulta) ;

concupiscentia oculorum (opes, divitiae, quae pro summo bono a pluribus habentur) ; *superbia vitae* (ambitio et ostentatio) ; huc omnis conatus.

Superbia haec vel vitiosa est, vel fomentum vitiorum, vel vitiorum occasio et radix.

Ora ut penitus intelligas mundana esse prava et vana.

117. De mundo tanquam hoste (2).

Praeludia ut in meditatione praecedente.

I. *Oppositio mundi* adversus sectatores doctrinae Christi. « Mundus eum non cognovit. » J. 1. 10. Mundus enim non comprehendit capitales doctrinas ejus, nempe humilitatem, paupertatem, mortificationem, expectationem vitae venturae.

Mundus carpit et condemnat viros spiritu Christi repletos, quia eos nequaquam intelligit. Jam ante plurima saecula dictum est de mundanis istis : « Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. » Sap. 2. 22. Et rursus : « Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam,et finem illorum sine honore. » ib. 5. 4.

Mores mundani sapiunt levitatem, inconsiderationem, inquisitionem voluptatis.

Absit quod de nobis unquam sit verum, quod S. Paulus de quodam debuit scribere : « Demas me reliquit, diligens hoc saeculum. » 2. T. 4. 9.

Scribit vero S. Ambrosius : « Si mihi crucifixus est mundus, scio quia mortuus est, non diligo eum : scio quia praeterit, non concupisco eum : scio quia corruptela consumit hunc mundum, quasi foetidum vito, quasi luem caveo, quasi nociturum relinquo. » In Ev. S. Lucae. c. vi. n. 107.

II. *Persecutio.* « In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. » J. 16. 33.

« Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi

vos de mundo, propterea odit vos mundus. » J. 15. 19
Ita penes nostrates oderunt nos saecularistae, quidam viri scientifici, plures haeretici.

III *Mundus serpit* in corda bonorum.
Ingreditur corda insidiose ; venit saepe sub specie boni, scilicet sapientiae, prudentiae, culturae, justi levaminis, spiritus liberalioris. Qua de re nota sunt verba S. Leonis papae I : « necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere. » In Off. Dom. I. Quad.

IV. *Signa spiritus mundani* sunt : —
proprii commodi inquisitio habitualis, nimius vitae amor, otii cupido, amor divitiarum, fastidium crucis et despectus virtutum Christi.

V. Difficile valde est in mundo versari et ab eo *non inquinari*. De religione dicit S. Jacobus, quod ejus sit immaculatum se custodire ab hoc saeculo. Jac. 1. 27.
«Frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, et vanitatum offusio mentem occupat ; ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas : quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. » S. Ambros. De fuga saeculi. I. 1.

118. De mundo vitando. (1) [1]

i. Recogitetur parabola de seminante, ubi dicitur : « alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinae, et suffocaverunt ea. »

ii. Deinde additur : « Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo saeculi istius, et

1. Secundum Corn a Lapide in Jac. 1. 27 versus finem.

fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.» M. 13. 7. 22.

i. Pete ut secundum apostolum immaculatum te custodias ab hoc saeculo.

Ad mundum vitandum haec tanquam media efficacissima proponuntur : —

. *Timor Dei.* Deus enim et mundus carnalis invicem opponuntur.

« Spes nostra non est de hoc saeculo, ergo non amemus saeculum. » S. Aug. Sermo 108. c. 1. M. 5. 633.

Mundus totus est in contemplando et quaerendo seipsum, saeculum praesens, sensibile, carnem.

Christianus ob oculos tenet et quaerit indesinenter Deum, futurum saeculum, animam suam, et spiritualia.

« Ab amore hujus saeculi vocati sumus, ut aliud saeculum speremus et diligamus. » S. Aug. l. c.

. *Mortificatio* sensuum et affectuum. Christianus considerat brevitatem et vanitatem vitae praesentis. atque etiam aeternitatem poenae in vita futura. Perpendit insuper diuturnitatem et stabilitatem mercedis promissae.

« Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est... Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. » Sap. 5. 5. 17.

. *Consilium firmum et constans resistendi* sociis, illecebris, incitamentis, quae ad peccata etiam venialia inducunt, vel ad parvipendenda Dei praecepta vel consilia. « Quis nos separabit a charitate Christi ? » R. 8. 35.

. *Saeculum quam minime imbibere.* « Mihi autem adhaerere Deo bonum est. » Ps. 72. 28. « Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram ? » ib. 25.

« Contine linguam et ventrem, et ubicunque sederis,

dic assidue : peregrinus sum. » Abbas Olympius cit. a Corn. a Lap. Civis sum et domesticus cœli.« Quis non contemnat dulcedinem saeculi, inhians dulcedini vitae aeternae ? » S. Aug. Enar. in Ps. 68. n. 3 (M. 4. 843.)

119. Principia mundi versus principia Christi.

i. Christum imaginabor juvenem in paupere domo Nazarethana.
ii. Petam spiritum ejus.

---

1. Mundus magni facit *divitias*, paupertatem timet vel aegre fert : Christus vero suis clamat : « Beati pauperes spiritu. » M. 5. 3.

2. Mundus semper quaerit *commoda*, ornamenta, picturas, muliebria, nugas, luxum, qui oculos aliosve sensus oblectet :
   Christianus illa devitat ut distractiones et vincula, quae cor illaquent. « Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. » 1 T. 6. 8.

3. Mundus desiderat *voluptates* in cibis, visitationibus, itineribus, in musica, in spectaculis, in novis semper videndis, audiendis, legendis : sed « Gaudete in Domino : » ait Christianus ; « gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. » M. 5. 12.

4. Multiplex *occupatio* et *dissipatio* a mundanis quaeruntur ; Christianus bonus distractionem et multiplicitatem e corde arcet. De rebus divinis sollicitus est, et simplex est ejus intentio.

5. Mundus de aliis *extra* se curiose quaerit, et de seipso tantum ut animus perfundatur voluptate. Christianus

de se suaque salute ante omnia et in omnibus quaerit.

6. Mundus *crucem odit* tanquam quid pessimum et prorsus arcendum vel fugiendum vel Stoicorum more tolerandum : Christianus exemplo Magistri crucem amat et portat.

7. *Huic vitae* unice negotiatur mundanus : Christianus thesaurizat sibi thesauros in cœlo. M. 6. 1. 19. 20.

8. *Honores* ardenter appetunt mundani : discipulus autem Christi illud Magistri sui constanter retinet : « Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me : » M. 5. 11.

9. *Famam* quaerit mundanus, ut nomen ejus in ore omnium celebretur : Christianus vero sinit se dirigi monitis : « Ama nesciri et contemni in hoc sæculo. » (De imitatione Christi), et « Gaudete,.. quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. » L. 10. 20.

120. De hoste domestico.

i. « Unusquisque enim sibi, dum tactu veri luminis illustratur, ostenditur : et unde agnoscit quid est justitia, inde eruditur, ut videat quid est culpa. » S. Greg. in Mor. 1. 32. c. 1.

ii. Pete gratias cognitionis tui-ipsius, humilitatis, et constantiae.

---

1. *Caro*, quam dulcis mihi et dilecta ! Hic intenditur praesertim inclinatio ad malum, iram, invidiam, superbiam, gulam, impuritatem.

2. «Hunc cum pavi inimicum pessimum, contra me se erexit. » S. Bonav. Sol. l. in medio.

Pavi : id est : — nutrivi eum otio, timore mortificationis, sensualitate, negligentia, consenu in peccatum ;

contra me : frequenter, audacter, et non raro vehementi, et (ut visum fuerit) irresistibili impetu concupiscentiae ;

erexit se : fortis et induratus ob consuetudinem peccandi graviter vel leviter.

3. *Quae* sunt passiones quas facile in me percipere licet ?

Quaenam ceteris eminet ?

Quantum de iis *pabulum* humilitatis ?

Qualia media adhibeo ad eas fraenandas, vel evellendas ?

4. Caro « infirma » est fragilis ad resistendum, facilis ad cadendum, difficilis ad surgendum. » S. Leo cit. a. S. Bonaventura. Solil. 1. in medio.

« Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, nec fugare ; circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis : nam, quod periculosius est et miserabilius, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet. » S. Bernardus. Sermo 3. in Dom. vi. post Pent. n. 5. « Donec ergo in carne est anima, inter spinas profecto versatur ; et necesse est ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. . Plenus est mundus spinis : in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt.

Versari in his, et minime laedi, divinae potentiae est, non virtutis tuae. » S. Bernardus in Cant. s. xiviii. nn. 2. 3.

121. De agone christiano [1].

Consiliatus sum enim (finem, praemia, bona virtutis, seria consideratione perpendi. Consilia librorum et directoris quaesivi : mecum diu deliberavi tanquam de re summi momenti : resolutiones emisi, immo decreta mecum statui animo fervido et tenaci)

ut facerem illam (id est, — sapientiam, vel perfectionem status mei. En profecto opus meum ; ego arbiter sortis meae ; Deus quidem reliquit me in manu consilii mei, ut eligam et operer salutem meam) :

zelatus sum bonum (verum et necessarium bonum meum anhelavi, et prosecutus sum. Illud enim non datur otioso et tepido ; neque a Deo conceditur nisi laboranti, et strenue colluctanti),

et non confundar (1. quoad meipsum ; nulla difficultate impeditus, nec infirmitate oppressus, nullius exemplo e via depulsus, nulla verecundia vel ignavia affectus, determinavi, me, Deo opitulante, propriam status mei perfectionem assecuturum esse :

2. quoad alios : hominibus placere non studebo, memor illius quod dicit Apostolus : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. » Gal. 1. 10).

Colluctata est anima mea in illa (certamine interno et constante),

et in faciendo eam confirmatus sum (ut sapientiam semper facerem, ejusque dictamina explerem, obfirmavi animum, etsi luctam non modicam in ejus praxi cum carne sentirem ; firmus tamen in ea perstiti, et constanter perseveravi.

Ad hoc requiritur : —

---

1. Secundum Corn. a Lapide in Eccli. 51. 24-5.

1. generosa animi resolutio, et propositum efficax ad eam persequendam :

2. ardor et zelus :

3. colluctatio cum variis hostibus et mortificatio cupiditatum :

4. animi robur, constantia, et perseverantia in virtutis studio et operatione.

« Ardua per praeceps gloria vadit iter »).

122. Praecipuum virtutis obstaculum [1].

1. Repetam affectus in praevia meditatione conceptos ex verbis : —

Consiliatus sum enim ut facerem illam (perfectionem status mei) ; *zelatus sum bonum et non confundar* (verba sunt magnanima et plena fiduciae).

Colluctatus sum in illa : (scilicet ad virtutem adipiscendam) ; vero agone certavi cum triplici hoste, praesertim cum illo hoste domestico, concupiscentia mea.

Sane *a*. instinctu divino ad coelestia allicior, humano tamen sensu ad deteriora inclinor ; bellum inde intestinum committitur.

b. Sensibilia et naturalia clare et vivide apprehendo, spiritualia vero subobscure tantum. Illa me movent valde, haec parum et languide.

c. Molestias sensibiles facile me deterrent a proposito virtutis prosequendae, ab iis facile vincor, quia non distincte et facile percipio bona divina.

In virtute agenda incommodum apparet obvium

1. Secundum Cornelium a Lapide in Eccli 51. 25.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

et magnum, bonum autem et praemium virtuti adnexum, obscurum est, incertum, remotum.

« Dominus igitur hujus infirmitatis nostrae conscius, ut fortius apprehenderemus bonorum spiritualium excellentiam, et minoris aestimaremus difficultates adnexas, proponit hic Siracidis exemplum, stimulum et consilium, ut scilicet per sapientiae studium bonis spiritualibus audiendis, legendis, meditandis, exercendis assidue insistamus, iisdemque mentem plene imbuamus, ut ipsa fiat spiritualis, eoque secum rapiat partem inferiorem et animalem, indeque alios quoque homines tan i boni faciat participes. » Corn. a Lapide l. c.

123. Alia perfectionis obstacula.

i. « Dirige me in veritate tua, et doce me. » Ps. 24. 5.
ii. « Perfice gressus meos in semitis tuis. » Ps. 16. 5.

---

1. *Socordia.*
   a. Gratiis non cooperari. Velle et non velle. « Omnis piger semper in egestate erit. » Prov. 21. 5.
   b Regulam vitae non servare.
   c. Sacramentis non bene uti.

2. *Malum exemplum.*
   a. « Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. » R. 14. 13.
   b. « Vae mundo a scandalis. » M. 18. 7.
   « Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quae Dei sunt, sed quae hominum. » M. 16. 22-3.

3. *Respectus humanus :* timere scilicet ne alios, non ob

malum, sed ob aliquod bonum opus vel verbum, aut derisores aut offensos habeas.

« Pro anima tua, ne confundaris dicere verum. » Eccli. 4. 24.

« Ne accipias personam ut delinquas. » ib. 42. 1.

« Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem. » 2 Tim. 2. 15.

4. *Sensus mundanus* absque aestimatione vel apprehensione altitudinis apostolatus, quod oritur ex defectu instructionis, lectionis vel reflexionis.

« Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. » J. 1. 5.

« Si scires donum Dei. » J. 4. 10.

« Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me. » J. 14. 9.

« Da mihi, Domine, cor nobile, quod nulla deorsum trahat terrena affectio. » S. Thomas Aquinas.

Articulus 3. De Fide.

124. De fidei excellentia.

i. Christus nobis dixit : — « Creditis in Deum, et in me credite. » J. 14. 1.
ii. Efflagitemus donum fidei vivae.

I. *Fides* : *quid sit?* Est secundum apostolum: « Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. » Heb. 11. 1.

Substantia, i. e. *germen*, — *inchoatio*, — *prima apprehensio* beatitudinis nostrae. « Haec est autem vita aeterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » J. 17. 3.

argumentum non apparentium : i. e. convictio ex veraci testimonio generata : spectat ea quae oculis non cernuntur (ut sunt gratia, vita Christi, coelestia), vel quae difficile capiuntur (ut Sanctissima Trinitas, Creatio, Eucharistia).

II. Est necessaria *basis salutis* : « sine fide impossibile est placere Deo. » Heb. 11. 6.

« Qui non crediderit condemnabitur. » Mc. 16. 16.

« Accedentem ad Deum credere oportet. » Heb. 11. 6.

Verba illa omnia pia mente recipiam tanquam a Domino loquente.

III. Divina auctoritas *illustribus signis* nobis exhibetur ; in mentem quaedam revocabo : —

1. *prophetias adimpletas*, de vita, passione, triumpho Christi, et de ecclesia ;
2. *miracula* Veteris Testamenti, Christi, et sanctorum omnis aetatis, quibus adjungenda sunt innumerabiles manifestationes supernaturales ;
3. *martyrum* insignem *fortitudinem*, et mundi clarissimam *illuminationem* post tenebras paganismi ;
4. admirabilem *Ecclesiae propagationem*, unitatem indefectibilem ;
5. *Ecclesiae sanctitatem*, heroica principia, virtutum sublimia exempla.

Quibus admirandis indiciis agnoscitur Ecclesia esse divinus praeco verbi Dei. Proinde verbum Ecclesiae tanquam verbum Dei recipiam. « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis. » I. Thess. 2. 13.

125. De fidei excellentia (2).

I. Est vitae hujus *pharus* : —

1. contra tenebras : « lucerna lucens in caliginoso loco » 2 P. 1. 19.

« Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Eph. 5. 14.

2. contra *vacillantes opiniones* in rebus gravissimis (de Deo videlicet, de virtute, religione, vita futura), « ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae. » Eph. 4. 14.
3. contra scopulos *difficultatum* et *tentationum ;* « in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. » Eph. 6. 16

II. Est visionis beatificae *anticipatio* : — « Accedite ad eum et illuminamini. » Ps. 33. 6.

Credo ut intelligam. Nunc divina contemplamur per speculum in aegnimate, tunc autem facie ad faciem. » 1 C. 13. 12. Adeoque ad visionem illam supernam accedit : —

1. ratione *dispositionis* ; per fidem enim accedimus ad Deum ;
2. ratione *objecti* ; nobis enim revelata sunt secreta cœlestia, — magnitudo divini amoris, certitudo praemii : « sicut audivimus, sic vidimus. » Ps. 47. 9.
3. ratione *modi* ; Deus ipse, prima veritas docet nos ; propter ipsum credimus, ita in cœlo claritas Dei illuminabit nos. Ap. 21. 23.

III. Est *obsequium* Deo gratissimum. Est enim Deus primus in ordine intellectuali, cui ceteros omnes plane subjici oportet. Sicut enim Dei bonitas amorem postulat, ita veritas ejus obsequium exigit. Hoc igitur ei reddamus.

Frequenter eliciamus formales actus fidei. Symbolum apostolicum magno cum fervore recitemus. « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. » 2 C. 10. 5.

126. Fidei nobilitas.

i. Auscultabo magistrum docentem : « Ego sum via, veritas, et vita. » J, 14. 6.

ii. Fidei amorem a Christo ipso postulabo.

I. Fides est *initium vitae spiritualis*, et exhibet nobis Christi evangelium, doctrinam, exempla, promissiones, quae et vivae subsequuntur gratiae.

1. Per fidem evadimus spirituales, filii Dei, docti a Deo, illuminati :
2. Fides est mentis quaedam assimilatio ad cognitionem divinam Etenim fides nobis aperit abdita mysteria scientiae et voluntatis divinae, non tantum circa proemium futurum, totius mundi oeconomiam, providentiae erga singulos, amoris et misericordiae erga reos et negligentes, verum etiam circa mysteria veneranda Dei ipsius naturae.
3. Fides est nobis mens nova, novus oculus, qui divina, infinita, immensa, aeterna, nobis mortalibus pandit.

II. Fides est *gloria intellectus*, et Dei obsequium nobile.

Gratias agamus de honore tanto.

Protestemur fidelitatem humilis mentis nostrae erga majestatem altissimam veritatis divinae.

III. Ex fide procedunt *gloria et robur* omnis actionis Christianae. Supernaturalia enim omnia fidei innituntur.

Quid rependam Domino pro dono tam insigni mihi gratis et indigno collato. Pro fide martyres vitam inter tormenta crudelissima dederunt ; confessores tot subierunt labores ; missionarii sudores, pericula, mortem gaudentes acceperunt, ut fidei thesaurum gentibus communicarent.

« Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra. » 1 J. 5. 4.

127. Fidei qualitates.

i. « Justus meus ex fide vivit. » Heb. 10. 38.
ii. Petam ut fides mea augeatur.

I. *Simplex* sit: i. e. Dei loquentis auctoritate innixa, haud vero rationis intelligentia. « Sciendum nobis est quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis ; nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. » S. Greg. II. Hom. XXVI. n. 1. Ita Abraham credidit Deo promittenti filium ex senibus parentibus ; ita Beata Virgo et S. Joseph angelis fidem praestiterunt.

An ego sum ita mente dispositus? An postulo, potius doctrinae revelatae intelligentiam comprehensivam, magis quam ejus sinceram declarationem divina factam auctoritate ?

An haereses detestor ? An devito opiniones cum regula fidei minus cohaerentes ?

II. Sit *firma*. « Veritas Dei manet in aeternum : » quod ergo dixerit Deus, illud certum est, et quod promiserit, illud stabile.

« Certus sum quia neque mors, neque vita, etc., poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu. » R. 8. 38

« Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. » 2 P. 1. 19.

III. *Constans* sit in omni difficultate, et tentatione : « cui resistite, fortes in fide. » 1 P. 5. 9.

Instant miseriae humanae, dolores, amissiones bonorum, rerum infelices exitus, pessima apostatarum exempla, superbae et ineptae infidelium blasphemiae.

Et de gravioribus hujus vitae difficultatibus doceat me S. Paulus : — « Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. » Heb. 10. 34.

An occurrentibus istiusmodi difficultatibus, soleo actum fidei elicere ?

IV. *Prompta* sit ad accipiendas doctrinas Dei, v. g. Scripturas sacras, definitiones Ecclesiae, et ad agendum secundum dictamen fidei.

128. Media fidei obtinendae et exercendae.

« Domine, da mihi hanc aquam salientem in vitam aeternam, ut non sitiam. » J. 4. 14. 15.

I. *Oratio.* a/. *In genere,* et pro qualibet gratia. « Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est. » Eph. 2. 8.

« Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est ; descendens a Patre luminum. » Jac. 1. 17.

« Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo. » ib. 5.

b/. *In specie* : « Da nobis Domine, fidei, spei et caritatis augmentum. » Ecclesia

« Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam » Mc. 9. 23.

« Adauge nobis fidem. » L. 17. 5.

« Domine, ad quem ibimus ? verba vitae aeternae habes. » J. 6. 69.

« Dominus, illuminatio mea. » Ps. 26. 1.

« Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine : Deus meus illumina tenebras meas. » Ps. 17. 29.

« Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » L. 22. 32.

II *Exercitium fidei.*

1. « Non erubesco evangelium. » R. 1. 16. Corde creditur ad justitiam (interno voluntatis motu), ore autem confessio fit ad salutem (professio aperta interdum difficilis et heroica).
2. Libere offertur fidei obsequium, proinde meritum habet.
3. Est circa inevidentia, et difficilia ; adeoque magnum habet meritum, quia insignis praestatur reverentia et subjectio erga Deum.

III. Praxis bonorum operum *sub lumine fidei* : v. g. caritas in Deum et proximum. « Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? » Jac. 2. 14. Opera igitur, quae ex fidei impulsu sponte consequi debent, sunt amor in Deum summe beneficum, et caritas in proximum, quae sensu, verbo, et opere exhibetur erga eum, quem tanquam fratrem una nobiscum redemptum agnoscimus. Opera tandem status nostri fidei instinctu ponenda sunt.

129. Solamina.

i. « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » M. 11. 28.
ii. Petam a Christo solatium.

I. *Tentatis* recolendum est quod tentari non est vinci, neque est infirmitatis indicium. « Quem enim diligit Dominus castigat (ut pater qui inconditos filii sui mores corripit) : flagellat autem omnem filium quem recipit. » Heb. 12. 6.

Corripi enim divinae curae est signum. Nemo itaque propter tentationem formidet de perseverantia vel de

salute. Multo minus sinat se deduci in murmurationem vel acediam vel negligentiam ; sed ad exemplum sanctorum mala patienter ferat, et exerceat se in fiducia erga Deum. « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. » Job. 13. 15.

II. Humanae mentis cognitio de pluribus dubia saepe et obscura, fidei tamen doctrina proponitur tanquam *lucerna* (lumen noctis nostrae) *lucens in caliginoso loco*, nec sole, nec luna illustrato, sed densis umbris confuso, ubi et ipsa quae cernuntur, imperfecte tantum perspiciuntur (per speculum in aegnimate) ; *donec dies elucescat*, i. e. vel singularis copia illustrationis supernae, vel potius beatitudo ipsa, ubi transierit fides in visionem.

Ibi in lumine Dei videbimus lumen.. ibi sponsus pascitur inter lilia « donec aspiret dies (beatae aeternitatis), et inclinentur umbrae (miserae mortalitatis). » Cant.4.6.

III. *Fessis* dicendum, oportere nos constanter eniti. « Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. » 1 C. 16. 13.

Memores simus dicti : « Gratias agentes Deo, —

1. qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine :
2. qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii delectionis suae :
3. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum :...
4. mysterium quod absconditum fuit a saeculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus :
5. quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus.. quod est Christus, in vobis spes gloriae. » Coloss : 1. 12. 14. 26. 27.
6. « Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. » 1 J. 1. 7.

130. Praxis fidei.

« Deus.... det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus : illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae haereditatis ejus in sanctis. » Eph 1. 17. 18.

I. Orate, laborate, mentes erigite, oculos a mundo avertite.

II. Cogitate : —

Deum, solum verum ens, aeternum, immensum, vitam, bonitatem, pulchritudinem ipsam :

Sanctissimam Trinitatem, beatissimam divinarum personarum societatem, in qua charitas Pater, gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus :

Deum Patrem ingenitum, ex quo tanquam Creatore omnipotente condita sunt universa, qui Filium dilectum ad nos homines redimendos ineffabili dedit benignitate.

Jesum Redemptorem, unigenitum et dilectissimum Filium, fratrem nostrum, exemplar, salvatorem, amatorem, cibum, beatitudinem, viam, veritatem et vitam, caput, resurrectionem :

Spiritum Sanctum, donum Dei, Paraclitum nostrum :

Mariam, electissimum opus Dei, quae dedit nobis verum Filium, quae fuit co-operatrix salutis, quae et mater nostra et adjutrix est constituta :

Divitias ineffabiles gratiae, — participationem divinitatis, filiationem adoptivam, inhabitationem personarum divinarum :

Suavitatem Sacramentorum :

Mundum, scalam ad Deum :
Summum pontificem, alterum Petrum :
Episcopum, qui jure divino, pascit gregem suum :
Sacerdotes ut alios Christos :
Animae coelestem destinationem :
Omnia ut vere ad Deum conditorem et finem supremum relata.

Articulus 4. De Vitiis et Virtutibus.

131. Vetus et novus homo.

i. Mente mihi repraesentabo Adamum e Paradiso ejectum, et Christum Dominum in coelum ascendentem.
ii. Gratiam petam ut Christo conformis evadam.

I. *Vetus homo* praesertim ille dicitur, qui nascendo ex primo homine, peccatum inde traxit, et peccatum sequitur.

Interdum pro vetere homine accipiuntur — macula ex peccato, — consuetudo peccandi, — concupiscentia mala.

Singula mihi applicabo, ut intelligam, quaenam indicia veteris hominis in me reperiantur.

II. *Occisio veteris hominis* frequenter in sacris eloquiis proponitur : —

« Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. » R. 6. 6.

« Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus : » id. 5.

« Si mortui sumus cum Christo : » ib. 8.

« Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato : » ib. 11.

« Tamquam ex mortuis viventes : » ib. 13.

« Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. » 8. 13.

« Expurgate vetus fermentum. » 1 C. 5. 7.
Quid ista quoad me significant ?

III. *Novi hominis efformatio* sicut partus exhibetur : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. » Gal. 4. 19.

IV. *Qualitates* novi hominis multipliciter describuntur : —

1. « Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt : » cujusmodi sunt — peccata, mores vitiosi, sensus affectusque mundani, judicia, delectamenta, quae Christum non sapiunt. 2 C. 5. 17.
2. Jubemur « Deponere veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. » Eph. 4. 22. Errores isti esse possunt contra dictamina naturae rationalis, circa destinationem nostram, circa realitatem gratiae et vocationem hominis ad religionem supernaturalem.
3. « Renovamini spiritu mentis vestrae (recepta gratia vivifica Spiritus Dei). Eph. 4. 23.
4. « *Induite* (i. e. pergite, facite, ne cessetis vestimentum illud portare, augere, ornare) *novum hominem* (novus homo gratia constituitur, sensum Christi exhibet, principiis Christi ducitur), *qui secundum Deum creatus est* (ad imaginem maxime supernaturalem) *in justitia* (i. e. in conformitate cum divino exemplari) et *sanctitate veritatis*. » Eph. 4. 24. (Vera illa sanctitas habetur ex gratia quae inest animae, cuique cooperatur homo secundum veram rectitudinis normam. Hinc sanctitas intenditur sincera et genuina omnisque fuci expers).

132. De Vitiis.

i. Recogitabo parabolam boni Samaritani. L. 10. 30 sqq.
ii. Gratiam enixe postulabo evellendi vitia mea.

I. Vitia *quaenam* sint ? Revocabo vitia quae capitalia vocantur, et advertam quodnam ex iis in me magis dominari videatur.

II Vitium *quid* sit ?

Est virtutis oppositum. Est aegritudo animae virtutis sanitatem eliminans. Est corruptus quidam humor, radix mortis, catena quae animam in carcere mortis obstringit. Est durus tyrannus ; « a quo enim quis superatur, hujus et servus est. » 2 P. 2. 19.

« Dissipate aras eorum, confringite statuas, disperdite nomina eorum de locis illis. »Deut. 12. 3.

Subversio quidem est naturae rationalis, inclinatio contra dictamen rectitudinis, prava dispositio ex peccato relicta et ad peccatum inclinans ; est actus primus, cujus secundus actus est peccatum.

III. Unicum acquirendae virtutis medium est odium peccati oppositi, ejusdemque eradicandi studium.

Qui cupit amare Deum, terrena negligat ; qui desiderat humilitatem, superba devitet.

Hinc vitia sunt radicitus extirpanda, si quis velit se studio virtutum libere devovere.

IV. Ad culturam fecundam, nociva quaelibet submovenda ex agris ; lapides, tribuli, et spinae tollenda sunt omnia. « Diligenter exerce agrum tuum : ut postea aedifices domum tuam. » Prov 24. 27.

In hoc labor et sudor et dolor et sollicitudo ; iis autem qui strenue laboraverunt Deus promisit victoriam et praemium.

133. Remedia vitiorum generalia.

I. *Vitia nosce* : —

1. Quaenam sint et qualia. Frequentius forsan occurrunt ista : — inordinate quaerere mundana et vana, socordiae indulgere, gulae cedere, in lasciva inclinare.
2. Quaenam sub virtutis specie sese occultent ; sane « proxima virtutibus vitia sunt. » Ita haud raro habetur inconsiderantia erga alios pro firmitate mentis, iracundia pro zelo, imbecillitas vel ineptitudo pro humilitate vel mansuetudine, mundana principia vel mores pro prudentia, ambitio pro amore doctrinae.

II. Vitiorum *odium* concipias vehemens et implacabile. Sunt enim instrumenta diaboli validissima ; sunt initium ruinae spiritualis ; sunt efficacia progressus impedimenta :

1. *vehemens* sit, ut supra appetitum et indolem propriam triumphum reportare valeas ;
2. sit *implacabile*, etenim vere, strenue, valide, robuste enitendum est, v. g. velle esse humilis sub despectu, patiens inter adversa, mansuetus sub injuria nunc recepta, fidelis inter ariditates, labore perseverans in fastidio.

III. *Deum ora*, humiliter, ferventer, fiducialiter, frequenter, perseveranter, ut auxilia concedat opportuna in illa pugna speciali quam modo sustines.

Interpella Beatam Mariam Virginem et sanctos, ut hanc tibi gratiam suis precibus a Deo efflagitent.

IV. *Otium instanter fugias* : vitia enim corroborat.

Studiis omni assiduitate incumbe, scriptioni pariter, divinis officiis, muneri tibi imposito, lectioni ecclesiasticae.

134. Remedia vitiorum generalia (2).

I. *Occasiones devita.* Occasio enim fortes superavit, infirmum quanto facilius dejiciet ?

Quaenam sunt occasiones in quibus vel culpa inficeris, vel in malum vehementius commoveris ?

« Cor hominis est velut materies ad ignem suscipiendum parata ; si tu illi per occasionem ignem apponis, quid mirum si te ignis flamma comburat ? » Alvarez, De extinc. vitior., I, p. I. c. 2, n. 5.

II. In ipso impugnationis *principio* resiste : impugna hostem adhuc debilem : primam radicem adhuc tenerem evelle.

III. Vitium expugna *actibus virtutis contrariae*, internis, vehementibus, definitis, frequentibus, regularibus, externis, determinatis, difficilioribus.

IV. *Unicum* aggredere vitium. Contra illud praecipuos dirige conatus. Circa illud vigil esto ; contra illud ferventer precare ; de illo accuratum instituas examen quotidianum.

V. Tam de victoria denique reportata, de felici quovis progressu, quam de auxiliis divinitus tibi collatis debitas *Deo gratias* agere ne obliviscaris.

VI. Si vero nondum inimicum prostraveris, ne deficias animo, sed humilia te ; sustine ; expecta Dei adjutorium ; confide.

« Septies enim cadet justus, et resurget. » Prov. 24. 16.

135. De vitiis (Repetitio).

i. Recogitabo Adamum peremptorem, Christum reparatorem.
ii. Breviter ob oculos ponam parabolam boni Samaritani.
iii. Spiritum efflagitabo Christi.

---

1. *Quid* vitium ?
   Oppositum virtutis ; ordinis recti perversio ; mala inclinatio ; aegritudo animae.
   Instrumentum est diaboli ; initium ruinae spiritualis; efficacissimum virtutis impedimentum.
   Ista mihimetipsi applicabo.

2. *Quaenam* sunt vitia communiora ?
   Superbia, iracundia, amor sui vel mundi, pigritia. Quantum in me patent ista ? Quid in contrarium egi ?

3. Quodnam in me vitium maxime *dominatur* ? Quid coram Deo praecipuum virtutis obstaculum in me esse videtur ?

4. *Remedia* :—
   a. supradicta bene percepta habere ;
   b. Deum, Beatam Mariam Virginem, et sanctos orare indesinenter ;
   c. unum vitium constanter et strenue prosequi usque ad plenam eradicationem ;
   d. actus virtutis oppositae frequenter et in difficilioribus etiam adjunctis perficere.

5. *Principia* quaedam. In viro christiano : —
   a. vetus homo est interficiendus :

b. novus homo diligenter et cum labore est formandus.

« Deponite veterem hominem. » Eph. 4. 22.

« Induite novum hominem. » ib. 24.

« Renovamini spiritu mentis vestrae. » ib. 23.

136. De gula.

i. In memoriam revocabo singularem abstinentiam Christi Domini. Vitam simpliciter austeram non est amplexus, et conviviis aderat quando ratio salutis humanae id suadebat, nihilominus modus vivendi eo tempore apud Palaestinenses frugalis valde fuit et simplex. Populus communiter vescebatur pane et fructibus (non raro siccatis) et piscibus; in potum sumebatur aqua vel lac. Rarior fuit usus carnis recentis ; et vitulus saginatus signum fuit lætitiæ magnæ

ii. Supplex petam a Deo spiritum abstinentiae et simplicitatis in cibo vel potu sumendo.

Haec igitur serio perpendantur :

1. Gula secundum se est vitium *multum appetens*. Inter vitia capitalia recensetur, quia versatur circa vehementissimas sensationes gustus.

Inter carnis nostrae vitia gula manifestatur prima, superatur ultima.

« Comedamus, et bibamus, cras enim moriemur. » Ita gulosi. Is. 22. 13.

« Plurimos gula sua occidit, frugalitas nullum. » S. Ambrosius, De Cain et Abel, I, c. 5, n. 18.

2. Est *immoderatus appetitus* cibi vel potus, quo nempe cibi non ad refectionem, sed propter delectationem sumuntur ; quae quidem delectatio vel ex quantitate vel ex qualitate ciborum oritur.

3. Est appetitus *inordinatus ;* id est, pugnat cum dictamine rationis.

Est concupiscentia naturalis, non regulata dominio rationali :

« Quorum deus venter est: et gloria in confusione, eorum, qui terrena sapiunt. » Phil. 3. 19.

4. Aliquis facile labitur in gulam propter difficultatem discernendi et moderandi id, quod in variis adjunctis sumere convenit.

« Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate. » L. 21. 34.

« Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius edomuerit ingluviem. » S. Isidorus, Sent., II, c. 42, n. 11.

Meipsum circa singula examinabo.

137. In gula quomodo delinquatur ?

i. Cogitabo Magistri mei refectiones frugales.
ii. Sensum exposcam abstinentiæ Christianæ.

Comedendi defectus sequenti hoc versu continentur:— *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

1. Respectu cibi qui sumitur, peccari contingit : —

a. quoad *substantiam* (*laute*), in quantum cibus quaeritur pretiosior quam status noster vel necessitas exigit ;

« Quis dabit nobis ad vescendum carnes ? » Num. 11. 4.

(In mentem revocabo Christi et apostolorum simplicitatem quoad cibum ac potum.)

b. quoad *qualitatem (studiose)*, qua cibi nimia diligentia praeparantur et exquisite attemperantur tot condimentis ;

« Carnis curam ne feceritis in desideriis. » R. 13. 14.

« Caro concupiscit adversus spiritum. » Gal. 5. 17.

c. quoad *quantitatem (nimis)*.

« Sit tibi moderatus cibus, et venter nunquam expletus. » Hier. Ep. 22. n. 17

« Summa medicina est abstinentia. » Galenus apud S. Th. in IV. Dist. 15. 3. a. 7.

2. Si spectantur circumstantiae, quibus accipitur cibus peccari poterit : —

a. ratione *temporis (praepropere)* ; ut v. g. horam communem comestionis anticipare, inter refectiones manducare vel bibere, cibos vel electuaria apud se more puellarum retinere ;

b. ratione *modi* sumendi *(ardenter)*.

« Utere quasi homo frugi his, quae tibi apponuntur. » Eccli. 31. 19.

« Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. « ib. 37. 32.

Notetur denique illud S. Thomae : » Corruptio sensualitatis quantum ad fomitem nunquam tollitur in hac vita. » 2. 2. q. 74. a. 3.

138. De malis effectibus gulae.

i. Contemplare statum infelicem filii prodigi. L. 15.
ii. Fortudinem petas ut teipsum vincas.

Serio perpendantur gulae exempla et consectaria deflenda.

I. Ex sacris eloquiis : — lapsus protoparentum (Gen. 3) ; maledictio Noe (Gen. 9, 21-5) ; incestus Lot (Gen. 19,

30-8) ; venditio jurium ab Esau facta (Gen. 25, 29-34) ; murmuratio de ollis carnium (Num. 11) ; peccata filiorum Heli (1 Reg. 2, 13. 17. 34).

II. In corpore : — infirmitates plurimae. Nam per quae peccat quis, per haec et torquetur.

Gula, quantum est potus intemperantia, sola vi interdum curari potest ; quantum est cibi, superatur ultima.

III. In moralibus : —

1. « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. » Ex. 32. 6.

Ex gula enim, ut notum est, facile oriuntur peccata, inepta laetitia, multiloquium, hebetudo.

2. Impedit studium, orationem, cogitationem, lectionem, tempusque inutiliter consumit. In aliquibus porro impedit curam Ecclesiae, pauperum, librorum, « quorum Deus venter est : qui terrena sapiunt. » Phil. 3. 19.

3. « Qui se prosterni parvis conspicit, confligere cum majoribus erubescit. » S. Greg. De mor. 30. n. 58.

« Dum venter non restringitur, simul cunctae virtutes obruuntur. » S. Greg. De mor. 30. n. 59.

« Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomuerit ingluviem. » S. Isidor. Sent. II. c. 42. n. 10.

139. Remedia gulae.

i. Contemplare Christum Dominum, qui simplici refectione panis et piscium multitudinem cibat.

ii Petas spiritum frugalitatis Christianae.

1. Principium stabilias : « comedo ut vivam. »

2. Semper retine sanctorum axioma, quod *ante omnia* vincenda sit gula.

3. Ut certum tene et agnosce gulam vitium saepius esse ordinis sacerdotalis ; et insuper animadverte ex eo pessima consequi alia peccata.

4. Obnitendum est gulae sub quintuplici forma : —

a. *Tempus* observa ; inter refectiones communes nec cibum sume nec potum.

b. Manduca *quae apponuntur*, quin meliora desideres, vel murmures ; immo simpliciora adhuc exopta potius, et praeelige.

c. Comede *lente* ac *modeste*. « Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. » Eccli. 37. 32.

d. *Nutrimentum* quaere non delectationem.

Unde ne sollicitus sis de exquisitiori praeparatione, nec de condimentis congerendis. « Haec me docuisti Domine, ut quemadmodum medicamenta et alimenta suscepturus accedam. » S. Aug. De Conf. x. c. 13.

e. Quantum ad vires corporis tui reficiendas exigatur sume, illudque solum, et cum gratiarum actione. Sitque finis tuus *sustentatio carnis*, non sensus saturitatis.

In dubiis repugna inclinationi, vel panem sumas, quia « appetitus nequam est, et facile nos decipit. Nescit cupiditas ubi finiatur necessitas. » S. Aug.

« Frena gulam, et omnem carnis inclinationem facile frenabis. » De Imit. Christi. I. c. xix. n. 4.

f. Attente et pie recita benedictionem mensae et gratiarum actionem.

140. De sobrietate.

i De sobrietate frequens est admonitio apostolorum : « Vigilemus, et sobrii simus. » 1 Thess. 5. 6. « Sobrie vivamus. » Tit. 2. 12. « Sobrii estote. » 1 P. 5. 8.

ii « Sobrietas, seu ciborum temperantia, est mater sapientiae, et sanctitatis, ac praesertim castitatis. » C. a. Lapide in 1 P. 5. 3.

iii « Ebrietas longe est a me : misereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo : misereberis, ut longe fiat a me. » S Aug. Conf. X. xxxi. n. 3.

I. Temperantia est virtus quae moderatur concupiscentiam circa delectationes ciborum, nimirum : —

1. In ipsa cibi et potus ratione. Sint igitur cibus potusque sani, nutritivi et sufficientes. Haec ciborum fini proprio sufficiunt ; haec virum Christianum contentum reddunt.

   An forsan potius quaeris cibos vel potus, quia pretiosi, delicati, delectabiles ?

2. In iis quae reddunt cibos magis delectabiles, ut sunt condimenta et obsonia fere omnia. « Habet igitur vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus, vitae regulam utroque Testamento firmatam ; ut nihil eorum diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitae hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est, ursurpet, utentis modestia, non amantis affectu. » S. Aug. De moribus Eccl. 1. xxi. n. 39. M. p. 1328.

II. Consideretur porro quod per temperantiam : —

1. minuitur concupiscentia ;

2. mens liberior evadit ut ad Deum elevetur ;
3. optimum sui abnegationis opus praestatur ;
4. « Neque magnum est abstinere cum Christo, qui cum eo sessurus est ad mensam Patris. » S. Bern., Sermo in Capite Jejun, n. 1. Vol. II. 1813.

III. Quam modeste Christus solebat sitim suam et famem extinguere pane, aqua, piscibus, pulmentario simplici ; cogita etiam vinum myrrhatum et acetum.

Quam frugalis fuit victus prophetarum, S. J. Baptistae, apostolorum, primorum eremitarum, — panis scilicet, aqua, pisces, fructus, legumina. In eamdem ferme viam ingressi sunt sancti. Quisnam enim ex iis cibariorum simplicitate et parcitate non est usus ?

141. Regulae ad temperate vivendum.

I. Quoad statum mentis : — illo sis animo ut :
1. libenter velis *carere* iis quae non habes ;
2. contentus sis *privari* melioribus quae habes ;
3. semper relinquas aliquid saltem ex superfluis, quae in mensa proponuntur.

II. Quoad praxim :— Haec teneto ex S. Ignatio :
1. a pane minus abstinendum ;
2. circa potum districtior servanda est abstinentia ; qua in re considera quid tibi prosit, ut admittatur, quid noceat, ut dimittatur ;
3. circa alia edulia praecipua servari debet abstinentia, quia per illa magis incitatur appetitus ad peccandum, vel inimicus ad tentandum ;
4. quanto plus de convenienti cibo tibi ademeris (vitato tamen gravi periculo valetudinis), aptior eris, ut Deus tuam mentem illustret ut scias quantitatem tibi necessariam a superflua discernere ;

5. inter comedendum attende lectioni, vel bonae conversationi, vel memoriae Christi comedentis cum discipulis, ut facilius, statutum tibi moderamen teneas :
6. cavendum est praecipue ne super comedendos cibos, animus quodammodo totus effundatur, et ne avide vescamur et festine, sed appetitui semper dominantes, tum mensuram victus, tum sumendi modum una temperemus.
7. *statue* tibi et *tene* mensuram.

142. De gula Repetitio

i. Repraesentabo mihi Christum cum apostolis simplicissima utentem frugalitate.
ii. Humiliter petam Christi sensum circa abstinentiam

I. *Gula* est appetitus vehemens, animalis ; est porro abusus instinctus necessarii ; facile quis incidit in eam.

Difficile regitur, et difficilius vincitur.

« Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. » Eccli. 18. 30.

II. Gulae *effectus* : —

Hebetat spiritum, perfectioni obstat ; impedit studium et orationem.

Si levis est ; facile fit gravior ; si gravis est, pessima esse agnoscitur.

III. Circa gulam peccatur quoad rei substantiam, sumendo cibum *lautiorem* quam sinit conditio comedentis ; quoad qualitatem, cibos *studiose* praeparatos exquirendo ; quoad quantitatem, *nimis* acipiendo. « Sit tibi

moderatus cibus, et venter nunquam expletus » S. Hier., Ep. 22, n. 17 (M 1. 404).

Insuper peccari potest, ratione temporis, *praepostere* cibos extra horam debitam assumendo ; ratione modi, *ardenter* sumendo cibaria. « Noli avidus esse in omni epulatione. » Eccli. 37. 32.

IV. *Remedia.*

1. Comede ut vivas ; sustentationem quaere non saturitatem.
2. Inter comestiones nihil sumas.
3. In omni simplicitate comede quae apponuntur.
4. Comede lente et modeste.
5. Cave quam maxime, ne te effundas super cibum.
6. Aliquid appetitui denega.

143. De honore castitatis.

i. « Et audivi vocem de coelo, tanquam vocem aquarum multarum,... et vocem quam audivi, sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis Et cantabant quasi canticum novum... Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo, et Agno. » Ap. 14. 2-4.

ii. Donum efflagitabo castitatis perfectae.

I. Castitatis *meritum* insigne.

1. Propter difficultates quibus impeditur. Actus est enim temperantiae heroicae : pugna est corpori inviscerata

« Grandis igitur virtutis, et solicitae diligentiae, superare quod natus es. » S. Hier., Ep. 54, n. 9. (M 1. 554).

« Duriora sunt proelia castitatis. » S. Aug., App. Sermo 293, n. 9. (M 5. 2302).

2. Quia ejus est resistere naturali ac forti stimulo concupiscentiae, cujus flammâ tot materiis incendi contingit.
3. Quia sine gratiae auxilio impossibile est illam integram servare.

II. Castitatis propria gloria habetur per corporis et mentis *consecrationem ad divina*. Et sane : —

1. Virgo ducit in terris vitam angelicam.
2. Virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta (pura et immaculata) corpore (propter illibatam integritatis custodiam) et spiritu (propter familiaritatem cum Deo, et Spiritus sancti inhabitationem).
3. Virginitas hostia Christi est. S. Hier.
4. « Incorruptio facit esse proximum Deo. » Sap. 6. 20.
5. « Facultatem praebet sine impedimento Dominum obsecrandi. » 1 C. 7. 35. Hinc a virgine Deo servitium amplius praestari potest ; inde etiam singularis dilectio favorque ex parte Dei.

Si quid igitur vel leviter admitto contra castitatis perfectionem, id prorsus abjiciam.

An forsan in me sit defectus aliquis quoad vigilantiam, quoad resistendi vigorem, quoad orationis promptitudinem ?

144. De horrore luxuriae.

i. Recogita descriptionem in 2 P. 2. 22 : « Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum ; et, Sus lota in volutabro luti. »

ii. Enixe petas, ut a tanta foeditate custodiaris semper.

I. Vitium est cujus nomen « *turpe ;* » quod vel nomi-

nasse dedecet. Pudefacti *refugiunt lucem*, ac reformidant, ne in foeditate sua quovis modo deprehendantur. Qui hoc vitio inquinati fuerint, poenas etiam in hac vita luunt maximas.

Hoc praesertim vitio homo comparatur equo et mulo « quibus non est intellectus. » Ps. 31. 9.

II. Est flagitium summopere in Levitis detestandum : « Mundamini, qui fertis vasa Domini. » Is. 52. 11.

« Sanctificamini et estote sancti, quia ego sanctus sum. » Lev. 20. 7.

III. Quam horribilis sit hujus turpitudinis foetor, apparet ex Sacris Litteris : ipsa enim contra corpus proprium peccatur. 1 C. 6. 18. violatur templum Dei. « Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. » 1 C. 3. 17.

Alibi idem apostolus monet : « Omnis immunditia nec nominetur in vobis. » Eph. 5. 3.

S. Hieronymus dicit crimen hoc de homine pecudem facere. Ejus porro vitiositas elucet ex modo quo a Deo punita est ; v. g. per ignem Sodomae. Gen. 19. 24. Recogita deinde tribum Benjamin deletam : Judic. 20. 48 ; Samsonem excaecatum, Judic. 16. 21 ; David illectum, 2 Reg. 11. 4 ; Salomonem factum idololatram, 3 Reg. 11. 4.

IV. Si alliceris nefando hoc vitio, cogita mortem. Memorare quod non pauci ipso peccandi actu morte abrepti sint. Abs te quaere : quid haec quando et tu moreris ? quid vero post mortem ?

V. Memento etiam quod ex tentatione, non clades sed victoria a Deo intendatur.

« Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » 1 C. 10. 13.

145. Remedia luxuriae.

i. Animo volvas istud : « Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ? » Ps. 23. 3.

ii. Firmissime tecum statue remedia tibi aptissima contra hoc vitium adhibere.

I. Ad horam tentationis :

1. Fuga rei, et occasionis : « quia continua cogitatio auget peccati incentivum. » 2. 2. q. 35. a. 1. ad 4. « Fugite fornicationem. » 1 C. 6. 18.
2. Oratio jaculatoria : « Tu non poteris quod isti et istae ? An vero isti et istae in semetipsis possunt, ac non in Deo suo ? » S. Aug. Conf. viii. 11.
3. Voluntas ferrea resistendi, non mera velleitas fallax.

   Cogita quo modo S. Benedictus in spinas, SS. Bernardus et Franciscus in aquas gelidas, alii in prunas ardentes sese injecerint.
4. Fiducia divinae promissionis (1 C. 10. 13), et forti animo esse.

II. Ante tentationis accessum :

1. Remedia tibi in particulari proposita constanter adhibeas.
2. Vigil esto. « Omni custodia custodi cor tuum. » Prov. 4. 23.
3. Sensus cohibe, maxime oculos. « Ascendit enim mors per fenestras. » Jer. 9. 21.

   « Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. » Eccli. 9. 5.

   Solus cum sola ne maneas unquam.

4. Utere temperantia cibi et potus ; cui bene adjunges abstinentiam aliquam poenitentialem vel in vestibus, vel in camera, vel in lectulo ; ac gere te tanquam virum in disciplina et modestia christiana bene exercitatum. « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. » 1 C. 9. 27.
5. Devotus sis erga Beatissimam Mariam Virginem.
6. Frequenter et pie suscipe Sacratissimum Sacramentum, quod est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines. » Zach 9. 17.
7. Profundam exerce humilitatem. Nam quanto quis est superbior, tanto vicinior est summae confusioni turpitudinis. « Exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. » Ps. 87. 16.

146. De castitate (2).

i. « O quam pulchra est casta generatio cum claritate. » Sap. 4. 1.
ii. « Adii Dominum, et deprecatus sum illum. » ib. 8. 21.

---

1. Summum est *meritum* castitatis ob ingentem difficultatem illam servandi. « Grandis igitur virtutis est, et sollicitae diligentiae, superare quod natus sis ; in carne, non carnaliter vivere ; tecum pugnare quotidie, et inclusum hostem Argi (ut fabulae ferunt) centum oculis observare. » S. Hier. Ep. 54. n. 9.

2. *Gloria* ejus insignis est ; nam est vitae humanae ad Deum consecratio realis. Virgo est hostia Deo dedicata. Castitas animam Deo conjungit.

3. Foeda est oppositi *vitii turpitudo*.
   1. Sibi proprium est nomen « turpe. » Odit lucem ; et in hac etiam vita poenas luit miseras.

2. Summopere repugnat dignitati et ministerio sacerdotum hujus Novi Testamenti.
3. Foetido hoc vitio homo pecudem se facit; immo saepissime pecude pejorem.

4. Luxuriae *remedia* .
1. Occasionem illico fugere. « Quemadmodum enim miles, januam domus ingressus, facile totam domum occupat, sic carnis tentatio. » Busaeus, Panarium, p. 680.
2. Jaculatoriam fundere precem. « O amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris. Charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes : da quod jubes, et jube quod vis. » S. Aug. Conf. x. c. 29.
3. Tenere voluntatem resistendi adamantinam. « His datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. » S. Hier.
4. Si in coeno hujus peccati exstiteris, memento te nunc inter damnandos esse, donec resipueris et abnegaveris vitium (id quod, adjuvante Deo, in tua semper est potestate).

147. De avaritia.

i. Diligenter perpendas verba proditoris : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? » M. 26. 15.
ii. Obnixe Dominum roga, ut nunquam labaris in barathrum avaritiae.

I. Avaritia est rerum *temporalium appetitus immoderatus ;* cupido scilicet inordinata supellectilis, ornamentorum, opum, pecuniae. Quaeruntur ista ultra id quod necessarium est ad vitam vel conditionem appetentis.

Qualis ea in re professio mea ? Quot et quibus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

indigeo ? An possideo ea quae meo statui sunt superflua ? An adhuc plura cupio ?

II. Vitium *capitale* est ; avaritia sane appetibilis est, quia quum homo bona utilia congerit, sibi repromittit quamdam bonorum sufficientiam; quod maxime verum est in re pecuniaria.

Malam avaritiae fecunditatem perceperunt ipsi ethnici, inter quos Cicero ait : « Intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum, atque solemne, quod non avaritia comminuere, atque violare soleat. » Orat. Pro P. Quinctio. *ante med.*

Avaritia autem : —

1. est fiducia rerum caducarum; bonis infimis adhaeret;
2. in terra tantum praemiatur : « Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. » L. 6. 24.
3. est vitium in sacerdote vere execrabile. Sacerdos illo inquinatus, « cupidus » et « tenax » impedit bonum animarum ; et non immerito dici potest « mercator pessimus ; »
4. insanabilis evadit quando adoleverit.

III. *Effectus mali* qui ex avaritia derivantur : —

1. « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. » 1 Tim. 6. 9.
2. Inquietudo animi. Citat Seneca haec verba poëtae : »

« Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus. » Ep. 108.

Affectus penes ipsum semper tenax et anxius.

3. *Obduratio* contra Ecclesiam, miseros, socios. « Avaro nihil est scelestius. » Eccli. 10. 9.

« Nihil iniquius est quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet. » ib. 10.

148. Monita synodi Westmonasteriensis quartae [1].

i. Recogita verba Christi : « Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternum possidebit. » M. 19. 29.

ii. De emolumentis ministerii, et de rebus vitae ecclesiasticae superfluis, statue nunquam loqui.

---

1. « A seminaristis expellantur —
   a. *luxus hujus saeculi*, (sumptus in victu et vestitu et supellectili nimis profusi. » Paupertatem enim in apostolis suis explicite postulabat Dominus, quos neque zonam neque peram neque sacculum habere permittebat :)
   b. *mollis vita :* (ornamenta, commoda moderna, quae voluptatis causa quaeruntur, pecuniae ad quaelibet emenda, quam distant a virili simplicitate apostolorum et sacerdotum sanctorum :)
   c. *moresque delicati,* (quibus omne durum, omne incommodum tanquam gravamen importabile fugitur. Quam longe absunt ista a spiritu religioso qui « per omnia dura » proponit sequi Magistrum :)
   d. *nimius otii ac quietis amor*, (qui vires animumque semper minuit.)

2. Supradicta expellantur per —
   a. *virilem simplicitatem ;* (quid mihi ad vocationem necessarium, nempe ad orationem, studium, victum, habitationem, et convenientem recreationem ? quid forsan vocationi apostolicae nocivum ?)

---

1. Decretum IX. n. 9.

b. amorem crucis ; (aliud prorsus est loqui de cruce Domini, vel suaviter cantare ejus triumphum, aliud crucem veraciter desiderare et amplecti cum S. Andrea :)

c. sanctam in laboribus assiduitatem ; (haec importat sui victoriam, sui-abnegationem, generosam suae vocationis amorem :)

d. profundum paupertatis amorem ; (paupertatem enim tanquam dotem pro se suisque discipulis elegit Dominus noster. « Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » 2 C. 8. 9.)

« Clericus paupertatem tanquam consilium evangelicum diligere ac revereri discat ; et,.. sibi persuasum habeat pauperes spiritu omnes fieri debere, et in eo cum Christo Sanctisque similitudinem constare. » 1 C. n. 11.

149. Remedia avaritiae.

i. Ad mentem revoca verba S. Petri : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : » M. 19. 27.

ii. Suppliciter roga spiritum paupertatis evangelicae.

---

1. *Verba Christi* animo revolvas : « Nolite solliciti esse in crastinum. » M. 6. 34. « Videte et cavete ab omni avaritia : quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quae possidet. » L. 12. 15.

Quibus et illud S. Pauli addatur : « Sint mores sine avaritia contenti praesentibus. » Heb. 13. 5.

2. *Temporalia transeunt.* Notat apostolus « incertum divitiarum. » 1 T. 6. 17 ; et Christus suos jam graviter

monuerat : « Nolite thesaurizare vobis.. in terra,... sed in coelo. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » M. 6. 19. 21.

3. Temporalia *non satiant* desiderium hominis. « Quanto quisque amplius habere coeperit, tanto amplius habere concupiscit : fitque ut modum in concupiscendo non habeat ; » Ap. VII ad Opp. S. Isidori. n. 50.

« Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. » Eccles. 5. 9.

Postremo a Domino ipso denuntiatur « fallacia divitiarum. » M. 13. 22.

4. « Quaestus magnus, pietas cum sufficientia. » 1 T. 6. 6.

« Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui necessaria. » Prov. 30. 8.

Si opes non habes, tolle inordinatum affectum ad illas, et de statu tuo sis contentus. « Habentes autem alimenta. et quibus tegamur, his contenti sumus. » I Tim. 6. 8. « Si vero opibus abundas, non speres in incerto divitiarum sed in Deo vivo, et dives fias in bonis operibus. » Busaeus. Panarium. I. p. 38.

5. Cogita exemplum praeclarissimum Christi et sanctorum : —

a. « Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » 2 C. 8. 9. « Non habuit ubi caput reclinaret. » L. 9. 58.

b. Discipuli pauperes missi sunt ad praedicandum.

c. Christus omnibus dicit : « Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in saeculo futuro vitam aeternam. » L. 18. 29. 30.

d. Spiritus paupertatis ad perfectionem plane necessarius est.

150. De avaritia (Repetitio).

i. « Propter vos egenus factus est, cum esset dives. » 2. C. 8. 9.
ii. Tecum statue nunquam admittere studium superfluorum.

---

1. Avaritia est *inordinatus amor* pecuniarum, vel possessionum : est cupiditas congerendi superflua.

2. Avarus ponit thesaurum et cor suum in rebus *caducis*. Contra vero monet apostolus : « Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » 1 P. 5. 7.

3. *Mala* sunt plurima eaque gravia, quae inde defluunt :— impedit bona sive studii, sive orationis, sive animarum ; denique insanabilis evadit ; mentem efficit tenetque anxiam ; cor siliceum reddit.

4. Districtissime a Spiritu sancto *condemnata* est : —
« Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem. » 1 T. 6. 9.
« Radix omnium malorum est cupiditas. » ib. 6. 10.
« Cupiditas, idolorum servitus. » Col. 3. 5.
« Avaro nihil est scelestius. » Eccli. 10. 9.
Opponitur tandem primae beatitudini a Christo promulgatae :
« Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum coelorum. » M. 5. 3.

5. *Remedia*.
a. Revoca verba Domini : e. g. « Cavete ab omni avaritia : » L. 12. 15 ; et monita ad discipulos : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. » M. 10. 9.

b. Perpendas statutum : « Clericus paupertatem tanquam consilium evangelicum diligere ac revereri discat ; et.. sibi persuasum habeat pauperes spiritu omnis fieri debere, et in eo cum Christo Sanctisque similitudinem constare. » Syn. Prov. West. IV. Dec. IX. n. 11. p. 219.

151. De iracundia.

i. « Noli esse sicut leo in domo tua. » Eccli. 4. 35.
ii. Ora ut vitii hujus radices e corde tuo evellantur.

I. *Quid* est iracundia ? Appetitus est inordinatus vindictae ; quatenus vel —
1. indebitam poenam quaerit ;
2. cupit ut poena infligatur a non habente potestatem ;
3. deficit a ratione eo quod quis nimis incandescit interius vel exterius.

Monet autem Sacra Scriptura : « Irascimini et nolite peccare. » Ps. 4. 5.

II. *Gravitatem* suam praestantem habet ex vehementia et velocitate impetus sui. et ex verbis ac gestibus, quibus solet manifestari. « Ira brevis insania » (Cato). « Ira et furor, utraque execrabilia sunt. » Eccli. 27. 33.

III. Quoad *modum* hujus vitii animadvertendum quod —
1. alii *citissime* irascuntur : eos autem monet apostolus : « Sit omnis homo... tardus ad iram. » Jac. 1. 19.
2. alii vero *lentius* incenduntur, sed quia morosi sunt, penes eos diutius protrahitur ira ex permanenti memoria injuriae illatae ;
3. alii denique *flecti nesciunt*, sed vindictam pertinaciter quaerunt. Contrarium prorsus docet apostolus :

« Sol non occidat super iracundiam vestram. » Eph. 4. 26.

IV. Vitium *capitale* est, quia plura exinde enascuntur mala. Objectum enim irae secundum se appetibile esse videtur in quantum prae se fert speciem justae vindictae ; modus vero ejus velox est et praeceps.

V. Causa ejus est —

1. *subjectiva*, sive praedispositio naturalis subjecti (i. e. passio naturalis), vel —
2. *objectiva* : —
   a. Ex diversa hominum indole ; vivitur enim cum perfectis et imperfectis, cum peritis imperitisque, cum sanis et infirmis, cum iis qui similes nobis sunt, et cum iis quorum indoles nostrae contraria est.
   b. Res terrenas concupiscimus, ideoque irascimur cum eas amittimus.
   c. Opinionibus, gustibus propriis adhaeremus, quae saepe mordicus defendimus.
   d. Oritur tandem ira ex injuria sive vera sive existimata, sive pure conficta. « Occasiones quaerit qui vult recedere ab amico : omni tempore erit exprobrabilis. » Prov. 18. 1.

152. Iracundiae mali effectus.

i. « Ira, indignatio, clamor, tollatur a vobis. » Eph. 4. 31.
ii. Deum precabor ut radicem amaritudinis ex anima mea extirpare dignetur.

Mali effectus iracundiae sunt : —

1. *Indignatio*. Efferbeo in alium ; quia (ut ego contendo)

fecit, quod nullus aequo animo ferre valet ; mihi veram injuriam intulit ; jure igitur vindictam exigo.

Audiatur tamen Dominus : « Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. » M. 5. 22.

2. *Tumor mentis*, qui provenit ex cogitatione de variis modis poenam irrogandi, et de innumeris rationibus ob quas poena merito exigi potest et debet. Istis interim mens tota repletur ; semper et ubique de vindicta agitatur.

3. *Clamor*, seu inordinata et confusa locutio, qua manifestatur iracundia. Homo amittit modestiam, dignitatem, dominium sui, imo et debitam dictorum considerationem ; ita ut statim poeniteat eum de injuriosis, vel de falsis, vel de puerilibus quae protulit.

4. *Verba injuriosa* :

a. Iracundus *contumelias* profert ; verba emittit probrosa ; quaerimonias movet ; verba et actiones perverse interpretatur ; bona pervertit, mala exaggerat, detractiones dicit ; sequuntur accusationes mutuae ;

b. Nimis frequenter emittuntur *imprecationes* et *blasphemiae* : « qui dixerit fratri suo, Raca : reus erit concilio. » M. 5. 22.

5. *Actio* rixosa. Iracundus ostendit vultum austerum, silentio frigido in alterum utitur, deinde ignescunt oculi, ebullit sanguis, vultus totus immutatur in novum et terribilem : « qui autem dixerit, Fatue : reus erit gehennae ignis. » ib. 22.

« Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te ; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum. » ib. 23. 24.

153. Iracundiae remedia [1].

1. « Quae homo in se vel in alio emendare non valet, debet patienter sustinere donec Deus aliter ordinet. » Imit. Christi. I. c. XVI. n. 1.

2. Gratiam pete adhibendi media tibi aptiora.

---

1. *Mala* iracundiae perpende. « Ira in sinu stulti requiescit. » Eccles. 7. 10.

« Ira perdit etiam sapientes. » Prov. 15. 1. (juxta LXX.)

Iracundia est aegritudo animae, vel insania quaedam.

2. Considerentur : —

a. *Christi instructio :* « Dimittite et dimittemini. » L. 6. 37.

b. *Damnum* illatum, quod iram excitat, tanquam *a Deo* ordinatum vel saltem permissum.

c. Boni te diligunt, imperfecti te vituperant ; *utrumque* accipe ; « non vosmetipsos defendentes, sed date locum irae. » R. 12. 19.

d. Si tu ab aliis nonnulla toleranda suscipis, *alii* contra, *a te* non modica patiuntur. « Alter alterius onera portate. » Gal. 6. 2.

3. *Causas* irascendi removere stude : nempe —

a. *amorem opinionis* propriae, —

b. amorem sensus tui, seu *intolerantiam* illius quod tibi displicet, —

c. *desiderium* rerum temporalium, sive pecuniae, sive honoris, sive voluptatis.

---

1. Ante impetum iracundiae

4. Ante opus aliquod sollerter perpende quaenam adversa contingere facile queant, et sic animam tuam corrobora bis ante eventum.

154. Iracundiae remedia (2) [1].

i. « Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. » Eph. 4. 32.
ii. Enixe postula dona mansuetudinis.

1. Iracundiam *interius compesce* simul ac orta fuerit.

Fortiter vince te. « Pugna tecum ipse. Si iram vincere non potes, illa te incipit vincere. » Seneca. De ira. III c. 12.

Memento dicti S. Ambrosii : « Esto, sit naturae irasci, hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore. » Ep. 63. n. 60.

In mentem revoca et illud S. Hieronymi : « Irasci hominis est, sed iram non perficere Christiani. » Ep. 79. n. 10. M. p. 731.

2. Quapropter ira excandescente : —

a. nihil plane dicas : « Turbatus sum, et non sum locutus. » Ps. 76. 5.

b. gestum nullum facias ;

c. numeros computa, vel repete alphabetum, nisi malis *Pater noster* dicere. « Maximum remedium irae dilatio est : ut prius ejus fervor relanguescat, et caligo quae premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. » Seneca. De ira. III c. 12.

Differ tempus agendi, donec mens statum tranquillum iterum adepta fuerit.

1. In ipso irae exordio

d. si quando necesse sit illico respondere, oportet omnino ut responsio sit benigna et mitis. « Responsio mollis frangit iram. » Prov. 15. 1.

» Vultus remittatur, vox lenior sit, gradus lentior.. In Socrate irae signum erat, vocem submittere, loqui parcius. » Seneca. op. cit. III c. 13.

3. Ob oculos pone axioma illud Christo vere dignum, quo apostolus monet nos : « *Noli vinci a malo*, sed vince in bono malum. » R. 12. 21.

4. Quamprimum *quaere reconciliationem* ; nimirum ante proximam comestionem vel ante somnum. « Vade prius reconciliari fratri tuo. » M. 5. 23.

Jesu patientissime, miserere nobis.

155. De iracundia (3).

i. Contemplare exemplum Christi mansuetissimi in horto, in domo Caïphae, in cruce.

ii. Pete ut libereris, vel ut immunis serveris a feroci hoc vitio.

I. *Iracundia* est appetitus immoderatus vindictae, quae Deo soli competit. Indolem suam pessimam atque horrendam inde habet quod sit « furor sive amentia brevis. » Pro tanto quod homo iracundia afficitur, homo esse desinit. « Noli esse sicut leo in domo tua. » Eccli. 4. 35.« Nihil ingratius homine iracundo, nihil onerosius, nihil molestius. » S. J. Chrysos. In Act. Apost. vi. n. 4. Vol. 9. p. 54.

II. *Ortum* ducit partim ex praedispositione subjecti, partim ex injuria vera vel imaginaria.

« Magna pars querelas manu fecit, aut falsa suspicando, aut lenia aggravando. » Sen. l. c. c. 11.

III. Mentem vehementer *perturbat* ; ea tumescit cogitationibus vindictae. Dum furor manet, nihil apte facere valet homo. Erumpit tandem in verba, clamores, calumnias, contumelias, rixas, viro prorsus indignas.

IV. *Remedia* : —

1. *Mala* perpendere quae ex ira necessario proveniunt ; nimirum in te, — verba, gestus, actiones indigna ; in alio, — timor, tristitia, inimicitia.
2. Recordare Christi et Apostoli *instructiones* : — Dimittite, — da locum irae ; alter alterius onera portate. Noli vinci a malo.
3. Alio irascente, ne irascaris tu, sed *delicate* et *suaviter* iram divertas. « Responsio mollis frangit iram. »
4. *Causas tolle* :
   a. comprime efferventem tuam indolem ;
   b. vince superbiam opinionis propriae, et intolerantiam respectu dictorum et factorum proximi.

156. De mansuetudine [1].

i. « Mansueti haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. » Ps. 36. 11.

ii. Ora ut possis intelligere et valide exercere virtutem hanc singulariter Christianam.

I. *Quid est mansuetudo?* Virtus quae refraenat passionem iracundiae. Cohibet motum impatientiae, intolleran-

1. Cf. 2. 2. q. 147.

tiae, irritationis, vindictae. Injurias placide tolerat, mala perpessa ordinat ad Dei gloriam.

II. Inter mansuetudinis effectus recensentur isti :—

1. Efficit hominem *sui compotem,* placidum et tranquillum. « (Deus) dirigit mansuetos in judicio, docebit mites vias suas. » Ps. 24. 9.

   Hinc aptum reddit hominem ut divinam in se recipiat illuminationem. « In cordibus mansuetorum requiescit Dominus. « S. J. Climacus. Grad. 12.
2. Concurrit in eundem effectum cum charitate, quatenus mala non infligit ex ira in proximum ; unde eminentia quadam gaudet.
3. Omnium animos in se *convertit* : « mites possidebunt terram. » M. 5. 4.
4. *Similes Christo* nos reddit. Dixit enim : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » M. 11. 29.

III. Plures sunt gradus mansuetudinis : recensentur enim : —

1. mansuetum esse corde et ore :
2. iram mansueto responso *frangere* : « Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. » Eph. 4. 32.
3. *injurias* mansuete tolerare, secundum exemplum Magistri, « qui cum malediceretur,non maledicebat. » 1 P. 2. 23.
4. in injuriis *exultare* : « tradebat autem judicanti se injuste » (ib) « communicantes Christi passionibus gaudete. » ib. 4. 13.
5. alios sua mansuetudine *vincere* : « si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. » R. 12. 20.
6. « Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. » Tit. 3. 2.

157. De mansuetudine Christi.

i. Recole dictum S. Petri : « Vobis relinquens exemplum. » 1 P. 2. 21.

ii. « Christus tantae fuit humilitatis et mansuetudinis in sufferendis Scribis, discipulis, turbis, injuriis, probris, irrisionibus, flagellis, cruce et morte, ut etiamsi nullum fecisset miraculum, tanta tamen mansuetudine sat superque probasset, se esse hominem coelestem, et verum prophetam et a Deo missum. » a Lapide in M. 11. 29.

iii. Jesu mitis et humilis corde, miserere nobis.

---

1. *Imago Salvatoris* a prophetis praenuntiata : —

« *Non contendet* : » arguendo, disputando, contemnendo ;

« *neque clamabit* : » increpando, vituperando, irridendo ;

« *neque audiet aliquis in plateis vocem ejus* : » arroganter loquendo, vel rixando ; « arundinem quassatam *non confringet*, et linum fumigans *non extinguet*. » En misericordiae affectus. M. 12. 19. 20.

2. Christi monitum primarium.

« Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » ib. 11. 29.

3. Noluit poenam irrogare in Samaritanos qui hospitium negaverant,

« Nescitis cujus spiritus estis. » L. 9. 55.

4. Erga peccatores benignissimus fuit semper.

5. Judae, qui jam cogitaverat et paraverat proditionem suam nefandam, pedes lavit.

6. Judae roganti, « Numquid ego sum Rabbi ? » *submissa voce* respondit « Tu dixisti. » M. 26, 25.

7. In horto quantam denuo Judae ostendit mansuetudinem : servi porro auriculam sanavit. Quantam deinde mansuetudinem exhibuit in iniquissimo isto judicio Caiphae et Pilati, quantam inter cruciatus subsequentes. » Sicut ovis ad occisionem ducetur.. et non aperiet os suum. Is. 53, 7.

« Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste...

Haec est gratia apud Deum..

In hoc enim vocati estis... 1 P. 2, 19-21.

158. Media ad mansuetudinem acquirendam.

Pulchrae mansuetudinis studio incumbens :

1. Considera

a. ejus *dignitatem*, possessionem sui, mentis tranquillitatem, et praesertim quod hominem Christo simillimum faciat ;

(E contrario perpende iracundiae indignitatem, insaniam, injuriam, terrorem, et quod sit odibilis valde.)

b. ejus *potentem* in animos *influxum*. « Symbolice, mites possident terram, id est, hominum, qui terreni sunt, corda ; nam per mansuetudinem ea sibi conciliant, et quasi obligant, ut ea possidere videantur, juxta illud Ecclesiastici 3. 19 : Fili, in masuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris. » Corn. a Lapide in M. 5, 4.

Irae vero damna plura sunt, et sibi aliisque multum nocet.

2. Revoca in mentem

a. dicta Christi et Apostolorum : —

« Pax vobis » L. 24, 36. « Pacem meam relinquo vobis.» J. 14, 27.

« Ego dico vobis, non resistere malo. » M. 5, 39.

« Benefacite his qui oderunt vos. » ib. 44.

« ut sitis filii Patris vestri. » ib. 45.

« Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles ; non reddentes malum pro malo,... sed e contrario benedicentes. » 1 P. 3, 8. 9.

b. exemplum Christi, « qui sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. » Is. 53, 7.

3. *Sis animo excelsus.* « Princeps superior est omni injuria. » « Caesar non solet oblivisci nisi injurias. » « Proprium est magnitudinis verae non se sentire percussum. » Seneca. De ira, III, c. 25.

« Muliebre est convitium convitio repellere. » Corn. a Lapide.

4. *Observa* et *imitare* mites.

5. *Exerce te* in injuriis ferendis. Illas mente revoca, et iterum vince te. Accinge te ad recipiendas injurias et ad sustinendum.

6. Super lapsus et progressum, *examen* quotidie institue.

159. De Mansuetudine (Repetitio).

i. « Sectare charitatem, patientiam, mansuetudinem. » 1 T. 6, 11.

ii. A Christo petas dotem hanc vere Christianam.

Circa mansuetudinem haec denuo mente volvantur :—

1. *Virtus* est quae cohibet motus intolerantiae, irritationis, impatientiae, vindictae.

2. *Effectus*. Facit hominem mente serenum, in adversis suavem, fratribus affabilem ; omnium animos ad se trahit.
« In mansuetudine serva animam tuam. » Eccli. 10, 31.

3. *Gradus*.
Iracundias aliorum tolerat ;
Injurias sustinet ;
Bonum pro malo reddit.
« Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis. » Eph. 4, 32.
« Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Tit. 3, 2.

4. *Media*.
a. Monitum Christi saepe recogitandum : « Discite a me, quia mitis sum. »
Exemplum Christi ob oculos retinendum.
b. Consideretur missio nostra : « Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. » L. 10, 3.
« Pacem meam relinquo vobis. » J. 14, 27.
c. Strenue exerce te.
d. Illa animi magnitudo quae injurias contemnit, virum decet Christianum. Hujusmodi hominem nihil laedit nisi peccatum.

160. De invidia.

i. « Non efficiamini inanis gloriae cupidi... invicem invidentes. » Gal. 5, 26.
ii. Enixe petamus, ut liberemur a peste ista.

I. Invidia *quid est?* Tristitia est de bono proximi, quod proprio bono detrahere putatur. Tristitia concipitur de eo, circa quod esset gaudendum. Vitium hoc turpe semper est et ignobile.

II. Adversatur —

1. *caritati*, cujus est delectari bono proximi (peccatum igitur est malitiae in proximum) ;
2. *misericordiae*, cujus est de malo proximi tristari. « (Invidi) de bonorum hominum malis gaudent, de profectibus lugent, inimicitiis gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi : amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi. » Jul. Pomerii. De Vita Contemplativa. III, c. 9.

Ac insuper dum neminem juvat, neminem magis laedit quam ipsum suum nutritorem.

III. Quia amatores *honoris* et *gloriae* magis quam alii hoc vitio tabescunt, merito dicitur esse filia superbiae et inanis gloriae. Secundum Aristotelem est antagonista fortunatorum, adeoque quanto magis crescit virtus unius, tanto et invidia altius in alio defigitur.

IV. Vitium *capitale* est a quo defluunt —

1. susurratio ; — murmuratio, suggestiones ;
2. detractio, ut minuatur nomen proximi sive in bono inviso, sive in aliis ;
3. exaltatio in adversis : « Qui in ruina exaltatur alterius, non erit impunitus. » Prov. 17, 5.
4. afflictio in prosperis, qua quis angitur tristaturque de donis vel felici successu alterius ;
5. odium. « Feris sane hi (invidi) deteriores sunt, demonibus pares, imo forte pejores illis. » Chrysos. in Joan. Hom. 37, n. 3.

V. *Ophthalmiae* morbo similis est, quo lucis fulgor oculum offendit, vel objectum falso colore repraesentatur. A SS.

Patribus invidi comparantur vulturibus, muscis, scarabaeis, suibus, quia de corruptione vel comedunt vel enascuntur, vel in ea volutantur.

161. De indole peculiari vitii hujus.

i. « Sciebat quod per invidiam tradidissent eum. » M. 27, 18.

ii. Ab indigno hoc vitio libera nos Domine

I. Invidia morbus est ferme *insanabilis*.Nam invidi nolunt virus prodere,idque potius ratiunculis ineptis occultant.

Consilia haud quaerunt, immo sibi persuadere satagunt, quod jure meritoque moleste ferant aliorum bona.

« Putredo ossium invidia. » Prov. 14, 30.

II. Invidia non voluptatem, sed afflictionem et continuam *miseriam* invido concitat. Parens est tristitiae malevolae et « serra animae. »

III. *Stultissima* est, quia etiamsi alius privaretur bonis, quae sunt invidiae objectum, non ideo in possessionem devenient invidentis. Et sicut charitas inter fratres bonorum communionem efficit, ita invidia a bonis fratrum se separat, ac proinde eorum participatione se privat.

IV. Vitium hoc est *pusillanime* et *ignominiosum*. « Parvulum occidit invidia. » Job. 5, 2. Nemo se invidum esse vellet admittere. *Signum* est vel propriae imbecillitatis, quam intus nos ipsi percipimus, vel arrogantis superbiae, qua quis non vult sustinere excellentiam alterius.

« Hoc peccatum venia prorsus privatur. Nam scortator potest concupiscentiam obtendere ; fur paupertatem ; homicida iram ; ... Tu vero, quaeso, quam causam obtendes? Nullam omnino nisi ingentem malitiam. » S. J. Chrysos. 1 c.

V. Considera 1. *vilitatem* eorum bonorum quae invidus in alio tolerare nequit, eamque compara cum excellentia et perpetuitate virtutis. Illa itaque contemnere stude, et ad meliores virtutis dotes ascendere contendas.

Neque divitias desideres, neque potentiam, neque robur, neque eloquentiam, neque studiorum praestantiam, neque librorum copiam et splendorem, nisi quatenus sunt media ad virtutes, vel sunt et ipsae virtutes.

2. *Considera excellentiam coelestis nostrae haereditatis,* quam « cohaeredum multitudo non angustat, quae et omnibus una est, et singulis tota. » S. Greg., Moralium. V, in fine.

162. De malis inde consequentibus [1].

i. « Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. » Gen. 37, 4.

ii. « Invidia diaboli peccatum intravit in orbem terrarum. » Sap. 2, 24.

iii. « Neque cum invidia tabescente iter habebo. » Sap. 6. 25.

Invidiae consectaria mala meditare.

1. *Infigit radices* superbiae et vanae gloriae. Invidus vult solus excellere ; vult ut Deus non cumulet alios

1. (Secundum Alvarez de Paz. De Exterminatione Mali. II, c 11).

bonis suis naturalibus vel supernaturalibus; vult ut Deus sit suus, non autem aliorum.

Bona aliorum invidi contemnunt, seipsos extollunt; si forte cum aliis non honorentur, arbitrantur se injuste, vel infeliciter esse neglectos. Alios putant stulte laudari, vel longe nimis supra merita aestimari.

2. *Exultatio in adversis.* Gaudent invidi de aliorum infelici successu, de admonitione aliis data, de oppugnatione inimicorum. Ignobile plane vitium, et penes omnes detestabile.

3. *Bona aliorum* silentio premunt, vel carpunt. Mala et defectus eorum aperiunt; immo ipsam mali speciem propalant, et in ea manifestanda multis insistunt. Vultures sunt, qui pulchra non animadvertentes volant ad viscera ac foetida dilaceranda et devoranda.

4. *Virtutes* aliorum perverse interpretantur, et in sinistram partem detorquent; ita Judaei dicta et facta Salvatoris taxabant. Zelum ambitionem dicunt; ingenium merae industriae fructum pronuntiant; pietatem nominant ineptitudinem; disciplinae studium autumant esse favoris inquisitionem.

5. Bona opera aliorum impediunt: —
   a. detractionibus:
   b. falsis testimoniis:
   c. ipsis suis laboribus. « Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant.

   Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. » Phil. 1, 15. 17.

163. Remedia invidiae.

i. « Eramus enim aliquando et nos insipientes,... in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem » Tit. 3, 3.
ii. « Ab omni mala voluntate, libera nos Domine. »

---

1. Hujus vitii *turpitudinem*, malitiam, pusillanimitatem, ineptiam in mente bene defigas.

2. *Radicem* simul et comitem ejus penitus evellere studeas, scilicet inanem gloriam vel superbiam. Ita Dominus noster :

« Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. At Jesus videns cogitationes cordis illorum,.. ait illis.. Qui minor est inter vos omnes, hic major est. » L. 9, 46. 48.

3. Hoc igitur vitium lugubre —
a. compesce interius :
b. exterius etiam confringere stude —
α. orando ut Deus omnia bona proximi in gloriam suam velit ordinare :
β. non detrahendo absentem, sed bona ejus laudando, mala tacendo, dubia in bonam partem interpretando.

4. Fove *charitatis* regulam :
« Charitas non aemulatur. » 1 C. 13, 4.
« Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. » J. 13, 34.

5. Cogita *mala pessima* quae inde consecuta sunt : —
Ex invidia diaboli venit peccatum in mundum. Gen. 2, 24.

Ex invidia Caini homicidium fratris sui minoris. Gen. 4, 5.

Ex invidia fratrum Joseph venditio fratris et mendacia. G. 37.

Ex invidia Saulis homicidium attentatum. 1 Reg. 18, 7, 8.

Ex invidia Herodis in Christum natum occisio innocentium. M. 2.

Ex invidia Judaeorum occisio Filii Dei.

6. Considera non tam hominis esse hoc vitium quam felis. Nec mirum est quod consulat Sapiens : « Ne comedas cum homine invido. » Prov. 23, 6.

164. De invidia (Repetitio).

i. « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ? » M. 20, 15.

ii. « Ab omni malo, libera nos Domine. »

---

1. Invidia est animae *ophthalmia,* quia bonum proximi perversissime reputat esse malum suum.

Tristitia inde concipitur unde gaudium oriri deberet.

Turpe hoc vitium est, et vitiorum fons, et infensus hostis pacis internae.

Pusillanime est et viro nobili indignum. « Parvulum occidit invidia. » Vermis est in corde situs ; ulcus quod vires debilitat et corrumpit.

2. *Nequissime operatur* :—

a. superbiam corroborat ;

b. aliorum virtutes praepostere interpretatur ;

c. eorum exaggerat defectus ;

d. eorum denique bona praetermittit, et in malis volutari delectat.

Revocentur itaque ista praecipue : « Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : » Sap. 2, 24. « Per invidiam tradiderunt eum (Christum). » M. 27, 18.

3. *Remedia* :

a. Radicem tolle superbiae.

b. Rationem ejus penitus ignominiosam meditare.

c. Sequere charitatis regulam : « non aemulatur. » 1 C. 13, 4.

d. Motus invidiae viriliter compesce.

e. Ne sinas te externe quidquam moliri, agere, vel loqui contra proximum.

f. Deo redde gratias sinceras de bono, virtute, successu, quae videris in proximo.

165. De invidioso [1].

i. « Non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Ps. 22, 4.
ii. Deum orabo fiduciam ipsius, benignitatem in proximum.

---

1. Ubi virtus, vel prosperitas vel excellentia aliqua, ibi mordet invidia. « Invidis referta sunt omnia. » Cicero De Orat. Lib. 11, c. 52.

Dixit Cleobulus inter maxime timenda esse amicorum invidias, et inimicorum insidias.

2. Invidiosus tristari debet quod aliquis aegre ferat leve suum qualecumque bonum, quod tanquam donum Dei recepit et agnoscit.

---

1. Seu de eo qui patitur invidiam.

« Compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. » 1 P. 3, 8.

3. Opus est ut animo sincero, suavi et benigno tractet eos, quos viderit ipsi invidos esse ; et quo magis invidi fuerint, eo pleniore gratia est eis indulgendum. « Vince in bono malum. » R. 12, 21.

4. Si id fieri poterit, vinciendus est invidus vinculis amicitiae verae ; vel saltem cum omni candore ostendat invisus quod nec superbus sit, nec arrogans, sed simplex, humanus et benignus.

Si vero invidi acrius fuerint incensi, patientia sunt superandi ; Christi mansuetudine vincendi et profligandi.

5. Duo praecipua sunt invidiosi arma :
   a. Fiducia in Deum. « In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo. » Ps. 55, 11.
   b. Fortitudo quae recta facit, toleratque mala.

6. Invidia excitare debet in inviso —
   a. humilitatem, ob defectus suos ;
   b. gaudium moderatum, quod habeat in se aliquid quod invideri possit.

166. De vitio zelotypiae.

i. « Dolor cordis et luctus, mulier zelotypa. » Eccli. 26, 8.
ii. Orabo ut salvus permaneam a vitio isto muliebri.

---

1. *Quid est* zelotypia? Est zelus invidiae. Motus est invidiae similis, quo quis tristatur de bono alterius, non quatenus vellet istud tollere, sed quia istud videtur tollere bonum proprium.

« Est motus appetitus contra omne illud, quod censetur repugnare consecutioni vel quietae fruitioni illius quod amatur. Sic qui quaerunt excellentiam, moventur contra eos qui excellere videntur, quasi impedienties excellentiam eorum. » 1, 2, q. 28, a. 4.

II. *Objecta* ejus :

1. *fama propria ;* quam quis laedi timet, quia, v. g. verbum aliquod minus laudativum de se circumferatur; pariter videtur in eo, quod quis sit nimis promptus ad se defendendum, vel quod velit semper ostendere se rectissime egisse vel locutum fuisse ;
2. *jura ;* zelotypus difficile sinit alium secum laborare ; laudem operis sui nonvult cum aliis participare ; cupit et exigit ut reverentia et consideratio sibi exacte praestetur ; anxius et forte dejectus est quando ista diminuuntur, vel quod aliis pariter ac sibi exhibeantur ;
3. *personae* ; quod alius fruatur majore gratia penes quemdam ; quod tractetur ab eo magis benevole ; vel quod zelotypus putet alium sibi praeferri, aut se prae aliis negligi ;
4. *rerum successus* ; tristatur quis de aliorum superioritate in studiis, in pietate, in robore, et de sua relativa inferioritate. Tristatur pariter si viderit aliorum negotia melius quam sua succedere.

III. *Remedia :*

1. Perpende quod objecta vitii hujus sint viro Christiano nugae nugarum.
2. Charitas exerceatur ut recte aestimetur proximus, et amore amicitiae ametur.
3. Humilitas foveatur, ut juste quis seipsum aestimet.

167. De acedia.

i. « Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerunt intrare, et non poterunt. » L. 13, 24.
ii. « Dixi, nunc coepi : » (Ps. 76, 11) : « Surgam, et ibo ad patrem meum. » L. 15, 18.

I. Acedia est *tristia de bono religionis* et de operibus spiritualibus. Est tristitia aggravans et deprimens animam. Taedium est et fastidium operandi. Bona religionis nauseam provocant ; vel dicitur « torpor mentis, bona negligentis inchoare. »
   1. Est status *hominis animalis*, « qui non percipit ea quae sunt Spiritus Dei. » 1 C. 2, 14. Penuria quaedam est, mendicitas, et sterilitas animae.
   2. Languor est, et incuria, negligentia, fastidium veri boni divini, et tarditas operandi ea, quae decent virum Christianum.

II. Merito recensetur inter *vitia capitalia*, quia ob miseram hanc tristitiam homines impelluntur in mala complura : —
   1. circa ea quibus tristitia et taedium generantur :
      a. recedunt homines ab iis, quae ut difficilia et contristantia apprehendunt, nempe α. a prosecutione *finis* supremi, adeoque in indifferentiam, incuriam et *desperationem* labuntur ;
      γ. *media* ad finem ducentia spernunt.
         A. circa communia *praecepta torpor* invadit et replet spiritum ;
         B. circa *consilia* perfectionis pusillanimes fiunt, nec gustum habent ad illa amplectenda ;
      b. immo ea impugnant quae secundum mentem

eorum tristitiam causant : hinc erga homines spirituales *rancore* afficiuntur, et quoad res sacras seu spirituales insana malitia quandoque implentur ;

2. transeunt denique ad delectabilia aliena, derelicto fonte aquarum viventium gaudii et pacis divinae, et sese convertunt ad mundana et illicita, ut sitim aquis salsis inepte extinguant.

168. Opera acediae.

i. « Qui sperant in Domino.. ambulabunt. et non deficient. » Is. 40, 31.

ii. « Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. » Gal. 6. 9.

iii. « Quum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. » Ps. 70, 9.

Pluribus modis acedia vitam spiritualem laedit.

I. Quoad *orationes* : —

1. *meditationis* subjectum assumitur quod facilius se offert ; praeparatio vespertina vel matutina segniter fit vel nullo modo ; conatus inter meditandum languidus, affectus in Deum frigidi et rari ;

2. *examen conscientiae* celerrime absolvitur ; lumen ad offensiones detegendas serio non poscitur ; dolor vehemens et efficax non excitatur ; emendationis propositum negligitur ;

3. *Missa* taedium generat ; rei gestae magnitudo animam non movet ; fructus inde terme nullus colligitur ;

4. *solemniores functiones liturgicae* tanquam inutilis

temporis jactura habentur, vel perfunctorie aguntur, vel in sola superficie apprehenduntur.

II. Quoad *sacramenta* : —

1. Super cibum *Eucharistiae* divinissimum anima socors fastidit ; illum neque desiderat, neque suaviter gustat, neque delectabiliter in sinum recipit, neque post susceptum Dominum considerat reverenter et affectuose tantum a Deo acceptum beneficium, neque gratias agit fervidas.
2. Ad sacrum tribunal *poenitentiae* invitus accedit acediosus, consuetudine potius quam gratiae desiderio impulsus.

III. Quoad *studia*. In rebus quae tractantur acediosus saporem non percipit ; studiorum diuturnitas taedium ingerit, laboris arduitas animum opprimit ; ad studium inchoandum tardus est, ad relinquendum velox. Lumen cum fide et fiducia non petit, gratum animum in fine non ostendit.

IV. Quoad *regulam vitae*. Disciplinam et jugum Domini excutere vellet ; ordinem domus parvipendit. In gratis et facilioribus obedientiam praestat, difficilia et carni repugnantia refugit.

169. Remediae acediae.

i. « Hora est jam nos de somno surgere. » R. 13, 11.
ii. « Subjice humerum tuum, et porta illam (sapientiam), et ne acedieris vinculis tuis. » Eccli. 6, 26.
iii. Enixe postulabo gratiam roboris spiritualis.

I. Vita haec praesens sita est in *actione*, labore, pugna,

probatione. Adeoque opus profecto est ut quis serio meditetur verba haec legis nostrae : —

« Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. » 2 T. 2. 5.

« Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » M. 11, 12.

« Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Eph. 5, 14.

« Labor certaminis durus est tepido, fervido tamen suavis. »

II. Opus taedium generans *ne declinetur* ; sed ad officium praestandum miles Christianus illico se accinget ; ut ait Cassianus, « acediae impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. » Inst : Lib. X. c. xxv. in fin. Et S. Thomas. « Impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo... Resistendo autem, quando cogitatio perseverans tollit incentivum peccati, quod provenit ex aliqua levi apprehensione. Et hoc contingit in acedia ; quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur, ex quo cessat acedia. » 2. 2. q. 35, a. 1, ad 4.

III. *Oratio humilis.* « Oratio humiliantis se, nubes penetrabit ; et donec propinquet non consolabitur, et non discedet donec Altissimus aspiciat. » Eccli. 35. 21.

« Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. » Jac. 4. 8. Haec autem ad Deum appropinquatio fit per orationem et ardens perfectionis desiderium.

« Accedite ad eum et illuminamini. » Ps. 33. 6.

« Mihi adhaerere Deo bonum est. » Ps. 72. 28. Hoc enim summum et unicum verum bonum meum. « Se dedit in meritum, se servat in praemium, se apponit in refectione animarum sanctarum, se in redemptione distrahit captivarum. Bonus es, Domine, animae

quaerenti te : quid ergo invenienti ? » S. Bernardus. De diligendo Deo. c. vii. n. 22. Vol. I. 1347.

IV. *Fiducia*. Animo nunquam despondendum. Surgendum e sopore ; et iterum atque iterum ad opus enitendum.

170. De pigritia.

i. « Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes. » R. 12, 11.
ii. Suppliciter roga sanctam mentis activitatem.

---

1. Pigritia dicitur voluntaria ad officia tarditas, seu virium paralysis quaedam.

2. Piger surgere differt ; ad orandum sese non excitat ; somnolentiae cedit ; ad studia se non accingit ; animum generatim ad opera injuncta non applicat, vel agere recusat.

« *Pati delectabiliter* » amat, loquendo, otio indulgendo, nihil faciendo.

Occurrit simul voluntatis debilitas cum imperfectione attentionis ; quandoque mens uni, quod sibi multum placet, nimis adhaeret, quoad cetera languet remissa.

3. In sacris paginis severe denuntiatur : —

a. mores pinguntur pigrorum : « Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo. » Prov. 26. 14.

b. hominibus exosus piger esse declaratur : « Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, ita piger his qui miserunt eum. » Prov. 10, 26.

« De stercore boum lapidatus est piger : et omnis qui tetigerit eum, excutiet manus. » Eccli. 22, 2.

4. Si opera pigro agenda committuntur, vel non fiunt, vel fiunt inepte et tarde nimis. A pigro opera aliorum impediuntur.

5. Vigore nullo pollet virili. « Vult et non vult piger. » Prov. 13, 4.

« Desideria occidunt pigrum. » ib. 21, 25.

Proponit sed non exsequitur ; sibi et aliis promittit ; promissa raro implet.

6. Stultus evadit quando ob sui-sufficientiam et arrogantiam « sapientior sibi videtur septem viris loquentibus sententias. » Prov. 26, 16.

7. Naturae dona non excolit. Intellectum discendo non evolvit ; mens sicut ager inaratus jacet ; viribus suis et gratiis collatis non utitur.

Spiritu Dei tangitur sed non agitur ; se abnegat raro, spiritum nescit generosum ; quid sit certare, pugnare, agonizare haud intelligit. Absolutum minimum agendi gloriatur se reperisse, illoque contentus manet.

Existit quidem sed languescit.

Est « inutilis ille servus » « malus et piger » qui talenta recepit, sed non est operatus secundum propriam virtutem. M. 25, 24.

171. Pigritiae remedia.

i. « Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : » Prov. 6, 6.
ii. Efflagita lumen et robur.

Ecce pigritiae remedia quaedam —

1. Recolere hujus conditionis *mala contemptibilia.*

Piger est *mollis* (difficultate enim statim vincitur), et ut devitet incommoda fingit mille excusationes : *ignavus* est (ardua enim timet), et ab omni labore anima ejus abhorret ; quodcumque faciendum suscipit, aut *vitiat* aut imperfectum deserit (sive sit opus manuale, sive litterarium, sive aestheticum, sive scientificum, sive lusorium). « Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta et sordida. Non est vinea stulto. » S. Bernardus, Sermo in Cant. 63, n. 2. II, 3045.

Torpet in eo ipse *honoris sensus*, ut non pigeat eum, si illi sua exprobretur pigritia.

2. Audire, legere, meditari verbum Dei.

3. Orare : « Quis me liberabit a corpore mortis hujus ? » R. 7, 24.

« Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. » Ps. 141, 8.

« Trahe me : post te curremus » Cant. 1, 2.

4. Torpori *illico resistere*, surgendo, vel manum operi admovendo ; viriliter ac fortiter excutere daemonem otiosum.

5. Cogitare *a*. Deum omnia intuentem ;
b. contemptum et minas Dei in pigros ;
c. praemium laborantibus propositum. « Labora, certa ; euge serve bone ; non sunt condignae passiones hujus temporis. »

6. Considerare principia ista : —
a. « Homo nascitur ad laborem. » Job 5, 7.
b. « In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es. » Gen. 3, 19.
c. « Si quis non vult operari, nec manducet. » 2 Thess. 3, 10.
d. Quae facultates non exercentur in « atrophiam » labuntur.

7. Cavere ne otiositate diabolo patentem aditum praebeamus : hinc monitum S. Hieronymi :— « Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. » Ep. ad Rust. 125, n. 11. M. I, 1078.

172. De otio.

i. « Collum vestrum subjicite jugo. » Eccli. 51. 34.
ii. « Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. » ib. 35.

I. Otium est *occupationis carentia*, seu nullo opere occupari. Otiosus vel terit tempus, vel inepta facit, vel nugis vitam consumit. Inania legit tantummodo, garrit quidquid in buccam venerit, inepte omnia discutit, absentibus detrahit, sine motivo huc illucque discurrit, vel nihil penitus operatur, et vegetat.

II. Conditio ista est *naturae contraria*, tum spectato
1. *fine*, ad quem divinae legis statuto perveniendum est virtutis exercitio : « Negotiamini dum venio. »
2. *statu* praesenti, qui est virium liberarum probatio, et lucta contra passiones ; tandem
3. est *virium dissipatio* : « Abscondi talentum tuum in terra. » M. 25, 25.

Quapropter otium evidenter est : —
a. neglectus bonorum :
α. in ipso otioso (inde rubigo mentis) ;
β. in officiis : studia non peraguntur, pietatis opera praetermittuntur, labores missionum negliguntur, semen non seritur, messis, si ulla, non colligitur. « Qui sectatur otium replebitur egestate. » Prov. 28, 19.

b. occasio et radix

α. vitiorum : « Multam malitiam docuit otiositas. » Eccli. 33, 29. « Omne vitium docuit otium.. Bonum non fecisse, hoc est fecisse malum. » S. J. Chrysos. Hom. xvi in Ep. ad Eph. post init.

β. tentationis : « Otium pulvinar diaboli. » Cassianus porro in suis Institutionibus hoc habet : « Operantem hominem daemone uno pulsari : otioso vero innumeris spiritibus vastari. » x. c. 23.

γ. peccati : In otio peccaverunt Samson, David, Salomon. « Omnem otiositatem expellite, semper aliquid boni facite, et quem taedet orare vel psallere, laborare manibus non differat...
Vigilate ergo,.. et nolite deficere ; quia nec sanctiores David, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognovi. » S. Augustinus. Ad fratres in Eremo. Sermo, 17. M. 6, 1264.

173. Remedia otii.

i. Contemplare Deum in omnibus operantem, angelos ministrantes, naturam physicam exequentem Dei ordinationem.
ii. Studiose pete animum virilem, ut segnitiem omnem devites vel vincas.

---

1. Cogita *dicta Dominica* : —

a. « Omnis arbor quae non facit fructum excidetur. » M. 7. 19.

b. « Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi. Oportuit ergo te

committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. » M. 25, 26, 27.

« Tollite itaque ab eo talentum. » 28... « ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. » 29. Postea Christus vocat talem « inutilem servum. » 30.

c. Insigne est exemplum ficulneae maledictae : « Jam non amplius in aeternum ex te fructum quisquam manducet. Et.. viderunt ficum aridam factam a radicibus. » Mc. 11, 14-20.

d. « Ecce merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. » Ap. 22, 12.

2. Perpende talentorum tuorum luctuosum *dispendium*.. et perditam mercedem in coelis. « Non defrauderis a die bono, et particula boni tui non te praetereat. » Eccli. 14, 14.

3. *Excutias* viriliter desidiam. Ordinem diei tui prudenter constitue ; illumque pertinaciter observa.

4. Spe *praemii aeterni*, et boni in proximum faciendi, teipsum stimula ad operandum.

« Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. » Eccli. 51, 38.

5. Oculis tuis praefige virorum optimorum *exemplum* : v. g. S. Pauli, qui labore manuum se sustentavit, SS. Eremitarum qui ad otium fugandum a labore non destiterunt ; S. Gregorii Magni, de quo in Breviario narratur : « Admirabilia sunt quae dixit, fecit, scripsit, decrevit, praesertim infirma semper et aegra valetudine ; » S. Bedae, « qui nunquam torpebat otio, nunquam a studio cessabat. » Lect. Brev.

174. De acedia (Repetitio).

i. « Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem ejus spinae, et maceria lapidum destructa erat. » Prov. 24. 30-1.

ii. Postula humiliter zelum apostolicum.

I. *Acedia* est tristitia de bono divino. Penuria est sive mendicitas spiritualis, qua « animalis homo non percipit ea quae spiritus sunt. » 1 C. 12. 14.

Taedet hominem orationis sive mentalis sive vocalis ; precibus jaculatoriis non utitur : divinam praesentiam in mentem non revocat : inter servos Dei tamquam alienigena commoratur : Sacramenta non desiderat, nec pro susceptis gratum se exhibet.

Hujus vitii radix vel est negligentia continua, vel peccatum, vel defectus fidei, vel mentis socordia aut dissipatio, vel desideria mundana.

Qui vero Christum vocantem sequitur, instinctu superno res spirituales multum aestimat ac diligit, in iisque delectari solet.

II. *Pigritia* est voluntaria ad officia tarditas, seu virium paralysis quaedam. Qui pigritia inficitur, tardus est ad omnia difficilia et magna ; animo caret ; ad statum passivitatis declinat.

Vigorem virilem non habet ; vir non est, sed piger. Vae illi qui cum pigro sociatur in ullo negotio.

Pigritia et apostolatus parum inter se conveniunt.

III. *Otium* est occupationis absentia. Otiosus terit tempus ; nihil facit. Facultates animae non excolit ; gratias non curat.

Bona facere praetermittit ; sese exponit periculo imminenti faciendi mala. Otium enim dictum est « pulvinar diaboli. »

175. De vana gloria.

i. « Non efficiamini inanis gloriae cupidi. » Gal. 5. 26.
ii. Suppliciter exposcam lumen Spiritus sancti, ut me videam qualis sum.

I. Gloria apud alios ad hominis *intrinsecam perfectionem* nequit pertinere. Homo enim est, quod est, non quod esse reputatur. Utilis tamen homini gloria esse poterit : —

1. ut Deus propter hominem ab hominibus glorificetur ; « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in coelis. » M. 5, 16.
2. ut homines aliorum exemplo in bono proficiant : « Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio ; » M. 5, 15.

   « Non enim a verbis dogmata, verum ex ipsis rebus et ex vita dogmata aestimare solent gentiles. Sint ergo illis doctores et mulieres, et servi, nempe a vita et moribus suis. » S. J. Chrys : Ep. ad Tit., Hom. 4, n. 3. Vol. XI, 817.
3. ut homo ex aliorum commendatione studeat diligentius perseverare, et ad meliora proficere.

II. Inanis gloria est immoderatus appetitus laudis humanae. Homo vult opera sua laudari quia sua sunt, et ostendunt propriam suam excellentiam.

III Capitur ex iis : —

1. quae quis *habeat* cujusmodi esse possunt bona indoles, ingenium, industria, pietas (quae sunt a Deo) ; « accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. » 1 C. 2, 12.
2. quae quis *non habeat*, cupit vero ut appareat quasi illa habeat. Hujusmodi esse possunt, subtilitas ingenii, amplitudo doctrinae, peritia litterarum, vel facundia dicendi.

IV. Vana gloria dicitur « spiritus multiformis, varius atque subtilis ; ita ut quibuslibet perspicacissimis oculis, non dicam caveri, sed praevideri deprehendique vix possit. » Cassianus. Instit : xi. c. 1.

V. Vitium capitale est ; quia sicut omnes quaerunt propriam excellentiam, ita laus humana est multum desiderabilis tanquam testimonium hujus propriae excellentiae. Et ex ejus inordinato appetitu complura profluunt vitia.

176. De vana gloria vitanda.

i. Jesus dixit leproso mundato : « Vide, nemini dixeris. » M. 8, 4.

ii. Christum deprecabor, ut mihi aliquid humilitatis suae concedere dignetur.

Scriptura sacra —

1. dehortatur nos a vana gloria quaerenda : —
   a. (de complacentia sui) « Non glorietur sapiens in sapientia sua. » Jer. 9, 23.
   b. (de laude propria) « Laudet te alienus et non os tuum. » Prov. 27. 2.

c. (de ostentatione) « Noli extollere te in faciendo opere tuo. » Eccli. 10, 29.

« Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. » M. 6, 1 ; et in eodem contextu bis de divitibus dicitur « receperunt mercedem suam. »

d. (de valore operis nostri) « Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. » L. 17, 10.

2 Monet nullum nobis esse fundamentum gloriae aucupandae.

« Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis. » 1 C. 4, 7.

« Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » 2 C. 3, 5.

« Sine me nihil potestis facere. » J. 15. 5.

« Si glorifico meipsum, gloria mea nihil est. » J. 8, 54.

3. Docet soli Deo deberi gloriam universam.

« Soli Deo honor et gloria. » 1 T. 1, 17.

« Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo. » Is. 42, 8.

« Non nobis Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam. » Ps. 113, 1.

4. De ea ita loquitur S. Basilius : « Agedum fugiamus vanam gloriam, dulcem illam spiritualium divitiarum praedonem, jucundum animarum nostrarum hostem, virtutum tineam, non injucunde bona diripientem : quae fraudis suae venenum melle illinit, porrigitque exitiosum poculum mentibus hominum, ut hoc vitio, opinor, inexplebiliter, imbuantur. Nam dulce quidem est imperitis vana gloria, humana gloria. » Const. Monas. X.

S. Gregorius Hom. xii monet ne id « quod foris ostenditur, intus a mercede vacuetur. »

Sane Deus id solum remunerabit, quod pro se factum fuerit.

177 Fontes inanis gloriae.

i. Recole historiam, quae narratur de rege Ezechia iv Reg. 20, 13-19.

ii. « Insaniam istam, Domine, longe fac a me. » S. Aug. Conf. x. 38.

Ex multiplici quidem fonte inanis gloria scaturire cernitur :

I. Ex *falso*. Homo sibi inepte tribuit quod non habet, vel quod suum non est.

« Elevatum est cor tuum et dixisti : Deus ego sum. » Ezec. 28. 2.

« Quid gloriaris quasi non acceperis ? » 1 C. 4, 7.

II. Ex *vero*. Concipitur enim :

1. De operibus *pravis*, v. g. de inobedientia, de injuriis, de iracundia, de irreverentiis. « Qui laudari vult ab hominibus, vituperante Te, non defendetur ab hominibus, judicante Te, nec eripietur, damnante Te. » S. Aug. Conf. x. 36.

2. De operibus *bonis*. « Nullum est malum quod non habeat contrarium bonum, per quod superetur, dempta vana gloria. Ideo quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam : et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit : ideo non extinguitur per bonum, sed

magis nutritur. » Inter op. S. J. Chrysos. Op. imp. in M. vol. xv, p. 79.

Circa illa iterum gloria inanis enascitur :

a. Ex ipsa *victoria* et eradicatione vitiorum. Qui vitium aliquod evulserit, gloriatur se multum profecisse, et se nunc aliquid magni esse ; complacet sibi de virtute (quam tamen nondum adeptus est), ac reputat se sanctum esse, qui modo peccatis fuit inquinatus.

b. Ex virtutum ipsa *exercitatione*. Qui virtutum studio incumbit totus, aestimari cupit tamquam vir pietatis insignis ; nemini inferiorem vult se censeri. « (Cetera) vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur ; hoc vero dejuctum acrius resurgit ad luctam ; et cum putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. » Cassianus. Inst. xi, c. 7.

c. Ex rebus quae hominum communi judicio excellentiam habent : v. g. ex dignitate, munere, praedicatione, talentis naturalibus, dicendi facilitate, scribendi splendore, addiscendi celeritate, vel alia qualibet peritia.

Sibi non Deo vel gratiae vanus vult ista attribui. Sibi intus eadem refert ; famam apud alios adipisci cupit. Attamen « Animo humili nihil est mirabilius quam auditus suae excellentiae. » S. Th. III, q. xxx, a. 4 ad 1.

178. Mali effectus vanae gloriae.

i. « Tentamur his tentationibus quotidie, sine cessatione tentamur. » S. Aug. Conf. x, c. 38.

ii. Enixe postulabo ut ab hac peste liberer

Ex vana gloria sequitur : —

I. Directe, i. e. quatenus quis conatur ostendere se esse aliis meliorem :

1. *Jactantia*, qua excellentiam suam verbis extollit et auget. Ipsemet est subjectum conversationis suae. Quae ipse praeclare, sapienter, prudenter, subtiliter, fortiter, vel generose fecerit, narrat. Ipse sibi est heros, quod et aliis etiam cupit esse.
2. *Novitatum praesumptio*. Excellentiam suam studet commendare per facta quaedam, quae solent homines permultum admirari. Utitur novis dicendi vel scribendi formulis, novis pronunciationibus, paradoxis. Vetera despicere affectat. Si quid novi non invenerit, trita tanquam mentis suae foetum genuinum proponit.
3. *Hypocrisis*, qua excellentiam suam supposititiam commendat falsis, — ficta doctrina, ficta devotione, ficta aliqua peritia.

II. Indirecte, quatenus vanus ostendit se non esse aliis inferiorem :

1. *Pertinacia*, qua intellectus prae sua altitudine nimis adhaeret propriae opinioni, ac nonvult cedere opinioni meliori ; immo opinionem sibi adversam sine praejudicio perpendere non dignatur.
2. *Discordia* (in voluntate) dum nonvult homo propter amorem pacis a propria voluntate discedere, ut cum aliis concordet.
3. *Contentio* (in verbis) ; continuo satagit cum aliis disputare, dicta distinguere, phrases corrigere, interlocutorem debellare ; nunquam contentus, nunquam tranquillus, nunquam amabilis.
4. *Inobedientia* (in facto), quia se superioribus suis perspicaciorem, doctiorem, liberaliorem judicat.

179. Vitii hujus consectaria.

i. Recogitetur parabola Pharisaei et publicani. L. 18. 11.
ii. Efflagita ut devitare valeas ineptias gloriae inanis.

I. Homo vanus *contemptu* semper habetur ab aliis. Is qui, quavis occasione, se suaque opera et peritiam patefacit, hominibus semper ridendus fuit et odibilis. Si aperte propriam excellentiam pandit, jactator est, si eam occulte insinuaverit, pro tanto ut pusillus aestimatur.

II. Vanitas *difficile eradicatur* : « Nam pecuniarum contemptum facile quivis admittet ; honorem vero a multis praestitum dispicere, multi est laboris, magnae philosophiae, animae angelicae, quae coelorum verticem attingat. Nullum, nullum utique est vitium ita tyrannicum, quod ubique dominatur, alibi plus, alibi minus, ubique tamen. » S. J. Chrys. Ad Tit. hom. ii. n. 3. Vol. XI, 802.

III. Vanus operum suorum *merita amittit*. « Seminastis multum, et intulistis parum :.. operuistis vos, et non estis calefacti, et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. » Agg. 1, 6.

« Si cor veraciter humile est, bona quae de se audit, aut minime recognoscit, et quia falsa dicuntur, metuit : aut certe si adesse ea veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab aeterna Dei retributione sint perdita :.. pavetque vehementer, ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris. » S. Greg. Moral. xxii. n. 18.

IV. Ex vana gloria *facilis est descensus* ad alia vitia.

« Initium superbiae hominis, apostatare a Deo : Quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus : quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. » Eccli. 10, 14. 15.

Itidem vana gloria frequentius impellit ad mendacia, exaggerationes, invidiam, ambitionem, detractiones et calumnias aliaque complura.

V. Vanus homo —

1. Deum posthabet rebus caducis : « Non glorietur sapiens in sapientia sua.. sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus. » Jer. 23, 24.
2. testimonium hominum testimonio Dei anteponit : « Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. » J. 12, 43.

« Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. » Gal. 1, 10.

VI. Inanis gloria magnanimo repugnat. Huic enim non est curae quod ab hominibus laudetur ; non quaerit opinionem sed veritatem. Quid exile et vile, qualis est laus humana, ipse contemnit. Dicit autem : « Tu, Domine, es gloria mea. »

180. Remedia vanae gloriae (Principia).

i. « Congrega nos de nationibus : ut confiteamur nomini sancto tuo : et gloriemur in laude tua. » Ps. 105, 47.

ii. « Dulce quidem est imperitis humana gloria. » S. Basil. Cons. Monas. x.

iii. Iterum atque iterum a Deo posce contemptum gloriae humanae.

I. Vana gloria inanitas est, non veritas ; umbra, non realitas ; « omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. » Is. 40. 6.

Hominum laus saepe falsa est quoad totum vel quoad mensuram, saepius praeceps, et praestita a rudibus imperitisque, semper absque plena cognitione illius qui laudatur, interdum haud sincera, nunquam stabilis, sed fugax ut fumus.

Inaniter quaeritur ab hominibus quorum judicium incertum est ac mutabile. « Qui gloriatur, in Domino glorietur. » 2 Cor. 10, 17. Qui vero in propria sui complacentia delectatur, audiat dictum sacrum : « Non qui seipsum commendat, ille probatus est : sed quem Deus commendat. » 2 C. 10, 18.

II. Vana gloria operum valorem pessumdat in praesenti ; privat etiam hominem meritorum fructu in futuro.

Vermis est radici arboris applicitus : bacillus est, vulgo « microbe » nuncupatus, qui spiritus nostri vita pinguescit. Fur est qui, insciis nobis, merita surripit.

Ubi nunc sunt illi, qui laudes humanas avide captaverunt, honoribusque humanis cumulati sunt ? Ubi et tu eris post paucos annos, nempe oblivioni traditus ?

III. Solius Dei est gloria, illa quam homo vanus sibi arripit. « Fratres,.. nemo vestrum velit laudari in vita ista : quia quidquid hic favoris captas quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi unde ? » Quidquid habes « mutuo accepisti. Talentum creditum tibi, repetendum cum usura. » S. Bern. in Can. xiii. 7. Vol. II. 2732.

Dei enim sunt omnia donantis, conservantis.

« Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo. » Is. 42, 8.

« Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Ps. 113, 1.

IV. Quis es qui laudes cupis ? « Pulvis ». Gen. 3, 19. Quid habes ? Naturam, indolem, dotes, a Deo habes omnia. Bonam ipsam voluntatem a Deo habes adjuvante per gratiam.

181. Remedia vanae gloriae (Praxis).

i. « Providebam Dominum in conspectu meo semper » Ps. 15, 8.

ii. Humiliter efflagitabo gratiam meipsum vincendi.

I. Potissimum vanitatis remedium proponitur *oratio* quia ex omni bono opere et conatu sponte erumpit id, quod convellere eniteris. « Ideo quantavis bona feceris, volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam... Ergo nullum remedium potest esse contra vanam gloriam nisi oratio sola : et haec ipsa vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si forte bene oraveris. » S. J. Chrysos. Op. imp. in M. hom. 15. Vol. VI, 813.

Nullum itaque invenitur remedium absolutum ; quaerantur igitur remedia relativa et partialia.

II. Cogita *praesentiam Dei*, cui debes omnia quae facis, et cujus est jure strictissimo gloria operum tuorum.

III. Opera tua *frequenter absterge* ab omni lepra appetitus laudis humanae ; Deo referas laudes omnes ; Deo retribue gloriam universam. Ad hoc te condidit ; ad hoc universa sapientissime constituit, ut singula et omnia ad gloriam suam et essendo et agendo conferrent. « Sivé ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. » 1 C. 10, 31.

IV. Cupidinem humanae laudis *fortiter comprime*. Teipsum ne commendes ; de tuis operibus, dictis, bonis ne loquaris, nec cogites.

Laudem aliorum ne quaeras ; laudem oblatam modeste accipe, et Deo intus gratias referre curato.

In ipsis de quibus laudaris defectus agnosce, et ad confusionem tuam opera tua cum operibus melioribus compara.

Exclude quantum fieri poterit, « primam personam » a materia colloquii tui.

V. Quae agis, *age bene* et *Deo committe*. Specialia bona tua, ut ingenii, industriae, pietatis, doctrinae, generis, possessionum sedulo occulta, et de iis Deo age gratias. Penes te haec ne memineris, nisi ut ea Deo benigno tribuas, multoque minus eadem aliis ostendas.

« Nesciat sinistra tua quod facit dextera tua. » M. 6, 3.

VI. *Occasiones* gloriae humanae captandae sedulo *refuge*. Libenter accipe munera et officia nullius honoris. Et hanc viam reputa tibi tuaeque exilitati magis accommodatam.

182. Christus fugit laudes humanas.

1. Venit leprosus : « Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens, « Volo, mundare. » Et confestim mundata est lepra ejus. Et ait illi Jesus : *Vide nemini dixeris*. » M. 8, 3.

2. Bethsaidae sanavit coecum, cujus visus ita restitutus est ut clare videret omnia. « Vade (dixit Jesus) in domum tuam, et si in vicum intraveris, *nemini dixeris*.» Mc. 8. 26.

3. Tetigit oculos coecorum duorum, et aperti sunt oculi eorum ; et comminatus est illis Jesus, dicens, « Videte *ne quis sciat*. » M. 9, 30.

4. Solo verbo manum aridam sanitati restituit ; « secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes, et praecepit eis, *ne manifestum eum facerent*. » ib. 12, 16.

5. Surdum et mutum sanavit, et praecepit eis, *ne cui dicerent*. « Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant. » Mc. 7, 36.

6. Resuscitavit filiam Jairi, et « praecepit illis vehementer, *ut nemo id sciret*. » Mc. 5, 43.

7. Post plures sanatos et filium viduae resuscitatum, quaerentibus discipulis Joannis Baptistae utrum esset Messias, respondit modeste : « Coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur etc. Euntes, renuntiate Joanni quae audistis et vidistis. » M. 11, 4.

8. Post confessionem Petri et collatum Primatum, « praecepit discipulis suis *ut nemini dicerent*, quia ipse esset Jesus Christus. » M. 16, 20.

9. Post transfigurationem dixit : « *Nemini dixeritis* visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. » M. 17, 9.

10. « Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam aeternam possidebo ? Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi solus Deus. » L. 18, 18. 19.

183. De superbia.

i. « Vidi Satanam sicut fulgur de coelo cadentem » L. 10, 18.
ii. Pete vitii hujus pessimi detestationem.

I. *Quid sit* superbia ? Est inordinatus appetitus propriae excellentiae. Superbus vel quaerit propriam excellentiam citra respectum ad alios,et in ea quiescit gloriaturque (quo affectu stultissime sibi attribuit divinam proprietatem independentiae completae,arroganter servire recusat, alteri subjici non vult), vel quaerit supereminentiam respectu aliorum, super quos sese attollit (ob natales, possessiones, dotes, merita, labores).

Extollit se superbus supra id, quod est sibi proprium secundum divinam regulam et mensuram. Considerat quidem bonum, quod in se exsistit (peritiam nempe, scientiam, indolem), sed non attendit imperfectionem ejus, limites et praesertim omnimodam ejus a Deo dependentiam. Hinc vult « super videri quam est, » et de se « bona sua majora aestimat quam sint. »

Quia superbus vehementer cupit propriam excellentiam, illam facile credit.

II. Est insuper *vitium capitale :* —

1. Quatenus ex ipso facile *sequuntur plura* (v. g. irae, invidiae, mendacia), immo merito a S. Gregorio nuncupabatur « regina omnium vitiorum et mater. »
2. Superbia removet id quod praecipue *impedit peccatum,* legem videlicet, quam superbus contemnit. « A saeculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : non serviam. » Jer., 2, 20.
3. *Neque* intellectum, neque voluntatem *subdit Deo.*

De priori accipe verba Domini : « Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » M. 11, 25.

De secundo audiatur Angelicus Doctor : « superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso, quod non vult Deo et ejus regulae subjici. Unde Boethius dicit quod » cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. « 2,2 , q. 162, a. 6.

184. Species superbiae.

i. « Abominatio Domini est omnis arrogans. » Prov. 16, 5.
ii. Postula detestationem superbiae.

I. Superbus totus imbutus est sensu *propriae excellentiae.* Nullum patitur sibi superiorem ; independentem se persentit ; nulli vult subjici : sibi vero cupit ceteros subjici.

Superbia *animae repugnat* e diametro ; quia facta est anima ut bonum suum unice reperiat in unione cum Deo, et in subjectione completa ad Dominum Creatorem suum ; ut tandem illo suo bono proprio in societate cum aliis fruatur.

II. Superbia *in falso radicatur* : —

1. Superbus arbitratur se bonum suum *a seipso* habere, et nullatenus illud alteri debere. Hinc tendit in excellentiam spuriam, impossibilem et repugnantem.
2. Superbus bonum sibi desuper collatum reputat tanquam propriis *suis meritis* debitum, non ex divina largitate donatum.

In hisce duobus elucet superbiae ingratitudo atque ineptitudo. « Nihil est tam superbum quam ingratum videri. » S. Hieronymus.

3. Superbus *jactat* se habere, quae non habet ; jactat vel censet se esse, quod non est, se fecisse talia vel talia, quae tamen non fecit. De bonis suis fictis blanditur sibi incessanter.

Tristatur si aliquis quovis modo ostenderit excellentiam suam fucatam esse.

Si correctionem accipere debet, multis ac speciosis

rationibus excusat se, ac si solummodo miro aliquo eventu ipse in culpam incidere posset.

Aequales despicit, contemnit, eorumque defectus indagat et notat.

185. Gradus superbiae.

i. « Odibilis coram Deo et hominibus superbia. » Eccli. 10, 7,

ii. Pete gratiam evadendi laqueos superbiae.

Inter alias superbiae qualitates eminent istae :

I. *Pessima* est. Super alia peccata hoc sibi peculiare habet, quod non solum ad bonum commutabile se convertat, sed quod *avertat se* ab incommutabili bono divino, quod non vult habere pro superiore. « Superbiae vitio nihil immanius. » S. Aug. contra Acad. II, n. 21. M. 1, 929.

« Nullum est vitium cui magis divina lege resistatur, et in quod majus accipiat dominandi jus ille superbissimus spiritus, ad ima mediator, ad summa interclusor.» S. Aug. De Trin. IV, n. 20. M. 8, 901.

Cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia Deo se opponit, hinc « Deus superbis resistit. » Jac., 4, 6.

II. *Coeca* est : —

1. nonvult videre suam in omnibus a Deo dependentiam, suamque Deo subjectionem necessariam ;
2. non percipit in se defectus illos, qui ob oculos omnium patent ;
3. sibi bona attribuit quae non habet, et ea quae reapse possidet, vana imaginatione insipienter extollit ;

4. constat satis frequenter quod ille, qui jactat se hoc vel illud facere posse, istud inepte faciat ; et qui gloriatur se talem vel talem esse, non raro detegatur in defectu opposito.

« Vidisti hominem sapientem sibi videri ? magis illo spem habebit insipiens. » Prov. 26, 12.

III. *Postulat remedium durum.* Deus enim quandoque sinit superbum in infame cadere delictum, ut tali saltem remedio sanetur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

186. Dicta dominica.

i. Dominum et Magistrum ausculta loquentem tibi.
ii. Christum precare gratiam imitandi suum humilitatis exemplar.

1. « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. » M. 5, 3.

2. « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » M. 11, 29.

3. Post lotionem pedum discipulorum, actionem hanc suis ita explanavit Jesus :

« Scitis quid fecerim vobis ?

Vos vocatis me, Magister et Domine : et bene dicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes.

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » J. 13, 12-15.

4. « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. » M. 18, 3. Parvulus est

innocens, omni expers dolo, candidus, subditus, reverentia plenus ; ignorantiam suam agnoscit, lumen constanter petit, dependentiam suam totalem persentit.

« Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum. » M. 18, 4.

5. « Qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur. » M. 23, 12.

6. « Principes gentium dominantur eorum : ... *non ita erit inter vos :* sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. » M. 20, 25-8.

7. « Cum vocatus fueris (ad nuptias), vade, recumbe in novissimo loco. » L. 14, 10.

« Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » M. 11, 25.

187. Imago hominis superbi. [1]

i. « Qui se exaltaverit humiliabitur. » M. 23, 12.
ii. Efflagita gratiam valide impugnandi superbiam.

---

1. Superbus *sui aestimatione* (self-consciousness) implетur.

Res suas maximi esse arbitratur ; res aliorum parvipendit, negligit, contemptu habet.

2. *Citissime persentit* quidquid afficit conscientiam excellentiae propriae, sive verum sit sive falsum, sive laudis

---

1. Secundum Ullathorne Groundwork. Lect. XI, p. 276.

sit sive vituperii, sive directe proponatur, sive per illationem vel interpretationem conjiciatur.

3. *Invidus* est et vitio zelotypiae infectus.

4. *Facile provocatur* ad iracundiam : ad reconciliationem difficile adducitur, si forte sensus propriae aestimationis laesus fuerit.

5. *Avidus* est laudis humanae, et muneris conspicui. Famam, commendationem semper inquirit, expectatque. Animo despondet si illam non receperit.

6. Aliorum consilia aut nullo modo aut invitus admittit, aut si admiserit illa, torquent eum, qui sufficientiam suam tantum aestimat, vel demum ea tanquam ideas proprias exhibet.

7. *Inurbanus* est ; rebus alienis decretorio modo sese immiscet, ac si omnia noverit ordinare et gubernare.

8. *Defectus* suos non novit ; putat se tales non habere. Si quid contentionis occurrerit, id opinatur ex sola perversitate aliorum oriri.

9. Dirigi vix potest ; consiliis refragatur.

10. Inferiores spernit ; aequalibus invidet ; melioribus se detrahit ; superiores carpit, iisque non obedit ; sibi soli complacet.

188. Pravi effectus superbiae.

i. « Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ? » Is. 66, 2.
ii. Enixe petas donum humilitatis.

---

1. Superbia nos privat favore Dei : —
« Arrogantiam, et superbiam... detestor.» Prov. 8, 13.

« Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Jac. 4, 6.

2. Superbia nos ducit in poenam :

« Qui autem se exaltaverit, humiliabitur. » M. 23, 12.

« Dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur. » Is. 2. 12.

3. In se detestabilis est,

a. Laedit enim jura Dei qui est omnium conditor, Dominus et Redemptor. Superbus vero haec vel nescit, vel negligit, vel contemnit. « Abominatio Domini est omnis arrogans. » Prov. 16, 5.

b. Laedit non minus jura proximi ; caritas quidem erga proximum lex est vitae humanae omnis. Superbus autem hanc legem fundamentalem praetermittit. « Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. » Prov. 11, 2.

Praeterea sicut superbia est proximo odiosa, ita superbo ipsi nociva est.

4. Peccatorum initium et radix est superbia.

Cogita peccatum Luciferi, Adami ; cogita quod ex superbia enascatur iniqua soboles iracundiae, ambitionis, mendacii, invidiae.

Inspice porro attentius hunc vel istum defectum tuum. Investiga rationem inquietudinis tuae. Perscrutare motiva actionum tuarum. Omni ex parte cernes maledictas hujus nostrae infirmitatis radices.

5. Ausculta igitur monita sacrae scripturae :

« Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Eccli. 3, 20.

« Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » M. 11, 29.

189. Vexillum Christi et vexillum diaboli.

Mentis oculis videamus Luciferum cum fautoribus suis stantem ad sinistram, et Christum ad dexteram cum discipulis suis.

---

1. *Lucifer* in hanc vocem erumpit : « Non serviam. »
   Christus discipulos alloquens dicit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. » J. 4, 34.

2 *Lucifer* : « In coelum conscendam.» Is. 14, 14.
   Christus : « Humiliata est in pulvere anima mea. » Ps 43, 25.

3. *Babylon* : « Et ero similis Altissimo.» Is. 14, 14.
   Christus : « Qui cum in forma Dei esset.... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » Phil. 2, 6. 7.

4. *Babylon* : « Supra astra Dei exaltabo solium meum. » Is. 14, 13.
   Christus : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » M. 11, 29.

5. *Pharao* : « Nescio Dominum. » Ex. 5, 2.
   Christus : « Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax. » J. 8, 55.
   « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te,.. et quem misisti Jesum Christum. » J. 17, 3.

6. *Pharao* : « Meus est fluvius, et ego feci memetipsum.» Ezec. 29, 3.
   Christus : « Non possum ego a meipso facere quidquam. » J. 5, 30.

7. *Diabolus.* « Mea sunt omnia regna mundi, et cui voluero do ea. » L. 4, 6.

Christus. « Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » M. 8, 20.

8. *Assur* : « Sicut colliguntur ova quae derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi. » Is. 10, 14.

Christus. « Similis factus sum sicut pellicano solitudinis ; factus sum sicut nycticorax in domicilio ; vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto. » Ps. 101, 7. 8.

190. Remedia superbiae

i. « Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui. » Jer. 49, 16.

ii. Effiagita divinum auxilium.

Haec nobis a sanctis dantur consilia :

1. Depone *amorem praestantiae*, eminentiae, distinctionis propriae ; et agnosce quod si talia cupis, eo ipso indignus sis iis.

2. *Desiderium laudis* humanae extingue. Eam nunquam quaeras, sive a superiore, sive a sociis, sive ab inferioribus.

« Ante mortem ne laudes hominem quemquam. » Eccli. 11, 30.

3. *Nesciri* quaere et ama. Neque cognosci, neque nominari concupisce.

« Ama nesciri et pro nihilo reputari. »

4. *Libenter admitte* humiles simplicesque socios, —

ministeria humilia, — cameram minus commodam, — pauperem suppellectilem.

Simplex in rebus tuis splendeant mundities et ordo.

5. *Quidquid te humiliaverit*, patienter sustine. Principium istud bene apprehende :

Humilitas ex humiliatione.

Sustine itaque, — neglectum et despectum aliorum, — detractiones et susurrus, — cavillationes, — verba injuriosa, — correctionem superiorum, qua accepta, devita excusationes ; praesertim innocentem ne fingas te esse, sed corde sincero dicas : « Bonum mihi quia humiliasti me. » Ps. 118, 71.

191. Remedia superbiae (2).

i. Ausculta Jesum dicentem : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » M. 11, 29.

ii. Instantius pete humilitatis donum.

I. Haec perpendantur : —

1. Quanta superbis *comminetur* Deus : nimirum, resistentiam, abominationem, condemnationem.

2. Quanta *promittat* humilibus : scilicet, sapientiam, gratiam, familiaritatem, regnum cœlorum.

3. Quantam nobis exhibeat *charitatem*, qua nimirum, nos tanquam filios in sinu suo amplectitur. « Quod si venerit in mentem dilectio illa tam ineffabilis, quam tibi Deus majestatis exhibuit ; an non illico inardescens ad caritatem, prorsus abominari incipis et abjicere vanitatem. »

---

1. Secundum S. Bernardum.

4. Quam multa sanctitatis *exempla* proponat tam in se sanctorum Principe, quam in piis hominibus.
5. Quod *orationum* ubique commendet instantiam. Toto igitur fervore ad eum convertere.
6. « Hoc facere hominis est.. (ut) in omnibus semper suspectum habeat arrogantiae vitium ne subrepat. In veritate dicidi, nihil aeque efficax ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandum, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. » In Cant. s. 54, n. 9.

II. Considerentur praeterea : —
1. *locus* ubi habitamus ; exilium est et locus laboris, taedii, privationum, vexationum. inimicitiarum ;
2. *corpus nostrum*, morbis doloribusque obnoxium, destinatum ad fœtidam corruptionem, et sterquilinio consimile ;
3. *tentatio* qua nihil tam ignobile, impium, turpe, ad quod non allicimur ;
4. *Christi praedicatio*, quae suaviter nos invitat ad humilitatem ;
5. *Christi conversatio*, qua dulciter exemplo suo nos trahit. In Cant. s. 26, n. 5.

192. Humilitatis notio.

i. « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » M. 11, 29.
ii. Pete ut cognoscas humilitatem.

I. Humilitas est *subjectio hominis ad Deum* propter ejus omnimodam excellentiam ; unde homo aliis etiam propter Deum se subjicit.

Deus enim praestantissimus est, homo autem infinite inferior. Et quidquid homo habet, id a Deo recepit. Oportet igitur ut homo se Deo simpliciter in omnibus subjiciat. Et quantum in aliis hominibus agnoverit bonum quod est a Deo, huic pariter bono, quatenus divinum est, debet prorsus se subjicere.

Humilitas itaque est submissio hominis ad Deum, creaturae ad creatorem. Est proinde veritas, quia sita est in agnitione relationis necessariae.

II. Dicitur praeterea humilitas virtus, qua aliquis *considerat suum defectum et tenet se firmiter in inifimis secundum suum modum.*

« Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis. » Gen. 18, 27.

« Deus propitius esto mihi peccatori. » L. 18, 13.

« Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. » M. 8, 8.

Homo igitur reflectione invenit quid ipse vere sit ; deinde sincere agnoscit se talem esse, ita se tractat, et vult se ut talem ab aliis quoque aestimari et tractari.

III. Est porro virtus « *quae temperat et refraenat animum, ne immoderate tendat in excelsa.* » 2. 2, q. 161, a. 1.

Temperat seu refraenat (hinc sui-abnegatio, labor, pugna, victoria,) *animum* (in malum pronum, et quam maxime in elationem superbiae), *ne immoderate* (praeter id quod est verum, justum et debitum) *tendat in excelsa* (i. e. in ea quae sunt supra propriam conditionem ; attribuendo sibi ea, quae non habet, ambiendo alta inordinate, ceteros despiciendo, propria jactando).

193. Humilitatis notio (2).

i. « Humilitas pene tota vita Christiana est. » S. Aug.
ii. Roga ut ope gratiae divinae ad humilitatem affectu valido traharis.

I. Humilitas dicitur *confessio gratiae* : —

1. Quod nempe fructus divinae largitatis in nobis *existat* : « Gratia et veritas per Jesum Christum facta est... de plenitudine ejus omnes accepimus. » J. 1, 14. 16.

Haec autem gratia nobis est plane *necessaria* : « Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. » 1 C. 3, 7.

Gratia porro nobis de facto *collata est*: «Nos autem Spiritum Dei accepimus, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. » 1 C. 2, 12.

« Deus est enim qui operatur in nobis velle et perficere, pro bona voluntate. » Phil. 2, 13.

2. Per humilitatem profitemur quod omnia quae habemus, a Deo sint recepta ; hinc memores sumus semper divinorum beneficiorum in nos, neque obliviscimur unquam quod a Deo donata sint nobis.

Quae bona absit ut nobismetipsis attribuamus, neque meritis nostis ; neque eorum numerum falso augeamus, sed ea esse recepta ex divina misericordia profiteamur in omni simplicitate, gaudio, et gratiarum actione.

II. Humilitas a S. Bernardo describitur ut « *virtus, qua homo verissima sui agnitione, sibi ipsi vilescit.* » De grad. hum. I, n. 2. Vol. I, 1283.

Singula seorsim perpendantur.

III. *Sensa piorum et nos edocebunt.*

« Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius : et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum. » Ex. 4, 10.

« In veritate tua humiliasti me. » Ps. 118, 75.

« Ut jumentum factus sum apud te. » Ps. 72, 23.

« Quia semel coepi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » Gen. 18, 27. « Vir pollutus labiis ego sum. » Is. 6, 5.

IV. Oratio S. Augustini saepius usurpanda :—

« Domine noverim te, noverim me. »

194. Humilitatis notio (3).

i. « Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. » M. 18, 3.

ii. Enixe rogabo humilitatis donum insigne.

1. Humilitas est *subjectio hominis ad Deum*, propter ejus omnimodam excellentiam. « Subditus esto Domino, et ora eum. » Ps. 36, 7.

Quaenam est mea ad Deum subjectio, — mentis et cordis ? quaenam mea obedientia, reverentia ? quis timor ?

2. Homo considerans suum defectum, *tenet se firmiter in infimis* secundum suum statum. Haec est vera humilitas.

An studeo me cognoscere ? An potius velamen obducere velim super interiora mea sensa et motiva ?

3. Humilitas est virtus *temperans animum* ne immoderate tendat in excelsa.

Nonne cupio ego immoderate aliis antecedere ? Nonne cupio prae aliis fulgere, vel eminentia quadam super alios potiri ?

4. Dicta est etiam humilitas *confessio gratiae*. « Confiteor tibi in saeculum, quia fecisti. » Ps. 51, 11.

An agnosco gratias continuas, quas mihi confert Deus ?

5. A S. Bernardo dicitur virtus, qua homo verissima sui agnitione *sibi ipsi vilescit*. « In veritate tua humiliasti me. » Ps 118, 75.

6. Est etiam *paupertas spiritus*, quia agnoscit omnia bona nostra a Deo provenire, nosque ex nobis egenos esse et mendicos. Deum nostrum benefactorem esse proclamat, Deoque perpetuas agit gratias de sua in nos immensa largitate.

7. Humilitas a S. Gregorio dicitur « magistra et omnium mater virtutum. » Mor., xxiii, c. 13, n. 24.

« Nihil humilitati par : haec mater est, radix, nutrix, fulcimentum, et vinculum bonorum... Nihil tui ipsius esse reputa. Facultatem verbi et doctrinae gratiam habes ? ne ideo te putes plus quam alios habere. Ideo maxime te humiliari oportet, quia pluribus dignatus es donis. » S. J. Chrysos., in Act., Hom., xxx., n. 3, p. 237. Vol. IX, 261.

195. Fundamenta humilitatis.

i. « Humiliatio tua in medio tui. » Mich., 6, 14.

ii. A Deo poscam lumen, ut cognoscam radices humilitatis.

I. *Creatio*. Deus solo verbo suo ex luto me condidit. Ipse fecit nos, vocavitque nos quando non fuimus. Ipse igitur solum ens verum, et solum vere bonum.

« Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est. » Is. 41, 24. « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. » ib., 40, 17.

II. *Totalis nostra a Deo dependentia.*

Non solum Ipsi cura est de fœno, de liliis, de passeribus, de corvis, de capillis capitis, de hominibus ; non solum singulis rebus suas indidit vires et capacitates, verum etiam omnes quaecunque creaturae a Deo intime et necessario dependent, ut sint et agere valeant. In omnibus et ubique « manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. » Ps. 138, 10.

III. *Lux intellectus nostri*, qua objecta spiritualiter reproducimus, a Deo tota est : « Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. » Ps. 4, 7. Verbum, — Deus, — lux vera.. illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » J. 1, 1-9.

Hoc lumen, quo maxime homines constituti sumus, quo praecipue gloriamur, quo utimur ad superbiendum, Deo plane debemus.

IV. De istis tribus corda perscrutemur : an vere et distincte has veritates fundamentales percipiamus, agnoscamus, ut certas retineamus ? An de his gratum Deo exhibeamus animum ?

196. Fundamenta humilitatis (2).

i. « Exi a me, quia homo peccator sum Domine. » L. 5, 8.
ii. Efflagitabo ut peccatorum meorum deformitatem percipiam.

I. *Peccavi.* Exiguitati naturae suae peccator adjunxit rebellionis infamiam. De gente peccatrice exortus sum. Prodivi ex stirpe infecta labe peccati. Deus quidem

fecerat hominem rectum et bonum, at vero homo fecit seipsum malum et pravum. « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. » R. 3, 23.

Primordiali generis culpae quot *egomet addidi* crimina, peccata, negligentias culpabiles? Quot et quanta in Deum commisi delicta ? « Quid gloriaris in malitia qui, potens es in iniquitate ? » Ps. 51, 3. Nonne jam, et forsan saepius, evidentia veritatis et conscientiae remorsu confiteri coactus sum : « Confusio faciei mei cooperuit me ? » Ps. 43, 16. Nomen rei in innocentis commutare impossibile est, et dolore cordis profiteor : « Peccatum meum contra me est semper. » Ps. 50, 5.

Peccator, docente apostolo, rursum crucifigit sibi Filium Dei. Heb. 6, 6.

II. Etiam nunc peccare *non desino* ; dum « Altissimus odio habet peccatores. » Eccli. 12, 3. Ipse benignissimus Redemptor in aeternum arcet a se peccatores : « Discedite a me maledicti. »

Pecco. Peccatum confiteor ; et statim post confessionem sacramentalem obliviscor peccatorum meorum. Sed verum adhuc manet me peccasse, et peccare quotidie ; et certum est me peccatoris nomen jure commeruisse.

III. Possum *deinceps peccare*, et quidem graviter.

« Si in vobis est sanctitas, timete ne perdatis eam. Unde ? Per superbiam. » S. Aug., Sermo 254, n. 4, M. 5, 1565.

« Praesumptio autem virtutis propriae tanto gravius in desperatione est, quanto longius ab humilitate. Cumque vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recurrit auctoris : fitque ut eo gravius peccator pereat, quo et ipsum hoc, quia est peccator, ignorat. » S. Greg., Mor. xxii, c. 21.

197. Fundamenta humilitatis (3).

i « Ego vero egenus et pauper sum, Deus adjuva me.» Ps 69. 6.
ii. Petam a Domino intimiorem humilitatis sensum.

I. Hominis *debilitas* : —

1. Homo sum *labilis*, fragilis, in stadio probationis ; in malum nimis pronus ; experientia novi me facile delabi, et citissime passione abripi et debellari.

Si graviter incideret tentatio, an resisterem ? « Quae est enim fortitudo mea ? » Job. 6, 11.

« Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. » S. Aug.

2. Profunda est mea circa veritates praestantissimas *ignorantia*, immo circa omnia permagna est. Divinam praesentiam obscure percipio ; Sacramentorum plenitudinem et dulcedinem languide persentio ; occultos defectus meos vix suspicor ; culpas complures ignoro ; ipsa mea sensa quoad plura comperta non habeo. « Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me.» Ps. 18, 13. Nihilominus de scientia mea plurimum gloriari non erubesco.

« Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.» Gal., 6, 3.

3. *Concupiscentia* porro mea, qualis est et quanta ? In iram facile rapior ; in carnis illecebras sollicitor ; superbiae invidiaeque motibus conturbor. « Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » R. 7, 24.

II. Hominis *pericula* :—

1. non cado, quia peccandi occasiones non adsunt, vel quia non tentor ;

2. possum tamen cadere, idque saepius et pessime. » Audeo etiam dicere, quod superbis continentibus expediat cadere, ut in eo in quo se extollunt, humilientur. « Timeo ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. » 1 C. 9, 27. S. Aug., Sermo 254, n. 9, M. 5, 1567.

198. Fundamenta humilitatis (4).

i. « Non est creata hominibus superbia. » Eccli. 10, 22.
ii. Deum obsecra ut detestabile superbiae vitium in te extinguat.

Aliud humilitatis fundamentum est ipsa superbiae deformitas. Etenim : —

1. *Stulta* est. Gloriam enim suam reponit
   a. in laude hominum ;
   b. in possessione nummorum, vel vestium pretiosarum ;
   c. in puro accidente nativitatis, vel (ut aiunt) « positionis socialis » ;
   d. in eo quod servata fuerint avorum nomina per aliquot generationes.
   « Averte oculos meos ne videant vanitatem. » Ps. 118, 37.
2. *Mendax* est.
   Ignorat enim vel operit miserias, quas certe habet ; reputat se independentem, dum non solum a Deo, verum etiam ab homnibus in multis necessario dependet. « Existimat se aliquid esse, cum nihil sit, » adeoque « ipse se seducit. » Gal. 6, 3.
3. *Superbo valde nocet :* etenim
   a. secum fert gratiae denegationem : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Jac. 4, 6.

b. fons est vitiorum omnium : « Initium omnis peccati est superbia. » Eccli. 10, 15.

c. sicut radix arboris sub terra occultatur, et vitam trunco subministrat, ita superbia (radix omnium malorum) latet, serpitque in anima, tamquam impulsus omnis malae actionis.

4. *Deo abominabilis* est. « Odibilis coram Deo superbia. » Eccli. 10, 7.

« Humiliatus est eo quod exaltatum fuisset cor ejus. » 2 Par., 32, 26.

« Antequam conteratur, exaltatur cor hominis. » Prov., 18, 12.

« Ante ruinam exaltatur spiritus. » Prov., 16., 18.

199. Fundamenta humilitatis (5) [1].

i. « Dispersit superbos mente cordis sui. » L. 1, 51.
ii. Tutelam efflagita beatæ Mariæ Virginis.

---

1. Superbia non unam dumtaxat virtutem, sed virtutis ipsam radicem atque potestatem corrumpit ; etenim quasi generalis ac pestifer morbus esse videtur.

2. Neque in solis malis versatur, sed omni virtuti sese virusque suum immiscet.

« Nisi humilitas omnia quaecunque bene facimus et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhaereamus, et imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia.

---

1 Secundum Cajetanum a Bergamo. Umilta. n. 139.

Vitia quippe cetera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. » S. Aug., Ep. 118, n. 22, M. 2, 442.

3. « Ubi laetatus homo fuerit, in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa laetitia (superbia) caput erigit, et dicit : Ecce ego vivo, quid triumphas ?» S. Aug. De natura et gratia. c. 31, M. 10, 264.

4. Superbia prima addiscitur, *ultima* deseritur. Inspice actus tuos et agendi motiva.

5. Impedit *influxum gratiae* coelestis nobis plane necessariae. « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. »

6. Superbia inter signa *reprobationis* numeratur. Vide utrum crescat an diminuat in te venenum hoc mortiferum.

7. *Difficile* cognoscitur, difficilius eradicatur cognita.

8. Mundus vanitate et superbia repletur. Christiani ipsi eadem contagione multum sunt contaminati. Alios ficte laudamus. Laudes fictas ipsi deglutimus. Ambitiosi sumus. Christum sincere non quaerimus sed nosmetipsos, non Dei gloriam sed propriam aestimationem.

200. Fundamenta humilitatis (6).

i. Coeco dixit Jesus : « Quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine ut videam. » L. 18, 41.

ii. Efflagitabo desiderium ardens coeci illius.

iii. Jesu, mitis et humilis corde, miserere nobis.

I. *Cognitio Dei : —*

1. Deus est ens realissimum, stabile, plenum majestatis ; nos vero foenum, jumenta, umbra, fumus.
2. Deus aeternus est et indestructibilis, indefectibilis atque sanctissimus ; nos autem inconstantes, peccatores, temporanei.
3. Deus perfectissimus est atque pulcherrimus ; nos vero ubique limitibus coarctamur, et miseriis circumdamur.
4. Deus natura sua locupletissimus ; creator est qui omnia verbo oris sui condidit. Nos e contrario pauperes natura sumus et mendici, qui nonnisi magno labore inditas nobis facultates evolvimus.
5. Deus Rex, legifer, judex, Dominus ; nos subditi servique.
6. Deus infinitus, nos ex parte nostra purum putumque nihil. « Ad nihil redactus sum, et nescivi. » Ps. 72, 22.

II. *Cognitio Redemptoris : —*

Salvavit me inimicum et indignum.

Lavavit me a peccatis meis sordidis.

Humilitate sua elevavit me, potentia sua liberavit me, sapientia sua illuminavit me.

Dedit mihi legem suam suavissimam ; praeparavit mihi Ecclesiam suam ; largitus est mihi sacramenta sua pretiosissima.

Ipse Dominus, ego servulus ; ipse Magister, ego discipulus ; ipse Amor, ego homunculus cordis lapidei.

Sumus empti a Christo, non sumus nostri.

O Christe altissime, potentissime, respice humilem famulum tuum. Doce me humilitatem. Fac me humilem.

201. Fundamenta humilitatis. (Repetitio).

i. « Quis ego sum servus tuus ? » 2 Reg. 9, 8.
ii. A Deo petam ut cognoscam veritatem humilitatis.
iii. Deum orabo ut mihi concedat verae humilitatis virtutem.

Humilitatis fundamenta praecipua haec sunt : —

I. Creatio.

« Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. » Ps. 138, 5.

Deus creator meus est, ego ex meipso, nihil sum. « Substantia mea tamquam nihilum ante te. » Ps. 38, 6.

II. Dependentia a Deo in omnibus.

Deus enim est qui « portat omnia verbo virtutis suae. » Heb. 1, 3.

III. Deus est lux intellectus omnis. « Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. » Ps. 17, 29.

IV. Ex parte mea humilitatis fundamenta sunt : —

1. *peccata praeterita* : « Sapientes sunt ut facerent mala bene autem facere nescierunt. » Jer. 4, 22 ; peccata *praesentia* adeo frequentia, et *futura*, immo et *possibilia ;*

(Quanta mea demerita. Quid si homines me intuerentur prout revera sum in conspectu Dei ? Necesse prorsus est ut me, meaque peccata celem).

2. *ignorantia ;*
3. *concupiscentia :* « Pravum est cor omnium et inscrutabilie : quis cognoscet illud ? » Jer. 17, 9.
4. *limitationes* : « Memorare quae mea substantia. » Ps. 88, 48 ; « Ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus.» Ps. 102, 14;
5. *pericula* : « Qui se existimat stare, videat ne cadat.» 1 C. 10, 12. « Gratiae tuae deputo quaecunque non feci mala. » S. Aug.

202. Humilitatis praestantia.

i. « In omni tempore ac loco, humilitatem tibi comitem adhibe. » S. Eph. De vita spir., c. 65.
ii. Patrem coelestem pie roga sensum Christi sui.

I. *Radix et initium* fuit doctrinae Christi magistri nostri : « Beati pauperes spiritu. » M. 5, 3.

Illud proposuit nobis Dominus ut quid omnino ab ipso discendum : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde ». M. 11, 29.

Haec porro fuit mens Christi, docente Apostolo : « Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit.. Humiliavit semetipsum. » Phil. 2, 5 8.

II Secundum SS. Patres, humilitas est vitae spiritualis :—
a. *Initium*, quia ponit hominem tanquam Dei creaturam, a Deo dependentem, et ipsi in omnibus subditum. Exhibet hominem ut vas quoddam divinis beneficiis implendum. Adeoque (ut dicit S. Thomas) « Christus praecipue nobis humilitatem commendavit, quia per hoc maxime removetur impedimentum humanae salutis, quae consistit in hoc. quod homo ad coelestia et spiritualia tendat, a quibus homo impeditur, dum in terrenis magnificari studet.. Ideo Dominus.. exteriorem celsitudinem contemnendam monstravit per humilitatis exempla : et sic humilitas est quasi quaedam dispositio ad liberum accessum

hominis in spiritualia et divina bona. » 2. 2, q. 161, a. 5, ad 4.

b. *Fundamentum*. « Magnus esse vis, a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. » S. Aug. Sermo 69 (aliter 10) n. 2. M. 5, 441.

c. *Radix*, unde pullulant virtutes ob vigorem et numerum et profunditatem radicularum.

III. Est *conditio gratiae* et amicitiae divinae.

1. Respicit in orationem humilium. Ps. 101, 18. Dispersit superbos. L. 1, 51.
2. Oculi ejus super humiles, et videt superbos a longe.
3. « Talium » (i. e. parvulorum et humilium) est enim regnum coelorum ; superbos e contra arcet.
4. Ditat humiles ; divites superbos dimittit inanes.

203. Magister humilitatis.

i. « Ecce testem populis dedi eum, ducem a cpraeceptorem gentibus. » Is. 55, 4.

ii. « Quantumcunque te humiliaveris, non potes tantum descendere, quantum Dominus tuus. » S. Chrys. Hom. 65 in Matth., n. 4. Vol. 7, 732.

iii. Deum obtestare gratiam Christum imitandi.

---

1. De gloria coelesti in miseriam conditionis humanae, descendit, ut foeda hujus generis crimina in se susciperet ac deleret.
2. Diu in Virginis utero delituit, ex infimo et occulto hominis ortu lente crescens, quemadmodum ceteri homines solent crescere.
3. Apparuit in stabulo ; reclinatus est in praesepio ; aulici sunt pastores ; indumenta sunt panni.

4. Majestatem perpetuo occultavit. Pauper inter pauperes, operarius inter operarios vixit. Creaturis suis se subdidit ; rudibus et incultis piscatoribus se junxit. Nomen proprium et naturam vix enuntiavit ; et filium hominis se appellavit.

5. Longe majorem vitae suae partem occultus jacebat. Sicut ceteri baptizatus est a Joanne ; opera sua et praedicationem inter limites Palaestinae cohibuit.

6. Plausum popularem fugiebat ; sociorum suorum tarditatem, hebetudinem,et inurbanitatem dulciter sustinuit.

7. Sivit se subdi vitae nostrae limitibus, laboribus, indigentiis.

8. Aliis reliquit opus suum perficiendum. Simpliciores doctrinas, tanquam divini cultus prima elementa ipse rudibus et agrestibus impertivit. O admiranda Salvatoris humilitas !

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

204. De humilitate erga proximum.

i. « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. » Phil. 2, 5.

ii. Pie et sincere Christum efflagitemus donum humilitatis erga socios.

---

1. Quilibet homo secundum id quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere, quantum ad id quod Dei est in ipso. « S. Th. 2, 2, q. 161, a. 3, Quia opera Dei debemus ubique revereri, et quia defectus noster ex nobis est, perfectio autem omnis a Deo. « Perditio tua, Israel ; tantummodo ex me auxilium tuum. » Os. 13, 9.

2. Bona inferiora nostra debemus melioribus in proximo posthabere ; v. g. talenta naturalia gratiis, quas in alio conspicimus ; ac similiter, mediocres virtutes nostras majoribus in alio posthabere oportet.

3. Pariter ratione peccatorum meorum, debeo me subjicere fratri vel levius peccanti vel innocenti.

4. Quid sit mali in nobis scimus, quid boni sit in alio distincte nescimus : hinc « potest aliquis reputare, aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est ; ex quo se potest ei subjicere per humilitatem. » S. Th. l. c.
Et re quidem vera —
a. cor proximi non intuemur ;
b. nobis alios judicare nefas est : « Nolite judicare, ut non judicemini. » M. 7, 1.
c. « Tu quis es qui judicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit. » R. 14, 4. Experientia forte jam didicimus, quantum boni in proximo lateat.

5. Quo majores a Deo recepimus gratias, eo magis dolendum de proprio nostro defectu et infidelitate, et eo magis necesse est, ut inanitatem et paupertatem nostram confiteamur.

205. Praecepta apostolica.

1. « Humiliamini sub potenti *manu Dei* : » (1 P. 5, 6.) in persecutione, in cursu mundano, in morbo, in infortunio, in rebus adversis.

2. « Deus superbis *resistit*, humilibus autem dat gratiam. » J. 4, 6. Humilis agnoscit suam dependentiam ; fiduciam habet obtinendi a largiflua manu Dei cuncta,

quibus indiget ; gratum animum ostendit de donis receptis.

3. « Subjecti igitur estote *omni humanae creaturae* propter Deum : » (1 P. 2, 13.) i. e. superioribus omnibus tanquam auctoritate pollentibus divina, quam auctoritatem agnoscimus, reveremur, cui et obsequimur.

4. « Subjecti *invicem* in timore Christi. » Eph. 5, 21.

5. « Omnes autem invicem humilitatem *insinuate* :» (1 P. 5, 5.) exemplo, spiritu, doctrina, commendatione.

6. « *Induite vos* benignitatem, humilitatem, modestiam. » Col. 3, 12.

« Ambulate cum omni humilitate, et mansuetudine. » Eph. 4, 2. An in te reperitur haec virtutum conjunctio ?

7. In humilitate *superiores* sibi invicem arbitrantes. » Phil. 2, 3.

8. « Non alta sapientes, sed *humilibus consentientes* : » (R. 12. 16.) i. e. non de se inordinate cogitando, alios contemnendo, eminentiam mundanam ambiendo, sed simplicibus, pauperibus, indoctis sese accommodando.

9. « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. » Ph. 2, 5.

206. De humilitate.

Examen primum : quoad Deum.

i. « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. » Is. 40, 17.

ii. A Deo universorum ordinatore obsecrabo sagacitatem et assiduitatem.

1. An mente recogito meum *nihilum* coram Deo ? an sincere et morose id meditor ?

2. An reflecto quod ipse *solus bonus* sit ? ipse solus Dominus ?

   Quando ? quoties ? quo animi fervore, amore, et sinceritate ?

3. An verbis dumtaxat, an ex intimo corde meam propriam *ineptitudinem*, totalem ab eo *dependentiam*, meamque in omnibus *insufficientiam* profiteor ? « Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. » 1 C. 12, 3.

   An veraciter erga Dominum ago tamquam egenus, pauper, mendicus ? An ex corde dicere valeo : « Servus inutilis sum. »

4. An in divina praesentia agnosco me esse *peccatorem*, reum, indignum favore divino, et adhuc magis indignum amore ejus singulari et personali ?

5. An *supplex* rogo « ut videam ? » ut Deus sit mihi adjutor, et firmamentum ? ut dignetur ex magna sua clementia misereri mei ? ut panem mihi quotidianum jugiter praestet ?

6. An gratum animum constanter habeo erga supremum *Benefactorem* meum ?

   An glorifico ipsum, quia est ?

   An laudo ipsum, quia infinitus est ?

   An spiritu filiali recipio documenta revelationis divinae ?

   An animo vere docili audio Ecclesiam ?

207. De humilitate.

Examen secundum : quoad superiores. [1]

I. Quoad superiores quoslibet.

1. An memor es quod obedientia ac reverentia debeantur ex divina ordinatione ? « Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum,... quia sic est voluntas Dei. » 1 P. 2, 13. 15.
2. An obedientia ex animo praestas ? an potius ex necessitate et fine humano ?

   An forsan parum aestimas superioris gradum, et auctoritatem divinitus acceptam qua subditos suos dirigit ?

   Quid de regula sentis qua dicitur : « In primis igitur necesse est ut libenti et prompto animo superioribus et magistris suis sese subjiciant, magna reverentia eos prosequantur ? » An illud ob oculos habes cum vero humilitatis sensu ?
3. An revereris, tanquam inferior et subditus, superiorum praecepta ?
4. An honoris signa quae exhibes mere externa sunt, ab intimo honorandi affectu aliena ?
5. An bona recipis voluntate eas quas superiores ex officio administrant correctiones ?
6. An verbis minus blandis irasceris, an mente intumescis contra verba admonitionis ?

   An tristis es de recepta reprehensione ?

I. Quoad aequales.

1. An ceteris excellere cupis ? An tristaris, an invidiae motibus turbaris, si alius te antecesserit ?

1. Secundum Cajetanum a Bergamo. Umilta. n. 119 sqq.

2. An cernis et observas principium humilitatis, qua fundatur regula de alumnorum ad invicem relatione ? « Alumni erga se invicem caritate et concordia adimpleantur, foras pellentes omnem singularitatem» contentionem, invidiam, studium partium, et illam animi indolem perniciosam, quae ad omnia carpenda criticeque dijudicanda inclinat. »

208. De humilitate.

Examen tertium : quoad inferiores.

1. Quod spectat *dotes naturales* corporis, intellectus, voluntatis : — An super alios gloriaris de dotibus melioribus, quas a divina recipisti misericordia ? An de iis jactas ? An eas tibi attribuis, ac si tu ipse eas fecisses ? An forte oblitus es dicti illius divini : « Ipse fecit nos, et non ipsi nos ? » Ps. 99, 3.

An infirmiorem fratrem secreto contemptu habes ? An erubescis loqui familiariter cum illo ?

2. Quod spectat dignitatem socialem, vel aliam quamcunque *eminentiam* qua potitus es : —

a. Numquid meministi verborum : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ? » Eccli. 3, 20.

b. An animadvertis quod eminentia ista penes Deum tibi non proficiat ; quoniam « personarum acceptio non est apud Deum. » Eph. 6, 9.

c. Si quid forsan occurrerit, an memor es illius: « hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris ? « Gal. 6, 1.

d. An sincero humanitatis caritatisque affectu inferiorem alloqueris, tractas, consideras ? An forsitan

censes, illum qui accidentali muneris conditione infra te constitutus est, etiam re et essentia tibi esse inferiorem ?

3. An *sicut Pharisaeus* arbitraris te meliorem esse iis, quorum defectus animadvertis ? An censes te alterius plane ordinis virum ac peccatores, quos in mundo vidisti ?

Cui debes discrimen hoc te inter et illos ? Quid isti fecissent, si tuas recepissent gratias ?

209. De humilitate. [1]

Verba beati Petri reverenter perpendantur : « Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » 1 P. 5, 6.

Humiliamini igitur (Apostolus nos enixe hortatur ad humilitatem. Est vero —

1. Humilitas culpae. « Est qui nequiter humiliat se, cujus interiora plena sunt dolo. » Eccli. 19, 23' Haec prorsus fugienda est.
2. Humilitas poenae. « Tribulaverunt eos inimici eorum. et humiliati sunt sub manibus eorum. » Ps. 105, 42. Haec autem est sustinenda.
3. Humilitas gratiae. « Discite a me » M. 11, 29. Haec profecto est appetenda.)

sub potenti manu Dei, (Unde intelligitur hujus virtutis necessitas, quia Deus potest humiliare invitos. Superbis enim ostendit suam potentiam : —

1. eis resistendo : « Deus superbis resistit. » Jac. 4, 6.

---

1. S. Thomas. Sermo in Dom III, post Pent.

2. eos dejiciendo : « Dejecisti eos dum allevarentur. » Ps. 72, 18.
3. eos aeternaliter puniendo : « Ascendit foetor ejus, et ascendit putredo ejus, quia superbe egit. » Joel. 2, 20.)

ut vos exaltet in tempore visitationis (in quo conspicitur ejus utilitas. Triplex enim per illam bonum acquiritur : —

1. bonum gratiae : « Humilibus autem dat gratiam. » Jac. 4, 6.
2. bonum scientiae : « Abscondisti haec a sapiéntibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » M. 11, 25.
3. bonum gloriae : « Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. » Job 22, 29.)

210. De beneficio humilitatis.

1. Humilitas facit creaturam rationalem Deo *voluntarie subjectam,* velut materiam aptam ad divinum influxum recipiendum. Creatura humilis se Deo exhibet tanquam verum ejus opus, receptivum, gratum, reverentia plenum. « Non est creata hominibus superbia. » Eccli. 10, 22.

   « Paratum cor meum Deus. » Ps. 107, 2.

2. Hinc est ad salutem *certa via ;* « talium est enim regnum coelorum. » In divina dispensatione humilitati respondet exaltatio.

3. Propter istam animi voluntariam submissionem ad Deum, fit *receptivus donorum divinorum.* Deus enim sua confert dona in eos, qui parati sunt ea agnoscere, ac recipere, et de iis gratias rependere. « Confiteor tibi, Domine, Pater coeli et terrae, quia abscondisti

haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » M. 11, 25.

4. Qui in se non confidit sed in Deo, a Deo *adjuvatur*. Ipse enim est nobis propriissime adjutor, liberator, salvator. Adjutus a Deo in tentatione victor evadit.

5. Humilitas insuper signum est *praesentiae Spiritus sancti*. « Ad quem enim respiciam nisi ad pauperculum et contritum corde, et trementem sermones meos ? » Is. 66, 2.

6. Sine humilitate ceterae virtutes *subsistere nequeunt*. « Etsi quaelibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat ; et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius coecatur. » S. Greg., Hom. in Ev., vii, n. 4.

211. Dotes humilitatis.

1. Humilitas *sese Deo subjicit*, qua subjectione nihil homini magis naturale, nihil magis honorificum, nihil magis delectabile vel gloriosum.

2. *Nemini se anteponit*. Sed « quid, si in eo discordaret a veritate ut minorem se inferioremque putaret quam veritas haberet ? Excusaret eum sua procul dubio ignorantia. Si enim in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus, liquido cognosceremus ; nec supra sane nec infra secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes. » Nunc vero id nos latet.

« Propterea non mediocrem, nec penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos

voluit : sed recumbe, inquit, in novissimo loco ; ut solus, videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini, non dico praeponas, sed nec comparare praesumas. » S. Bern , in Can. xxxvii. nn. 7. 8. Vol. II, 2905-6.

3. Incapax' est cujuslibet *doli* vel fraudis. « Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo. » Eccli. 19, 23. Qui ficte humilis est, vultum moresque imitatur viri vere humilis, ut et ipse humilis esse appareat.

4. Crescit humilitas *in directa ratione* cum evectione viri justi ad aliquam dignitatem : —
   a. « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Eccli. 3, 20.
   b. « Rectorem te posuerunt ? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis. » Eccli. 32, 1.
   c. « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. M. 20, 28.

5. *Non obliviscitur discretionem :*
   a. Humilitas quoad omnes et ubique servanda est in cogitationibus cordis. « Existimate alios in occulto superiores, quibus estis in manifesto majores. » S. Aug. De virginitate, c. 52. M. 6, 427.
   b. sed « noli esse humilis in sapientia tua, ut humiliatus in stultitia seducaris. » Eccli. 13, 11.

212. De bono humilitatis.

i. « Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti : annis quibus vidimus mala. » Ps. 89, 15.

ii. Ut lumen circa humilitatem majus indies concedatur ora.

Humilitatem comitatur : —

1. *Veritas* quae nos inducit ut compertum habeamus quomodo stemus in conspectu Domini, judicis, ac verae normae rectitudinis omnis. « In veritate tua humiliasti me. » Ps. 118, 75.

2. *Receptivitas bonorum* : —
   a. Eorum quae a Deo accipimus : sane humilitas animam disponit ad dona Dei recipienda : obstacula removet (superbiam, vanitatis inconstantiam, spiritum rebellionis, sui-cupidinem), animum dilatat, praeparatque purificando. « Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum. » Ps. 118, 25.
   b. Eorum quae ab aliis in nos conferuntur : quia, quum revereamur bona Dei in aliis, ideo parati sumus ut ab iis participationem quamdam donorum divinorum recipiamus libenter. Aliorum bona nostra fiunt, nostra pariter aliis impertimus.

3. *Assimilatio* ad Christum, quod est Christi mores suavissimos induere, et praxim seu exemplum adoptare.

4. *Pax*. Humilibus enim conceditur consolatio gratiae, gaudium, et pax in Spiritu sancto. Humiles constituunt regnum eorum qui Deum reverentur, colunt, amant. Liberantur a curis inquietis ambitionis, invidiae, a perturbatione vitae et sui cupidinis.

5. *Meritum* : regnum coeleste et Dei gloria. Gloria retribuetur secundum mensuram humilitatis.

213. Duodecim graduum humilitatis series prima [1].

i. « Omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. » L. 14, 11.

ii. « Zachaee, festinans descende : quia hodie in domo tua oportet me manere. » L. 19, 5.

Sex priores gradus humilitatis sunt :

1. Timorem Dei sibi ante oculos semper ponere ac meminisse omnium quae praecepit Deus.

   « Dominus judicat populos... scrutans corda et renes Deus. » Ps. 7, 9. 10.

2. Propriam voluntatem non amare.

   « Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.» J. 6, 38.

3. Pro Dei amore omni obedientia sese majori subdere.

   «... et (Jesus) erat subditus illis (parentibus). » L. 2, 51.

4. Cum silentio in duris et asperis patientiam amplecti.

   « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. » Phil. 2, 8.

5. Mala a se commissa confiteri.

   « Delictum meum cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi. » Ps. 31, 5.

6. Omni vilitate et extremitate contentum esse, ac sicut operarium malum se ad munia quaeque indignum judicare.

   « Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum. » Ps. 72, 22. 23.

---

1 Secundum S. Benedictum, Regula, c. vii.

214. Duodecim graduum humilitatis series altera [1].

i. « Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas. » Tob. 4, 14.

ii. « Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua. » Prov. 27, 2.

Sex posteriores gradus humilitatis sunt :

7. Omnibus sese inferiorem et viliorem non solum lingua pronuntiare, sed etiam intus corde credere.

« Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Ps. 21, 7.

8. Nihil agere nisi quod communis domestica regula vel majorum exempla cohortantur.

« Audi, fili mi, disciplinam patris tui. » Prov. 1, 8.

« Non te praetereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt a patribus suis. » Eccli. 8, 11.

9. Linguam cohibere ; servare taciturnitatem usque ad interrogationem.

« In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.» Prov. 10, 19.

10. Non facilem nec promptum esse ad risum.

« Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit. » Eccli. 21, 23.

11. Leniter, sine risu et cum gravitate loqui ; paucis, iisque rationabilibus verbis uti.

« Ne temere quid loquaris,.... sint pauci sermones tui. » Eccli. 5, 1.

12. Ita se semper et in omni loco gerere, ut cor humiliter

---

1. Secundum S. Benedictum. Regula c. vii.

sentiens simili modo in corporis habitu reluceat, sicuti facies in speculo.

« Et publicanus... nolebat nec oculos in coelum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. » L. 18, 13.

215. Media ad humilitatem.

1. *Imbue te* sapientia dominicorum praeceptorum, de quibus poterit revocari Meditatio 186, p. 263.

2. Semper in memoria tene humilitatem esse virtutem, quae *humiliatione sola* acquiritur, sive libenter accepta, sive sponte quaesita. Humiliationi itaque sedulo incumbas. Haec ad humilitatem via unica, despicientia scilicet sui et humiliatio. « Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, et lectio ad scientiam. » S. Bern. Ep. 87, n. 11. Vol. I, 257.

«(Sed)quanti humiliantur, qui humiles non sunt. Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi... non humiliatis, sed humilibus Deus dat gratiam. Est autem humilis qui humiliationem convertit in humilitatem. » S. Bern., Sermo, xxxiv, n. 3. Vol. II, 2888.

3. *Humilia sequere ;* fuge ostentationem, elationem, arrogantiam, impatientiam, intolerantiam. Omnibus te vere affabilem, hilarem, dulcem exhibe.

4. *In omni veritate* humiliter de te ipso sentire studeas. Memor esto peccatorum, infirmitatis, infidelitatis, ineptitudinis, insufficientiae, ad malum pronitatis, et nihili tui. Ad summum : « servi inutiles sumus. » L. 17, 10. Te saepius in die vilipende. Ceteros te meliores esse sincere agnoscas. Cum Joanne Baptista dicas :

« Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. » Mc. 1, 7 ; et cum Petro : « Exi a me, quia homo peccator sum Domine. » L. 5, 8 ; et cum S. Paulo : « Non sum dignus vocari apostolus. » 1 C. 15, 9.

5. Bonum quod in te sit, *occultare stude*, exemplum secutus Domini qui saepe miracula et ipsam divinitatem obtectam voluit.

6. Humilitatis gratiam enixe petas.

216. Humilitatis indicia vera.

1. Modestia habitus. S. Basil., Ep. 2, n. 6. Vol. III, 104

2. Abstinere a carpendo, a spiritu criticismi, a murmuratione.

3. Patientiam habere inter adversa. Tribulatis ex corde compati ; aliorum defectus suaviter tolerare, et pro delinquentibus orare.

4. Laudari nolle ; de laudibus erubescere, et a laudantibus se subtrahere.

5. Obedire. Erga superiores fiduciam gerere.

6. Officiis ac rebus simplicibus humilibusque contentus esse.

« Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis ». J. 13, 15.

7. Se ceteris inferiorem intimo cordis affectu credere. « Recumbe in novissimo loco. » L. 14, 10. « Non est ergo periculum, quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem quam sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modice plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te praeferas, quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam

superiorem.» S. Bern., in Cant. 37. n. 7. Vol. II, 2905.

8. Peccata sua ultro confiteri, et aliis accusantibus defectus non negare, corrigentem patienter audire, et grato animo correptionem subire. Correptus culpam non defendere, non negare, non palliare, non excusare, non murmurare, et accusatus, sine causa se accusari non clamare. S. Greg. Cf. Mor., XXII, n. 33.

9. In voce dulcis esse, mitis, modestus, non clamosus.

217. Alia humilitatis indicia.

1. Aliorum a nobis *dissensum* aequo ferre animo, et in proprio judicio inordinate non confidere.

2. Aliorum erga se *neglectum* bene interpretari, immo justificare propriam ineptitudinem, et de eo gaudere.

3. Quod nos aliis *posthabeamur* libenter permittere, et istud justum esse judicare.

4. Quod quis *contemptu* quodam nos tractet, attribuere veris ac justis nostris demeritis.

5. Patienter tolerare quod quis *acriter* vel etiam *contumeliose* in nos invectus sit ; immo opprobrium hujusmodi grato et hilari animo recipere.

6. Quod alii nobis *amicitiae familiaris* signa non manifestent, propriis nostris attribuere defectibus.

7. Tenere humilitatis gradus quos descripsit S. Anselmus : —

   a. contemptibilem se esse agnoscere : « Quid simus, quid nati fuerimus, vel quid fecerimus, mente pertractare, et nos viles peccatores, multoque supplicio dignissimos fore cognoscere. »

   b. de hoc dolere (i. e. de vera nostra indignitate) ;

   c. hoc confiteri ; (« Sequitur confessio: quod qualiter se

peccator cognoscat, et doleat et confiteri studeat ».)

d. hoc aliis persuadere ;

e. patienter sustinere dum id ab aliis dicitur (« Sunt enim plerique satis semetipsos judicantes ; sed nequaquam possunt ab aliis pati judicari, vituperari : »)

f. aequo animo ferre se contemptibiliter tractari, illudque appetere. Eadmeri lib. de S. Anselm. similit. cc. 101-109.

218. De magnanimitate.

i. « Quis est sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat ?» Ps. 112, 5.

ii. « Da mihi, Domine, cor nobile, quod nulla deorsum trahat terrena affectio. » S. Thomas.

---

1. Magnanimitas est animi extensio ad magna. « Ascensiones in corde suo disposuit. » Ps. 83, 6. Est virtus, qua magna opera, eximio honore digna, propter finem virtutis aggredimur.

Honorem vero denegatum non ambimus, neque in oblato gloriamur. « Accepto munere honorifico, studet facere magnanimus ea quae sunt honore digna ; non tamen sic, ut pro magno aestimet humanum honorem » 2, 2, q. 129, a. 1, ad 3. Et ideo non extollitur ex magnis honoribus, quia non reputat ea supra se, sed magis eos contemnit. Et multo magis moderatos aut parvos. Et similiter etiam dehonorationibus non frangitur, sed eas contemnit : utpote quas reputat sibi indigne afferri. » ib. a. 2, ad 3.

Opera ista magna sunt praecipue Dei amor animosus, — fidelis omnium officiorum adimpletio, — et

eorum quae maxime propria sunt muneris nostri excellens praestatio.

II. « Sed quaenam est vera gloriatio, et in quo magnus est homo ?.. Haec est sublimitas hominis, haec est gloria atque majestas, vere cognoscere quod magnum est (Ens divinum), eique adhaerere, et gloriam a Domino gloriae conquirere. » S. Basil., hom. xx, De humil. n. 3, Vol. II, 222-3.

III. Vir Christianus magna operatur : —

vel 1. quatenus rebus parvis optime incumbit, vel munere aliquo inferiore excellentius fungitur ;

vel 2. opera in se nobiliora optime perficit rectitudine et operis et intentionis ; sic vir ecclesiasticus ad nobilissima anhelabit ascendere in virtute ac in studiis ;

a. desidiam fugiet, mediocritatem contemnet, ad summum cujus vires suae sunt capaces enitetur : mentem non dissipabit nugis, frivolis, vanis, mundanis, puerilibus ; sed memor quod ad sublimia natus sit et vocatus, praeclariora muneris sui opera virili conamine pro Dei amore adire, et in his excellere studebit ;

b. summa aget quae valent vires naturales et gratiae sibi a Deo collatae.

219. Incitamenta ad magnanimitatem.

i. « Glorificantes Deum quantumcunque potueritis, superabit enim adhuc. » Eccl. 43, 32.

ii. « Vide autem quomodo verbum, quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad eum vacuum, sed prosperetur et faciat omnia ad quae misit illud, ut dicere possis et tu, quia gratia ejus in me vacua non fuit. » S. Bern. in Cant. s. xxxii, n. 7. Vol. II, 2873.

iii. Ora Dei majestatem ut ad divina valde amanda te trahat.

I. « Magnanimitas facit quod homo sese magnis dignificet secundum considerationem bonorum quae possidet ex Deo ; sicut si habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit quod ad perfecta opera virtutis tendat.. Humilitas autem facit quod homo seipsum parvipendat secundum considerationem proprii defectus. » 2, 2, q. 129, a. 3, ad 4.

« Pro justitia agonizare pro anima tua. » Eccli. 4, 33.

II. Magnitudo Dei cujus nos sumus natura servi et imitatores, gratia vero filii dilectissimi, homines allicit ad magnanima.

« Magnus Dominus et laudabilis nimis. » Ps. 47, 1.

Magnus pariter amor ejus, quo Filius a Patre missus ad redimendos peccatores misit Spiritum sanctum ad sanctificandos illos, nos ad ardua et grandia certe compellere debet.

Magna tandem virtus ejus, qua fecit nobis magna, maxima et pretiosa dedit dona, corda servorum ad sublimia invitat.

« Misericordia ejus magnificata est usque ad coelos. » Ps. 56, 11.

III. Magnis operibus maxima promissa sunt praemia. Quanta enim Dominus promisit humilibus, mitibus, credentibus, iis qui propter eum omnia reliquerint.

Recole parabolam talentorum : « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. » M. 25, 21.

IV. Magnarum actionum sectatoribus in hac etiam vita Deus magna proemia decernit : — videlicet :

1. gratiarum abundantiam — « centuplum accipietis » :
2. Spiritus consolationem : « Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum ? » Is. 66, 2.
3. mentis illuminationem : « revelasti ea parvulis : sapientiam praestans parvulis. »

4. fiduciam in Deum : « Omnia possum in eo qui me confortat. Phil. 4, 13.

« Non ego autem, sed gratia Dei mecum. » 1 C. 15. 10.

220. Actiones christiani magnanimi.

i. « Labora sicut bonus miles Christi Jesu. » 2 T. 2, 3.

ii. « Magnus ergo unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat : ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, eam amittat. » S. Greg. hom. vii, in Ev. n. 4. Vol. 1, 1459.

iii. Pete animum virilem in Dei servitio.

Magnanimi christiani est : —

I. In studio virtutis ecclesiasticae, et in cultura doctrinae sacrae *non mediocribus esse contentum*, sed opitulante Dei gratia, ad gradum sublimiorem anhelare. « Agit hoc in cordibus electorum gratiae praerogativa divinae, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes :.. ut quo minus de sua quisque vel in minimis praesumere consuevit, eo amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat. » S. Bern. Sermo in dom. infra oct. Assumpt. n. 13. Vol. II, 2165.

II. *Excelsum* sibi *finem* praefigere, optimisque mediis ad finem contendere. Finis autem noster supereminens est Dei major gloria, — pro Deo laborare, magni facere animas plurimas lucrari Christo, mundum pro virili nostra parte ad Deum reducere.

Media sunt, vera et solida virtus ecclesiastica, nec mediocris, neque pusillanimis, neque semi-mundana,

---

1 Secundum Alvarez de Paz. Op. Vol. II, lib. iii, pars 2, c. 8.

neque dimidiata, sed apostolo digna ; in qua virtute reperiri debet virtus intellectualis scientiae sacrae, quae nec levis est, nec manca nec superficialis, neque ex dura quadam necessitate acquisita et cito oblivioni tradenda ; sed e contra, plena, profunda, activa, operosa, novisque incrementis continuo augenda : ut reapse duces esse valeamus et magistri animarum, — lucernae ardentes, — sal terrae, — luminaria posita super candelabrum.

III. Impedimentis, oppositione nempe, infelici rerum eventu non frangi ; difficultatibus, taedio vel maerore non angi, sed de iis potius gaudere.

IV. Honores non ambire, sed contemnere ; si vero, cum merito obedientiae impositi fuerint, modeste accipere, eorumque munera pro viribus administrare, ut inde sicut in ceteris omnibus gloria Dei augeatur.

V. In omnibus quae quis fecerit solum Dei obsequium et gloriam spectare, ac verum illum ac aeternum honorem in patria decernendum, ardenter concupiscere.

221. Indicia viri magnanimi.

Magnanimi insuper viri est :

1. *Magnis se occupare* : « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. » Act. 6, 2. Scripsit item S. Paulus : « Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. » 1 *C.* 1, 17. Moysi pariter dixerat Deus : « Esto tu populo in his quae ad Deum pertinent. » Ex. 18, 19.

« Parvulus est qui terrena diligit, magnus qui aeterna concupiscit. » S. Greg. Mor. v, in fine.

« Qui magna agit, quamvis de se humilia sentiat,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

scit tamen magna esse quae agit. Nam si magna esse nescit, ea proculdubio minime custodit. » ib. XXVI, n. 81.

2. Acceptum ab homine beneficium *majoribus beneficiis* compensare. Quaenam recepi ego a Deo, ab Ecclesia, a superioribus, ab institutoribus, a confessoribus, a sociis ?

3. *Cunctari* in his quae aggreditur, et non multa sed magna studet facere. Malle res honestas quam lucrificas habere et tractare. Aliorum neque nimium esse laudatorem neque vituperatorem.

4. In *molestiis* querulum se non ostendere, sed paratum esse fortia facere et pati.

In *prosperis* et *adversis* moderatum se exhibere. Injuriarum non meminisse. Parvi est animi dictis ineptis moveri, vel superioribus animadversionibus deprimi, vel inconsideratis sodalium verbis tristari. « Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. » Eccli. 2, 3.

5. Cum *opulentis* et *magnis* se praestare magnum et excelsum, cum mediocribus et infimis moderatum.

« Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. » 1 C. 9, 22.

222. De securitate Christiana [1].

i. « An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum. » M. 26, 53.

ii. A divina virtute postula robur et constantiam agendi.

1. Secundum Alvarez de Paz. Op. cit II. iii. c. 8, p. 706.

I. Securitas est virtus, qua pacate et tranquille magna opera virtutis aggredimur, et timorem anxietatemque errandi, praeposŧere agendi, et non assequendi finem, cohibemus.

Adeoque 1. *Expellit timorem* : vires mentis colligit in eum finem et perfectionem operis quam intendit magnanimus. Conatum animi non sinit vanis suspicionibus et conjecturis dissipari.

2. *Deponit inanes* et *inordinatas curas* : « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. » L. 10, 41.

« Nolite solliciti esse dicentes : » M. 6, 31.

« Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. » Ps. 54, 23.

II. Securitatis *fundamentum* triplex esse cernitur : —

1. *Dei adiutorium* in naturalibus, et supernaturalibus :

a. pro justis et injustis : « Solem suum oriri facit super bonos et malos. » M. 5, 45 ; et maxime

b. pro humilibus : dicitur enim Deus « humiles respicere : » Ps. 137, 6 ; « ponit humiles in sublime. » Job 5, 11 ; « consolatur humiles : » 2 C. 17, 28 ; « populum humilem salvum faciet. » Ps. 17, 28.

2. *bona conscientia* :

« Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto. » 4 Reg 20, 3.

« Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » L. 23, 46.

« Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae. » 2 T. 4, 7.

« Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae. » Ps. 53, 6.

3. *Fidus animus et cura* omnia nostra recte agendi cum fiducia prosperi exitus.

« Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Ps. 26, 14.

« Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. » Eccl. 51, 38.

« Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. » 1 C. 16, 13.

223. De actionibus securitatis [1].

Vir magnanimus virtute securitatis praeditus :

1. *Prompte agit* : « Ecce ego : » ter reponit puer Samuel Domino vocanti; deinde : « Loquere Domine, quia audit servus tuus. » 1 Reg. 3, 10.

Agit alacriter : « Hilarem enim datorem diligit Deus. » 2 C. 9, 7.

Operatur insuper *cum fiducia* boni exitus : « Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. » Ps. 61, 8.

Actiones facit *praeclaras*, cujusmodi sunt : orationes, virtutes Christianae, opera status sui propria.

De singulis spiritum tuum diligenter scrutare.

2. *Deponit timorem.* Nobis enim non raro contingit animo despondere propter operis suscepti obstacula, hominum oppositionem, vel ob cognitam nostram incapacitatem vel infirmitatem, vel propter praevios successus infeliciores.

Sed erigendus profecto animus ad divinum auxiliatorem : « Dominus mihi adjutor, quem timebo ? » Ps. 117, 6.

1. Secundum Alvarez de Paz. l. c.

Fugat anxietatem : « Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. » Phil. 1, 6.

« In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. » 2 C. 4, 8.

Sollicitudinem foras ejicit : Nonne enim Sapiens nos de supremo omnium Provisore docuit : « et aequaliter cura est illi de omnibus. » Sap. 6, 8. Et pulchre Isaias eloquitur : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. » Is. 49. 15.

O quam puerilis ille timor, quam inepta anxietas, quam feminea et stulta sollicitudo, quando « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » R. 8, 28.

3. *Quiete* et sine ulla perturbatione, in Domino et non in se fiduciam collocans, opera bona praestat securus.

« Regnum enim Dei pax et gaudium in Spiritu sancto. » R. 14, 17.

« Pax Christi exultet in cordibus vestris. » Col. 3, 15.

224. Abnegatio sui.

i. Respice Christum orantem, jejunantem, patientem.
ii. Posce suppliciter a Deo ut verus Filii sui discipulus efficiaris.

Humanae conditionis status successive perpendantur, qui sunt : —

I. Hominis *creatio et primordialis perfectio.*

1. In primo instante creationis Deus homini benigne contulit amicitiam suam et gratiam, eamdem scilicet

quam post lapsum Christus per merita sua nobis denuo restituit.

2. Protoparentibus inerant egregia fides, spes firma, caritas ardens.
3. Sensus et mores habuerunt angelicos, ab omni prorsus concupiscentia immunes.
4. Immortalitatis dono insigniti fuerunt.
5. Rerum naturalium scientiam illustrem receperunt infusam, et in statu sociali felicissimo constituti fuerunt.

II. *Lapsus et degeneratio.*

At invidia diaboli peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors : —

1. Homines a Deo facti sunt alieni, et gratia sunt privati.
2. Concupiscentiae veneno sunt infecti.
3. *Ad malum proni* facti sunt, morbis obnoxii evaserunt, et ad mortem sunt condemnati.
4. Natura tota in deterius mutata est.

III. *Reparatio Christi et cooperatio hominis.*

Christus Salvator, novus ille Adam, nos Deo reconciliavit, restauravit, vivificat ; mala nostra sanat ; pro delictis nostris satisfecit ; adeoque in Christo sumus nova creatura.

Attamen sicut Adam voluntarie peccavit, ita oportet et nos propria voluntate cum Christo cooperari.

1. Oportet peccatis mori, ut Christo vivamus. cl. 1 P. 2, 24.
2. « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Gal. 5, 24.

225. Abnegatio sui (2).

« Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. » 2 C. 4, 10.

I. Quid sit abnegatio sui ?

1. Est voluntaria separatio a vita carnali, et facultatum ab illicitis cohibitio seu abalienatio.

Peccata impedit ; vitia evellit ; concupiscentiam domat.

Tristitiam tamen nullam ingerit, sed in hoc est ut nobis gaudium Christi, et consolatio Spiritus sancti restauretur. « Caro concupiscit adversus spiritum. » Gal. 5, 17. Haec fraenanda est. Audiatur et monitum apostoli : « Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum : » Col. 3, 9. Quod fit resistendo propensitati ad malum, seu passionibus vitiosis, et virtutes excolendo actibus generosis et frequentibus.

2. Est actus quo quis *agit contra* malum.

« Si quis vult post me venire, abneget semetipsum : » M. 16, 24.

« Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. » L. 14, 33.

« Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. » Ps. 43, 22.

Quapropter qui se statuerit abnegare plura sibi non amplius concedet : —

a. quoad peccandi desideria.

b. quoad impulsum ad actum minus generosum.

c. quoad plenam sui in licitis libertatem sequendam

semper et in omnibus. Hanc enim cohibebit ut habeatur disciplina sui, et sacrificium aliquod Deo praestetur.

II. Quid operetur ?

1. Agit —

a. contra stimulos qui nos excitant ad peccata sive gravia, sive levia. « Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. » P. 8, 13.

b. contra illectamenta socordiae ; contra pusillanimitatem et taedium in virtutibus exercendis.

2. Impellit nos —

a. ut licita etiam voluntati denegentur, quo facilius etiam illicita resecentur ;

b. ut poenitentiam agamus ;

c. ut consilia sequamur ;

226. De mortificatione necessaria.

« Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. » R. 8, 12.

I. *Christiano* omni mortificatio apprime necessaria est, quae nimirum idem sonat ac —

1. *Legem Dei servare* in omnibus et semper. Peccata enim quaelibet vitanda sunt, quantacunque sit difficultas, vel quaecunque sint illectamenta ad malum faciendum.

« Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis (ut extirpentur mala quae actu fiunt), et concupiscentiis (ut evellantur cupiditates in malum). » Gal. 5, 24.

2. *Concupiscentiis resistere* : cujusmodi sunt —
   a. luxuria, iracundia, gula, acedia ;
   b. superbia, ambitio, invidia, avaritia.
   « Scio enim, quia non habitat in me (i. e. in carne mea) bonum. » R. 7, 18.

II. *Ecclesiastico viro* prorsus necessaria est ; cujus est —
1. vitae et status sui *regulas* ordinationesque fideliter observare ; studiis mentem indesinenter applicare ; secessum a mundo diuturnum et strictum libenter ferre ;
2. *officia* status sui rite et alacriter peragere ; prompte, cum bona intentione, perfecte ;
3. paratus esse ad *propriam inclinationem* derelinquendam propter bonum aliorum : « Alter alterius onera portate. » Gal. 6, 2.
4. *patienter ferre incommoda* *a*. tempestatis, *b*. valetudinis, *c*. sociorum minus amabilium, *d* loci, supellectilis, ciborum, studiorum. Denique cum docilitate observare superiorum decreta vel ordinationes quae minus placent.

227. De sui abnegatione in licitis.

1. Jesus discipulis suis declarabat se oportere *multa pati, et occidi* : Petrus vero coepit eum increpare. Respondit autem Jesus : « Vade post me, Satana ; scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt (nec intellectu sapis, nec affectu amplecteris), sed ea quae sunt hominis » M. 16, 21. 23. Sapere ea quae sunt hominis est ea, quae dulcia sunt prosequi,— jugum non acceptare, — sibi indulgere, — ardua non suscipere, — voluntatis sacrificia non offere eaque evitare.

2. Hanc liberam arduorum electionem illustri suo exemplo docuit nos Christus. Viam crucis saepius praedicavit. « Nonne oportuit eum multa pati ? » Mihi (dicit) pro salute vestra patiendum est, vobis autem discipulis incumbit ut me imitando sequamini.

Hoc Christianorum est axioma — « *Cum Christo pati ?* » haec vexilli nostri superscriptio ; haec discipulorum tessera.

3. Hujus abnegationis dominicae initia quaerenda sunt in Virginis utero, in stabulo, in exilio ; eadem conspicitur in Christi itineribus, in laboribus, in occulta vita domestica, in sudoribus vitae publicae, in acerbitate quam voluntarie subibat passionis.

4. Egregie Alvarez de Paz : « Est autem apprime utile nonnulla licita abscindere, non solum ut consilia sectantes abundantiorem mercedem accipiamus, verum ut assueti ad relinquenda licita quae placent, facilius illicita, cum nos inescare tentaverint, relinquamus. » De mortificatione, I, c. III, p. 331.

« Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. » S. Greg. Mor. v. n. 17.

« Non enim tam laudabile est si ab illicitis, quam si etiam a licitis temperemus, et his propter ejus reverentiam non utamur, qui ea nobis propter infirmitatem nostram utenda permisit. » Cass. Coll. 21, 5.

« Arbor vitae crux est Christi, ex qua si pomum abnegationis accipimus, et a pravis nostris affectibus fugimus, certissime in virum perfectum vivemus. » S. Ambrosius.

228. Christi dictum insigne (L. 9, 23).

Si quis vult (neminem cogit, sed invitat, allicit, animat) *post me venire,* (Sequi nempe Christum se abnegantem, non eidem praeire.

Ego vobis exemplum ; ego vobis adjutorio ero ; ego testis operum vestrorum ; ego et remunerator.)

abneget semetipsum, (Homo sane maxime est voluntas sua libera et judicium proprium ; invitatur ut utrumque abjiciat ; rogatur ut dimittat id, quod sibi carissimum est.

« Valde laboriosum est relinquere semetipsum... valde autem multum est, abnegare quod est. » S. Greg. Hom. xxxii in Ev. n. 1.

« Aurum deponere incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Thebanus Crates, fecit Antisthenes. Seipsum offerre Deo, proprie Christianorum est et Apostolorum. » S. Hier. Ep. 71, n. 3, M. 670.

Sui-abnegatio est alienatio a se, sui-oblivio, sui-abrenuntiatio.

« Abnegare autem semetipsum, est praeteritorum prorsus oblivisci, atque a voluntatibus suis secedere. » S. Bas. Reg. fusius trac. vi. 1. Vol II, 480.)

et tollat (sicut Christus ardenter facere desiderabat, et tandem libentissime sibi crucem bajulabat ;)

crucem (sive sit martyrium, si id a nobis postulatum fuerit, sive afflictio animi corporisve, sive probatio quaelibet spiritualis aut temporalis, sive demum tentatio undecumque immissa)

suam (1. propriam, vel ex passionibus, vel ex sociis, vel ex amicis et cognatis, vel ex aemulis, vel ex infortunio;

2. nostris viribus commensuratam, nostraeque condi-

tioni et indoli aptatam ; rerum scilicet jacturam, paupertatem, infamiam, vilipendium ;
3. nobis a Deo deputatam ;)

quotidie, (nulla dies sine luctu contra malum, sine servata animi disciplina, sine cordis sacrificia)

et sequatur me (liber a mundanis, a concupiscentis, ab illectamentis vitae, cum anima generosa, fortia facere et pati paratus).

229. Christi dictum insigne interpretatur angelicus doctor.

« Dicebat ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. » L. 9, 23.

I. Omnes ad eundum post se invitat Dominus : ubi considerandum venit :
1. euntium paucitas : « *si quis,* » ac si dicat, rarus est qui velit :
2. arbitrii libertas : « *tollat,* » ac si dicat, in voluntatis hominis est ire et non ire, tollere et non tollere. « Ad quod volueris porrige manum tuam. » Eccli. 15. 17.
3. magna Dei bonitas : quia omnes voluit facere de familia sua, et post se ducere.

II. Ad Christi sequelam tria sunt necessaria :
1. propriae *voluntatis abnegatio* :
   a. quia voluntas saepe nos confundit : « Confundetur Israel in voluntate sua. » Os. 10, 6.
   b. in manum inimicorum adducit, quando quis in scelus grave tandem dilapsus est ; hinc merito a Sapiente monemur : « A voluntate tua avertere. » Eccli. 18, 30.

c. abnegatio propriae voluntatis ab inferno eripit : « Cesset voluntas propria, et infernus non erit. » S. Bern. Sermo 3. In tempore resurrectionis, n. 3. Vol. II, 1971.

2. *carnis mortificatio*. Crucem debemus tollere —
   a. in corde, ut de peccatoribus ea semper cogitemus : « Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem. » Heb. 12, 3.
   b. in fronte, ut de ea gloriemur : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Gal., 6, 14.
   c. in toto corpore, ut mortificemur: « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Gal. 5, 24.
3. *Christi imitatio* : dicit enim : « *et sequatur me.* »
   a. in caritate : « Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » J. 15, 12
   b in humilitate : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » M. 11, 29.
   c. in benignitate : « Estote invicem benigni. » Eph. 4, 32.

230. De principio Christi primario (J. 12, 24-26.)

I. **Principium proponitur** : —

« *Amen, amen, dico vobis* : (Exordium solemne.)

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, (Christus hanc implevit conditionem in passione et morte, nos autem inter praesentis vitae tribulationes.)

ipsum solum manet : (i. e. germen nullum profert. Mortis enim suae meritis Christus voluit nos redimere : nos autem oportet per multas tribulationes intrare in regnum Dei.)

si autem mortuum fuerit, (ita Christus inter dolores vitae, passionis, et mortis, nos autem discipuli ejus in laboribus, aerumnis, et voluntatis propriae abnegatione;)
multum fructum affert (Christus copiosissimam operatus est redemptionem, et fidelium suorum singularem et tenerrimum amorem lucratus est. Christus et discipuli sui universi maximam per crucem attingunt gloriam coelestem).

II. **Principii distinctior applicatio.**

Qui amat animam suam, (delicta admittendo, mala non deserendo, aut indulgentia sua sese exponendo peccati periculo).
perdet eam : (ad ruinam aeternam condemnabit. Divinae potentiae est animam et corpus perdere in gehennam. M. 10, 28.)
et qui odit animam suam (absolute peccata abjiciendo, peccatorum occasiones declinando, semetipsum et corpus in servitutem redigendo)
in hoc mundo, (in brevi hoc spatio tribulationis, denegando sibi gaudia fallacia conditonis praesentis)
in vitam aeternam (i. e. in veram vitam, ad quam momentanea tribulatio nostra comparari non potest)
custodit eam (a malis eam servat, eamque integram et incorruptam tuetur, et ad bona suprema deducit).

231. Repetitio circa sui abnegationem.

i. « Quod si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. » M. 5, 29.
ii. A Christo pendente e cruce, pete humiliter crucis amorem.

I. Menti denuo proponatur sui-abnegatio in eo sita, ut resecentur illicita. Hujusmodi abnegatio est necessaria:
1. Christiano —
   a. ut observet legem Dei, praecepta decalogi, Novi Testamenti, et Ecclesiae ;
   b. ut refraenet concupiscentiam ;
   c. ut sequatur Magistrum Christum ;
2. juveni ecclesiastico —
   a. ut observet ea quae Christianus quilibet servare tenetur ;
   b. ut vitae suae ordinationes particulares adimpleat.
   c. ut munera status sui rite obeat ;
   d. ut propriam voluntatem propter alios saepe saepius deserere non detrectet.

II. Consideretur deinde ulterior illa sui-abnegatio in eo sita, ut refraenetur appetitus circa usum licitorum. Haec autem sui-abnegatio postulatur : —
1. ut plenius et perfectius dometur concupiscentia : « In cruce protectio ab hostibus. »
2. ut securior quis sit in praeceptis necessariis observandis ;
3. ut quis melius et exactius opera ordinaria perficere possint ;
4. ut promptius, facilius, abundantius valeamus virtutes omnes exercere. « In cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. »
5. ut quis veriori sensu dici possit Christum induisse. « Tota vita Christi crux fuit et martyrium : et tu quaeris requiem et gaudium. » De Imit. Christi. II, c. 22.

Addit vero pius auctor de crucis sequela : « Non est istud hominis virtus, sed gratia Dei. »

232. Fructus sui-abnegationis.

i. « Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. » Eph. 4, 23-4.

ii. Roga Deum spiritum generosum ut inter dignos Christi ministros numereris.

---

1. Sui-abnegatio Deo praebet gratissimum *sacrificium* et holocaustum voluntatis propriae ; est oblatio Deo facta rei nobis carissimae.

   « Nihil ita flagrat Deo in odorem suavitatis, quam si mactetur ei vitulus propriae voluntatis. » Rich. a S. Victore, in Ps. 28, versus med.

2. Per ipsam *peccata minuuntur*, vitia extinguuntur tentationes vincuntur, poena peccatorum debita luitur.

3. *Refraenatur appetitus*, ex quo : —
   a. fluunt peccata, et enascuntur tentationes ;
   b. virtutes impediuntur, gratia impeditur, minuitur vel tollitur, et sensus devotionis extinguitur.

   « Quis enim ita ad unguem omnia a se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse ; saepe putandum est, imo, si fieri possit, semper. » S. Bern. S. 58 in Cant. n. 10. Vol. I, 3018.

4. Indefacile *virtutes acquiruntur*. Etenim corrupta voluntas, proclivitas ad malum, et mentis dissipatae cogitationes progessui multum officiunt. « Tantum proficis, quantum tibi ipsi vim intuleris. » S. Hier.

5. Beatitudo *in hac vita* inchoatur. « Centuplum accipiet. » M. 19, 29.

« In cruce infusio supernae suavitatis. In cruce gaudium spiritus. Si libenter crucem portas, portabit te. » De Imit. Christi II, c. 12.

« Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 2 C. 7, 4.

Soli crucis amatores vere amplectuntur hujus vitae continuas aerumnas, easque in aurum convertunt.

6. Magnus gloriae gradus in patria obtinetur. « Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo. » R. 6, 8.

233. Si socius fueris poenae eris et gloriae.

1. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, et servo sicut Dominus ejus : si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. » M. 10, 25.

Ut *capiti conformemur* necesse est. Hinc S. Paulus gloriatur in tribulationibus : R. 5, 3 ; et Petrus clamat: « si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. » 1 P. 4, 14. Jacobus autem dicit gaudium esse in varias tribulationes incidisse. 1, 2.

Christus ipse pronuntiat beatos esse pauperes, mites, lugentes, esurientes justitiam, mundos corde, persecutionem patientes, contumeliis affectos, de quibus ait : Gaudete et exultate. » M. 5, 3-12.

2. In Christo capite, duce, exemplari nostro, peccatum nullum erat neque concupiscentia.

Christi doctrina et exemplum antimundana semper fuerunt.

Christus diabolo fortiter et constanter restitit.

3. Christus libere elegit, — incommoda paupertatis (« non habet ubi caput reclinet. » M. 8, 20), taedium et duritiem laboris, continuam persecutionum vexationem, — cognatos minus urbanos — itinerum gravamina, — secessum a mundo.

a. Certe voluit Magister sectatores intrepidos ; de eo enim qui voluerit ipsum sequi dixit: « Abneget semetipsum, et tollat crucem suam. » M. 16, 24 ; et alibi : « Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. » M. 10, 38 ; ac demum : « Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. » L. 14, 33.

b. Voluit ut agendo nobismetipsis applicaremus merita redemptionis suae copiosissimae. Non enim omnia nostra Christus explevit. Per crucem quidem suam omnes redemit,sed remanet ut, qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur.

c. Qualis dux, tales milites : « Non decet sub capite spinis coronato membra esse delicata. » Audiatur S. Paulus : « Adimpleo ea quae desunt passionibus Christi in carne mea. » Col. 1, 24.

234. Dotes discipuli Christi.

« Si quidem aliquid melius et utilius saluti hominum fuisset quam pati, Christus, utique verbo et exemplo ostendisset. » De Imit. Christi, Lib. II c. XII.

Secundum Magistri claram doctrinam opus est discipulo ejus plura spiritu saltem renuntiare. Relinquat igitur Christianus : —

1. *Possessiones*. « Omnis ex vobis qui non renuntiat

omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. » L. 14, 33.

2. *Cognatos et amicos* : « Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » L. 14, 26.

3. *Omnia* : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » M. 19, 27.

4. *Vitam* : « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. » M. 16, 25.

5. *Semetipsum* : « Abneget semetipsum. » M. 16, 24.

Praeterea, qui vere obediens esse cupit : —

6. Semetipsum debet renuntiare et abnegare quotidie. L. 9, 23. Ac demum —

7. Christi sequela firma esse debet et constans : « Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi :

« Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. » M. 8, 21-22.

« Et ait alter : Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quae domi sunt. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.» L. 9, 61-62.

235. « Per crucem itur ad regnum. » [1]

I. Apud mundanos magni aestimantur — libertas, opes — commoda — immunitas ab omni tristitia — sui defensio — honor proprius.

Apud Christianos maximi habentur opposita —

1. De Imitatione Christi, II, c. 12.

servitium Dei — paupertas — commodorum contemptus — humilitas — gaudium in patiendo — mansuetudo — condonatio injuriarum.

At nemo qui adhuc secundum carnem vivit, qui terrena sapit, vel qui animalis est homo, haec ferre poterit ; adeoque oportet ut crucifigatur homo carnalis, terrenus et animalis.

II. Si vero Christus arduum quid a suis exposcit, illis vicissim propter labores et amorem cumulatissime rependit bona, sicut saepius, sive per se sive per apostolos pollicitus est :

1. « Liberi a peccato, servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione... finem vero vitam aeternam. » R. 6, 22 ;
2. pauperibus repromittitur regnum coeleste ;
3. mites recipient mercedem copiosam in coelis, ac etiam in vita praesenti ;
4. humilibus conceditur specialissimus Dei favor. Ipsi Christo propter praeviam humiliationem collata est exaltatio.

Christus summam sustinuit humiliationem et tribulationem, « atque in dextera Dei sedet. » « Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum. » Heb. 2, 9. Pariter, docente Apostolo. « Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam. » R. 8, 18.

236. Puncta quaedam doctrinae paulinae.

« Non est secundum hominem crucem portare, crucem amare... sed si in Deo confidis, dabitur tibi fortitudo de coelo. » De Imit. Christi. 1 c. 12.

1. « Quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui : « ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » R. 8, 29.

2. « Si autem filii, et haeredes : haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. » R. 8, 17.

« Si commortui sumus, et convivemus : »

« Si sustinebimus et conregnabimus. » 2 T. 2, 11. 12.

3. « Ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus. »

« Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul et resurrectionis erimus. » R. 6, 5. 8.

4. « Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita vestra ; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. » Col. 3, 3-4.

5. « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. » 1 C. 15, 19.

6. « Cum mortale hoc (corruptibile, infirmum, ignobile) induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : absorpta est mors in victoria. » 1 C. 15, 54.

7. « Stabiles estote et immobiles ; » « scientes quod labor vester non est inanis in Domino. » ib. 58.

237. S. Paulus magnus crucis praedicator.

« Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. » 1 C. 2, 2.

I. *Invitatio.*

« Sicut portavimus imaginem terreni hominis, porte-

mus et *imaginem coelestis.* » 1 C. 15, 49. Similiter S. Petrus : « Christus passus est pro nobis, vobis *relinquens* e*xemplum*, ut sequamini vestigia ejus. » 1. P. 2, 21. Item S. Paulus : « Vetus homo noster simul crucifixus est, *ut destruatur* corpus peccati, et ultra *non serviamus peccato.* » R. 6, 6.

II. *Exhortatio.*

« Exhibete *vos* Deo, tanquam ex mortuis viventes. » ib. 13.

« Exhibete *membra* vestra servire justitiae in sanctificationem. » ib 19.

« Obsecro vos.. ut exhibeatis *corpora vestra hostiam viventem*, sanctam, Deo placentem. » ib 12, 1.

« Et nolite conformari huic saeculo. » ib. 2.

III. *Exemplum.*

« Semper *mortificationem Jesu* in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. » 2 C. 4, 10.

« *Christo* confixus sum cruci. » Gal. 2, 19.

« Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me *Christus.* » ib. 20.

« Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Gal. 6, 14.

« Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » ib. 6, 17.

238. Examen circa sui abnegationem.

1. An *mane*, audito signo, absque morula e lectulo surgo ?

Dum vestes induo, an cohibeo imginationem, eamque dirigo ad pias convenientesque cogitationes ?

An *vespere* cubitum eo hora debita sine dilatione ?

2. An regulis domesticis, superiorumve praeceptis, *incunctanter* obedio ?

An *aequalem* praesto obedientiam tum in iis quae mihi placent, tum in iis quae displicent ?

3. An *studiis* operam assiduam navo ? i. e.

a. ordinate, non pro mero lubitu, vel animi praesente dispositione, sed secundum ordinationem illam, quam rei natura postulat, vel ordo domus, vel specialis magistri directio determinaverit, vel consuluerit ?

b. continuo, i. e. integro studiorum spatio sacris incumbendo disciplinis, attenta mente, et indefesso labore ?

c. constanter. i. e. renitente etiam inclinatione ?

An tempus meum omne, sive studii sive recreationis utiliter impendo ?

4. Ad *orationes* meas quod spectat : —

An animum ad orandum praeparo ? scilicet linguam silentio cohibendo, mentem diligenter colligendo ?

An defixa attentione orare incipio ?

An perseveranter hanc attentionem produco ? An renovo illam si forte vagata fuerit ? An illam decursu orationis augeo ?

An consuetas preces ignavia contraho vel omitto ?

239. Exercitium sui abnegationis.

Corde amplectamur dictum Dominicum : « Jugum meum suave est, et onus meum leve. » M. 11. 30.

---

1. Sui abnegatio mundo magna ex parte *ignota* est et *contemptibilis* ; in disciplina vero Salvatoris nihil potius habetur.

De quo ex praedicatione Christiana haec generatim animadvertantur : —

« Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. » 1 C. 1, 21.

« Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sit sapiens. » 1 C. 3. 18

« Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. » Sap. 5, 3. 5.

II. Sui-abnegatio 1. veram dat *libertatem*, et facit hominem Deo *subditum* ;
2. *tessera* est veri Christiani ;
3. Deo gratissimas *hostias* praestat.

III. Fac ut tui-abnegatio *constans* sit ; et ne dedigneris etiam in *minimis* illam exercere.

IV. Haecce materies utilissima et maxime obvia circa quam quis virtutem sui-abnegationis exercere poterit: —
1. *peccata*, sive gravia sive levia ;
2. *motus concupiscentiae* in malum tendentes ;
3. *ignavia*, *otiositas*, *pigritia* ;
4. peccandi quaelibet *pericula* ;
5. defectus, et negligentiae ;
6. id quod est « *mera delectatio* ; »
7. delectatio quae virum ecclesiasticum minus vel nullatenus decet : delectatio non necessaria : delectatio inutilis.

240 Examen circa mortificationem sensuum.

Monitum dignum ut bene perpendatur : « Ascendit mors per fenestras. » Jer. 9, 21.

I. *Quoad oculos* : —

Sat notum est, heu ! quot per oculorum aspectum capti sint amore illicito sexus oppositi. Quot inde cogitationes malae et vanae obortae sint. Quantum ex levi rerum omnium aspectu distractionis et dissipationis.

An oculorum tuorum fenestras contra omnem oppositi sexus aspectum morosum occludis ?

An ab imagine quavis immodesta oculos prompte avertis ?

An curiose, inconsiderate, leviter, et sine ratione quaclibet aspicis, sive personas, quae huc illucque transeunt, sive res, et quae sunt et quae geruntur ?

2. *Quoad aures :* —

An absque ratione conveniente de aliorum gestis dictisve audire cupis ?

An detractoribus libenter aures praebes ?

An sociorum obmurmurationibus intendis ?

An laudationes tui, aut aliorum vilipensiones grate recipis ?

An cantilenis, vel versibus, vel musica molli, sinis robur animi et sensus tui debilitari ?

3. An generatim, et tanquam ex principio agendi, commoda et quod placet *quatenus placet* prosequeris ?

4. Circa quaesita superius enunciata petas a Deo —

a. lumen ut proprias valeas cernere imperfectiones :

b. desiderium eas imperfectiones evellendi :

c. robur ad opus disciplinae hujus incipiendum et complendum.

241. Examen aliud.

i. « Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. » Phil. 4, 5.

ii. Pete honorabilem illam modestiam, quae decet virum ecclesiasticum.

---

1. Mores vel pedetentim evolvere et perficere opus leve non est, in quo occasio multiplicis sui-abnegationis praebetur.

« Disciplinam doce me Domine. »

2. Omnes, qui agrestes non sunt, mores rite compositos et decoros admirari solent ; neque sensus communis alios mores unquam in iis toleraret, qui in munere excelso constituti sunt. Quanto magis norma modestiae valet de ministro Christi, qui ceterorum hominum institutor est deputatus. Attente igitur teipsum examina.

3. An festinanter nimis et impetuose incedis ?

An cum strepitu et absque aliorum consideratione per domum transis ?

An negligenter, remisse, otiose in sedibus vel in scamnis[1] reclinas, vel cubas ? « Animus in corporis gestu apparet... incessus tuus non habeat imagines levitatis, nec offendat oculos alterius. » S. Bern.

4. An vestes vel pileum modo geris incomposito ? an motus omnes et gestus ejusmodi sunt, qui praeseferant dignitatem status tui, et apud omnes aedificationem pariant ?

Si loquendum sit, an memineris modestiae, et gravitatis illius, quae convenit juveni ecclesiastico, qui ad summam dignitatem ministri Dei brevi cupit evehi ?

5. An vultus tuus serenus et hilaris ?

6. *Ecquandone* per sanctuarium vel alias ecclesiae partes curris ?

An rite semper genua flectis ? an reclinas super stalla vel scamna ?

An modo incomposito tenes manus tuas, ut potius requiem quaerere videaris quam orationem ?

An in praesentia sanctissimi Sacramenti crura divaricas, vel unum pedem alteri superimponis ?

7. An ob honorem divini cultus debitam semper facis praeparationem ad functiones ecclesiasticas, ut omnis aspectus tuus et vestes praeseferant nitorem, qui convenit cultui divinae majestatis ?

242. De amore proprio.

i. « Erunt homines seipsos amantes. » 2 T. 3, 2.

ii. Pete animi magnitudinem, ut omnia secundum valorem et ordinem rectum semper quaeras.

I. Sui amor bona propter se sibi quaerit ; mala fugit, pariter propter se. Quae facit amator sui, in commodum suum facit ; suis anhelat voluptatibus. Nullam habet rationem Dei gloriae, vel beneplaciti sociorum, vel alius finis honesti. Quaerit laudem, honorem, praestantiam super alios, cibos exquisitiores, commoda vitae, supellectile pretiosum. « Sicut civitatem coelestem aedificat amor Dei usque ad contemptum sui, ita civitatem terrestrem, cui diabolus dominatur, aedificat amor sui usque ad contemptum Dei. » S. Aug. De civ. Dei, I. 1.

II. Ex ejus *opposito* vultus deformis hujus vitii vividius percipitur. Amor itaque ordinatus generosus est, paratus est ad sui sacrificium, operatur absque intuitu boni sui particularis, non recusat agere heroica propter Deum vel proximum, affectu verecundus est, ad sublimiora tendit.

III. Homo sui cupidus *omnia ad se* vertit, vetita ad delectationem, licita ad commodum vel complacentiam. In oratione quaerit dulcedinem, in studiis delectationem curiositatis, vel ingenii ostensionem, vel honores academicos, vel emolumenta. In verbi Dei praedicatione famam quaerit vel lucrum, in cibis delectationem gustus, in societate aliorum suam manifestationem et gloriolam.

IV. Amor sui verissime dicitur *radix omnium peccatorum*. Ita juvenis indisciplinatus, cujus voluntati parentes continuo et insipienter indulserint, incapax est cujuslibet operis magni.

V. Recogita etiam quod cultor amoris proprii Deo quidem servire velit, sed *sibi reservat idola* quaedam privata. Sicut in aliis avaritia est simulacrorum servitus, in aliis Deus venter est, ita in sui amatoribus generatim verum est quod dixit Ezechiel : « Dixisti, Deus et ego sum... et dedisti cor tuum quasi cor Dei. » 28, 2.

VI. Praefige tibi *rectum agendi finem*, memor illius, quod « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » Prov. 16, 4.

Adimple mandatum S. Patriarchae : « Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt. » Gen. 35, 2.

243. De amore proprio (2) [1].

Et erunt homines seipsos amantes Non desunt nimirum, qui se ipsos ament sine recto fine, vel ordine; se suumque commodum et delectationem pro fine habent. Hic amor charitati sive Dei sive proximi e diametro adversatur. Unde Augustinus docet amorem sui non esse amorem sed odium sui, quia privat hominem proprio suo bono, et divertit eum a proprio fine. « Qui seipsum et non Deum amat, non se amat ; quisquis Deum, non se ipsum amat, ipse se amat. » Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se.» Tract. in Joan., tr. 123. M. 3, 1968.

Ergo diligamus Deum de quo vivimus,non diligendo nosmetipsos de quibus morimur. Tract. in Joan. c. 123).

cupidi, (pecuniae, possessionum amatores)

elati, (se magni aestimantes, sese extollentes) aliorum bona vel commoda non attendentes)

sine affectione, (intra seipsos veluti reclusi, sensum humanitatis et misericordiae erga alios non nutriunt, immo forte non habent)

sine pace, (quia timent amittere commoda, quae adepti sunt, vel tristantur de iis quae non potuerunt assequi)

incontinentes,(se quaerunt et praesertim in appetitionibus vehementioribus gulae, irae, luxuriae)

sine benignitate, (vel non diligentes bonos (bona enim aliorum non percipiunt, neque curant), ita ad alios suaviter se flectere haud valent)

voluptatum amatores magis quam Dei : (Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ Φιλόθεοι)

habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (Radices enim pietatis verae humilitas, charitas, bona intentio, sui abnegatio).

---

1. Instructio ex S. Paulo 2 T. 3, 2. Secundum comm. Corn. a Lapide

244. De actibus amoris proprii (1) [1]

Ejusmodi actus sunt —

1. *Nimis se aestimare :* sibi videlicet in omnibus fere complacere, defectus extenuare, labores exaggerare, propriae sententiae in omnibus pertinaciter adhaerere, eamque aliis arroganter velle imponere, quod recte egerit sibi occulto quodam sensu semper persuadere, illudque sibi attribuere ac si sui et non Dei esset.

2. *Velle ab hominibus* (non quidem propter Deum sed propter seipsum) *amari*, timeri, observantia coli, laudari.

3. *Timere vilipensionem* propriam ea sola ratione quia sibi noxia esse videatur. Hinc animi dejectio, tristitia, pusillanimitas. « Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. » Is. 51, 7.

4. Insipienti erubescentia de naturalibus quibusdam *defectibus* contristari, quales essent, deformitas aliqua corporis, vinculum linguae, raucitas vocis, natalium obscuritas, ingenii hebetudo, muneris parvitas, morum rusticitas. De quovis sane peccato, erubescendum, sed de naturali defectu, qui, Deo disponente vel permittente, accidit, nullum admitte pudorem.

5. Defectus et culpas *occultare* eo solo fine, ut hominum honores et plausus aucupentur.

6. Immoderata cura polire et perficere opera, quae visuri sunt homines, et e contrario lugenda incuria uti in iis quae solus Deus visurus est et probaturus.

---

1. Secundum Alvarez de Paz. II, p. iii, c. 6.

245. De actibus amoris proprii (2) [1]

Inter actus amoris proprii merito recensentur —

1. *Desideria* : —
   a corporearum delectationum, sive honestae sint, sive inhonestae, cujusmodi sunt gula, pigritia ;
   b. honoris, laudis, praelationis super alios. Pariter tristari cum judicium tuum non ab omnibus probatum fuerit.

2. *Amores* : —
   a. mundi, mundanorumque ;
   b. amor immoderatus personarum, parentum nempe, cognatorum, amicorum ;
   c amor nimis defixus in propria opera, occupationes, officia.

3. *Amaritudines* : —
   a. quia desiderium sive opus aliquod scopum suum non attigerit (v. g. quoad appetitum laudis, commendationis, favoris, promotionis, vel felicis exitus negotiorum) ;
   b. propter invidiam ob perspectam aliorum excellentiam quamlibet in pietate, scientia, peritia practica, vel in conditione sociali ;
   c. impatientia, sive murmuratio contra eos, qui nobis quomodocunque displicent : v. g. privando nos commodo quodam, denegando laudem, nos deputando ad munus humile.

---

1. Secundum Alvarez de Paz. II, p. iii. c. 4.

246. Media ad amorem proprium expellendum [1].

1. Ita de teipso diffidas, ut tamen Deum ad vincendum tibi certissime affuturum confidas.

2. Ora Deum assidue, ardenter, et confidenter, ut te a tuo proprio amore expediat, et soli divino amori ex toto submittat.

3. Ignem charitatis iteratis affectibus magis ac magis accende, qui ignem amoris tui ipsius et terrenarum cupiditatum extinguat.

4. In animo constitue, et in precibus matutinis propone fortiter te ad gloriam Dei non ad proprium commodum in omnibus esse acturum. Opera ex sese indifferentia Deo humiliter offeras oratione explicita. Bona opera tua Deo in secreto cordis offerre contende ; si quid coram aliis egeris quod in laudem tui cedat, gloriam soli Deo tribuendam statue firmiter.

5. Prosequere exercitationem sanctae tui-abnegationis, quo tibi sensibilia et praesentia bona adimas, ut invisibilia et aeterna conquiras.

6. Assuesce agnoscere et credere te non supra omnes eminere, sed potius infra omnes aut certe unum ex magna turba hominum existere, et nihil singulare te habere praesumas.

Conspice te quasi unum ex multis millibus, quos Deus, natura minstra, quotidie progignit. Quae enim tu cognoscis alii comprehendunt ; quae tu conaris, alii faciunt, et quo pertingere cupis, illi jam attigerunt. Mundus, veritas, gratia, virtus tibi cum aliis donantur a largitore universorum Deo.

1. 1. Secundum Alvarez de Paz. II, p. iii, c. 6.

247. Alia media ad amorem proprium expellendum.[1]

7. Ne singularem amorem, timorem, aut reverentiam alicujus erga te exigas, sed, sicut alii tractari concupiscas.

8. Immo contemptum confusionemve, qua (si humilis es) te dignissimum reputabis, ne refugias.

9. Defectus naturales, quibus culpa non subest, patienter, immo et libenter sustine, nec de illis coram hominibus erubescas.

10. Hominibus placere aut displicere pro nihilo ducito. Servus enim in obsequiis solum dominum suum respicit, illique tantum placere cupit; illi molestiam afferre metuit. Tu vero servus Dei es, non hominum.

11. Corpus in servitutem redige; sensus cohibe: passionibus acriter imperato.

12. Affectum erga homines, erga res quibus uteris, erga propinquos et amicos, et erga omnem rem creatam, si immoderatus sit et non propter Deum acceptus, animose comprimito.

13. Occupationes pias et bonas, non sine spiritus libertate suscipito.

14 Cor omni amaritudine (sive tristitiae, invidiae, impatientiae, sive scrupulositatis) liberum teneto.

Cor tranquillum, et quantum miseria hujus mortalis vitae patitur, imperturbatum habeto, nec adversis successibus frangi aut opprimi sinito. Non commodum proprium sed Dei beneplacitum exquiras, et sic Dei suavitate repleberis.

---

1 Secundum Alvarez de Paz. II, p. iii, c. 6.

248. De notione obedientiae.

i. « Et vocavit Dominus Samuel : qui respondens ait : Ecce ego. » 1 Reg. 3, 4.
ii. Obedientiae spiritum efflagita.

---

1. *Quid sit obedientia ?*
Est virtus moralis, quae efficit hominem promptum ad exequendum voluntatem superioris. Est igitur actus rationis, et liberae voluntatis. Voluntatem efficit alterius, et in agendo prompta est.

2. *Objectum* ejus est voluntas superioris sive expressa sive tacita. Voluntas enim superioris, quamvis levi tantum signo innotescens, quoddam praeceptum est ; ac tanto videtur obedientia promptior, quanto, voluntate superioris intellecta, expressum praeceptum praevenit. Unde quidam nec immerito inferre voluere, legem vere obedientibus non dari. Quod et verbis Angelici magistri confirmatur. « Voluntas enim superioris,quocunque modo innotescat,est quoddam tacitum praeceptum : et tanto videtur obedientia promptior quanto praeceptum expressum obediendo praevenit, voluntate (tamen) superioris intellecta. » 2, 2, q. 104, a. 2.

3. *Ratio* ejus in eo reperitur, quod sicut in rebus naturalibus vis inferior regitur a superiore, ita in societate humana, subditi esse debent, qui a voluntate superioris moventur. Hinc « tenentur subditi superiori obedire secundum rationem superioritatis. » S. Th. l. c. Ratio itaque obediendi est ipsa potestas superioris.
« Credas tibi salutare quidquid ille praeceperit ; nec

de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, et implere quae jussa sunt, dicente Moyse : Audi Israel, et tace. » S. Hier. Ep. 125, n. 15. M. 1, 1081.

4. *Specialis virtus* obedientiae versatur circa ipsum formale superioris praeceptum, qua tale, implendum: licet id quod quis exequitur ad quamlibet virtutis speciem pertinere possit.

5. Opus fit *meriti specialis* quatenus quis renuntiat voluntatem propriam, ut sequatur voluntatem superioris legitime dirigentis ipsum ; et quo promptius ac perfectius arbitrium suum subjecerit directioni ejus cujus est ipsum dirigere, eo magis meritorius est actus.

6. Solius Dei est imperare voluntati humanae ; obedientia ergo nequit nisi praestari erga illum, qui revera insignitus est potestate a Deo legitime derivata. « Non est enim potestas nisi a Deo. » R. 13, 1.

249. De notione obedientiae (2).

i. « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me » J. 4, 34.

ii. Humili prece ora Magistrum intelligentiam hujus virtutis.

I. Obedire debemus in iis, quae jam Dei lege sancita sunt, et quae spectant ad diversas virtutes : v. g. non laedere famam proximi, vel Missam audire certis diebus. In his autem si quis intenderit obtemperare praecepto qua manifestativo divinae potestatis legiferae, actibus suis addit speciale meritum obedientiae stricte dictae.

II. Circa alia quae de praecepto divino non sunt (neque immediate neque mediate), et quae per se sunt indifferentia, si non exequimur superioris mandatum, inobe-

dientes sumus, quamquam ordinarie et per se delicti non culpabiles. Hujus porro obedientiae plures merito numerantur gradus : —

1. *Obedientia materialis.* Contingit quidem nonnunquam mandata istiusmodi exequi quae nobis placent et *quia placent*. Hoc vero non est obedientia, nisi forte materialis ; deest enim illi propria ratio obedientiae, quae consistit in submissione ad voluntatem superioris qua talem.
2. *Obedientia manca.* Contingit etiam quod quis fideliter exequatur ea, quorum ratio est percepta et *quia est percepta*, et se commendat subdito. Heic iterum deficit obedientia, quia deest simplicitas, qua superioris praeceptum et non ejus ratio attenditur.
3. *Obedientia debilis.* Pariter obedire ea ratione, ut distinguatur inter superiores bonos et malos, doctos et indoctos, sapientes et insipientes, est contra rationem obedientiae. Etenim secundum Magistrum obediendum erat Scribis et Pharisaeis (M. 23, 3) ; et apostolus docet obediendum esse etiam infidelibus : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. » R. 13, 1.
4. *Obedientia vera* et genuina ea est, quae procedit ex reverentia, quae exhibet cultum et honorem superiori (S. Th. 2, 2, 104, a. 3, ad 1) ;
5. *Obedientia robusta.* Obedire porro contingit non infrequenter in iis, quae nobis displicent. Haec est obedientia praeclara, in qua eminet voluntatis conformatio ad voluntatem superioris.
6. *Obedientia magnanima*, qua quis obedit, juxta monitum apostoli, « dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. » 1 P. 2, 18.

250. De duplici obedientiae ratione.

i. « Et erat subditus illis. » L. 2, 52.
ii. Pete amplissimum obedientiae sensum.

I. Obedientia *generalis* exequitur mandata Dei vel superioris propter motivum : —

1. *religiosi cultus divinae majestati debiti :* « Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis. » Deut. 6, 13.
   (Actus elicias cultus Dei.)
2. *observantiae religiosae* :
   a. erga Summum Pontificem, Jesu Christi Vicarium, cui in praedecessore dictum est : « Pasce agnos meos, pasce oves meas. » J. 21, 15-17.
   b. erga Episcopum proprium. « De ipso (seminaristae) nonnisi filiali reverentia loquantur, ejusque praeceptis non solum, verum etiam votis et consiliis, obtemperent libenter, et sine murmuratione. » (Ex Syn. Prov. West. IV, Decr. ix). An fidelis es illi ? An amas ut patrem ? An oras pro eo ? Audite haec monita apostolica. Episcopis dictum est : — « Pascite qui in vobis est gregem Dei. » 1 P. 5, 2.
   Et omnibus fidelibus dicit S. Paulus : « Obedite praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Heb. 13, 17.
3. *observantiae civilis* ob altitudinem potestatis reipublicae. Ait Dominus : « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari : » M. 22, 21.
   Et Apostolus : « Obsecro.. fieri orationes.. pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut

quietam et tranquillam vitam agamus : » 1 Tim. 2, 2.

4. *pietatis* erga parentes ob originis debitum insigne.

« In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum. » Eccli. 3, 9. « Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius : et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua : » ib. 14.

An revereris parentes ? An oras pro eis, sive vivis sive defunctis ?

II. Obedientia *specialis*, qua quis obedit cujusvis superioris praecepto, quia subjacet voluntati illius.

An ob oculos habeas propriam rationem obedientiae, ut nempe adimpleas voluntatem alterius et non tuam ?

Memor sis verbi Domini : — « Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » J. 5, 30.

251. De excellentia obedientiae.

i. « Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » J. 6, 38.

ii. Efflagita verum obedientiae spiritum.

—

I. Vir obediens praestat Deo *holocaustum* acceptabile. « Per se loquendo, laudabilior est obedientiae virtus, quae propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliae virtutes morales, quae propter Deum alia bona contemnunt. » 2, 2, q. 104, a. 3.

« Nihil majus potest homo dare Deo, quam quod propriam voluntatem propter illum voluntati alterius subjiciat. » 2, 2, q. 186, a. 5 ad 5. Idem S. Gregorius : « Obedientia quippe victimis jure praeponitur : quia

per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia, gladio praecepti se immolat. » Mor. ult. n. 28. Vol. I, 1155.

II. « Sola virtus est obedientia, quae virtutes caeteras *menti inserit*, insertasque custodit. » ib. Efficit sane obedientia ut melius et facilius exhibeantur ea, quae ceteris virtutibus sunt praestanda.

III. Specialem *splendorem* addit actibus, qui per se indifferentes sunt, v. g. manducare, bibere, ambulare, dormire, recreationem sumere.

IV. Per obedientiam facilius et efficacius *hostes* nostros *superamus*. « Vir obediens loquetur victoriam. » Prov. 21, 28; cujus exemplum habes in eo, qui docilis se submittit sagaci directori instituendum. « Cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Ceteris quidem virtutibus daemones impugnamus, sed per obedientiam vincimus. » S. Greg. in 1 Reg. IV. c. iv, n. 21.

V. Per obedientiam accipimus *jugum Domini*. Per obedientiam maxime disciplinam Domini portamus. « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Thren. 3, 27.

VI. Pax et ordo domus, quae dotes divinae sunt, obedientia obtinentur.

252. Obedientiae dos insignis.

i. « Haec enim omnia propter mandatum Dei fiunt. » Eccl. 35, 7.
ii. Deum pie roga, ut det tibi obedientiam virilem.

In obedientiae virtute super omnia praestat illud, quod vir obediens pareat *Deo jubenti* per vocem superioris.

1. « Non est potestas nisi a *Deo* : quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. » R. 13, 1.

2. « Obedite praepositis vestris : et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Heb. 13, 17.

3. « Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut *Domino* et non hominibus. » Col. 3, 23.

4. « Subjecti igitur omni humanae creaturae *propter Deum*, sive regi... sive ducibus. » 1 P. 2, 13. 14.

5. « Qui resistit potestati, *Dei ordinationi* resistit.. Dei enim minister est tibi in bonum. » R. 13, 2. 4.

6. « Praepositum timeas ut dominum, diligas ut parentem. » S. Hier. Ep. 125, n. 15. M. I, 1081.

7. « Sive enim Deus, sive homo vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit ; pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non praecipit homo. » S. Bern. De praecepto et disp. c. 9. I, 1186.

An soles secundum hanc fidei doctrinam respicere regulae tuae instituta, decreta Episcopi dioecesani, ceterorumque praecepta superiorum ?

253. Voces sacrae.

i. « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. » Phil. 2. 8.

ii. Supplex obsecra donum obedientiae secundum Deum.

Saepissime in sacris eloquiis meritum obedientiae commendatur : haec autem nunc pensentur.

I. *Excellentia ejus.* « Melior est enim obedientia quam victimae : et auscultare magis quam offerre adipem arietum. » 1 Reg. 15, 22.

Quousque vita tua praesens ordinatur secundum regulas domus communes, et speciales directiones superiorum tuorum ?

Quanta porro docilitate sinis ut actiones tuae dirigantur secundum Constitutionis normam, quae eo unice spectat ut in te formetur Christus, et ut officia tua, sive socialia, sive academica, sive spiritualia quam expedite et perfecte exequi valeas ?

II. *Utilitas ejus.*

« Si volueris mandata servare, conservabunt te » Eccli. 15, 16.

« Deum time, et mandata ejus observa : hoc enim est omnis homo. » Eccl. 12, 13.

Quoad *correctionem* :

« Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me. » Ps. 140, 5.

An soles forsan considerare magis ideas tuas propriias, vel rei cujusdam gravitatem intrinsecam, quam actualem regulae admonitionem, vel superioris praeceptum, seu cognitam voluntatem ?

III. *Qui obedit non errat.* Ratio est quia voluntas superi-

oris est signum tibi voluntatis Dei. Dei enim voluntas est ut a ministris dirigamur ad vitae perfectionem. In munere superioris, superior agit vices Dei. Nobis est in loco Dei. Nobis interpretatur Dei beneplacitum.

254. De proprietatibus obedientiae.

i. Recogita illud angeli monitum : « Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. » M. 1, 20.

ii. Instanter petas obedientiam simplicem.

I. Obedientia debet esse *universalis*.

1. Deo profecto in omnibus est obediendum absolute. « Sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur divinae motioni, ita quadam necessitate justitiae omnes voluntates tenentur obedire divinae motioni. » 2, 2, 104, a. 4.

2. Quoad hominem ; nisi evidenter malum jubeatur, vel superior limites potestatis suae manifeste excedit, illi semper est simpliciter obediendum. Hinc apostolicum monitum : « Filii, obedite parentibus per omnia. » Col. 3, 20. Si enim quis inter praecepta seligeret quaenam observanda, quaenam contra negligenda, profecto secundum superioris voluntatem non obediret.

II. Obedientia debet esse *voluntaria*, qua nimirum subditus voluntatem suam conformat voluntati superioris. Cujus obedientiae nobile exemplum reliquit nobis Christus ; potuit enim dicere : « Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. » J. 4, 34.

III. *Simplex* etiam esse debet, quo et ipsum judicium subditi conformatur judicio superioris. Hujusmodi fuit

obedientia Abrahae, quando Dominus vocavit eum, et quando postea jussit eum occidere filium suum Isaac. Talis etiam fuit obedientia apostolorum, vocante eos Christo.

IV. *Hilaris* esse debet secundum principium positum a S. Paulo: « Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. » 2 C 9, 7. Opus autem obedientiae doni rationem habet. Unde ait S. Bernardus : « Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Quis enim locus obedientiae, ubi tristitiae cernitur aegritudo ? » Sermo xli, n. 6. II, 2452.

Cui sententiae congruit monitum Constitutionis nostrae : « Regula externa parum prodest, nisi libenter et hilari animo a discipulis accipiatur et observetur. »

V. *Prompta* est, seu, ut aiunt, velox et sine mora. « Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, *dicto obedire*, ad omne opus bonum paratos esse. » Tit. 3, 1.

VI. *Virilis* tandem est et constans. « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. » Ps 30, 25.

255. Fructus obedientiae.

i. « Obedite praepositis vestris... Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Heb. 13, 17.

ii. « Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » J. 6, 38.

iii. Efflagita docilitatem quae decet discipulum Christi.

I. Mater est et custos virtutum. « Sola virtus est obedientia, quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. » S. Greg. Mor. c. xiv, n. 28. Illud profecto in Seminario conspicitur, quia huc veniunt alumni ut virtutes doceantur, et ut disciplina et monitis ad propriam sui status perfectionem deducantur. Illud non minus constat in opere pastorali ; omnes enim ibi existunt in plena dependentia a summo pastore, et juniores omnes cum omnimodo dependentia a superiore suo immediato.

II « Vir obediens loquetur victoriam. » Prov. 21, 28.
Quod cernitur : —
1. in iis qui se dirigendos superioribus subdunt ;
2. ex singulari emolumento quod capitur a poenitente, qui se humiliter confessori submittit ;
3. ex eo quod Deus voluit mundum hierarchice gubernari ;
4. ex illo palmari dicto: « Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ; ita per unius obedientiam justi constituti sunt multi. » R. 5, 19.

III. Ad veram ducit sapientiam.
« A mandatis tuis intellexi. » Ps. 118, 104.
« Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. » Prov. 1, 8. 9.
« Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua : inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam » Ib. 2, 1. 2.
« Altiora te ne quaesieris... sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper. » Eccli. 3, 22.

IV. Merita maxima. Ad Abraham dictum est : » Noli timere.. ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. » Gen. 15, 1.
De sacrificio Isaac. Gen. 22, 16, 17 ; de beata Virgine. L. 1, 38 ; de Christo Phil. 2, 8, 9.

256. Norma obediendi.

i. « Et erat subditus illis. » L. 2, 51.
« Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam. » Heb. 5, 8.
ii. Postules spiritum Christi.

In obedientia praestanda haec summopere clerico attendenda :

I. *Subjectio.* « Imprimis igitur necesse est ut alumni (et quidem omnes)
1. libenti et prompto animo superioribus et magistris suis se subjiciant ; »
2. magna reverentia eos prosequantur ; »
3. discant quid sit « dicto obedire. »

« Obedientia » ait S. Thomas, « procedit ex reverentia, quae exhibet cultum et honorem superiori. » 2, 2, 104, 3 ad 1.

« Discant (juvenes) mature venerationis et dependentiae sensa, quae omnibus exhibenda sunt, tam *superioribus* Seminarii, quam *rectoribus* missionum, necnon sacerdotibus *senioribus*, quibus mox cooperatores mittendi erunt. » Syn. Prov. West. IV, Decr. ix, n. 12.

II. *Officia.* Communia mandata Regulae, vel, v. g. statutorum dioecesanorum.

« Exercitia tam scholastica quam alia ipsis imposita, alacri animo suscipiant. »

III. *Modus.* « Regulas disciplinae.. fideliter servabunt non quasi servi ad oculos, sed tanquam Deo in omnibus obedientes. »

« In simplicitate cordis vestri, sicut Christo. » Eph. 6, 5.
« Non ad oculum servientes, quasi hominibus

placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. » Col. 3, 22.

IV. *Finis.* 1. « Amorem enim disciplinae etiam in minimis multum conferre ad sanctificationem propriam, inter omnes constat. »

2. « Memores sint Seminaristae praeclari illius dicti S. Gregorii magni : « Qui regulae vivit, Deo vivit. »

V. *Necessitas.* Ut igitur « altitudo vocationis ecclesiasticae, et officia (obedientiae) quae inde defluunt, ob oculos omnium continuo versentur, » decretum est, « ut norma vivendi Seminaristarum » in Refectorio ter in anno legatur.

257. De actibus obedientiae.

i. In memoriam revocemus promptitudinem et fiduciam pueri Samuelis. 1 Reg. 3.

ii. Ex corde repetamus cum Samuele : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » ib. 10.

iii. In decursu hujus considerationis frequentes actus submissionis et humiliationis eliciamus.

Actus viri obedientis sunt isti : —

1. Velociter, viriliter, humiliter, et indesinenter obedire.

2. Libenter jussa aggredi, quae voluntati nostrae contraria sunt.

3 Non bonis tantum et affabilibus, sed etiam dyscolis obtemperare ; nec summis dumtaxat, sed infimis etiam et abjectis.

4. Obedire, quamvis res, quae praecipitur, dura, difficilis, et supra vires esse videatur.

5. Voluntati superioris se accommodare, tametsi nihil jubeat, ejusque beneplacitum in omnibus sequi.

6. In omni actu obedientiae, interiorem voluntatis affectionem et judicii consensionem cum opere externo conjungere, idque cum amore et studio animi, et cum gaudio spirituali, ita ut obedientia nostra sit : —
   a. integra ;
   b. expedita, et velox : « Fidelis obediens nescit moras.» S. Bern.
   c. humilis, fortis : « Vera namque obedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit : quia qui omne vitae suae judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur, operatur. Nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire : quia hoc tantum bonum putat, si praeceptis obediat. » S. Greg. in 1 Reg. c. 3, vv. 4-9, n. 11, Vol. III, p. 100.
   d. sine fictione, sine excusationibus, vel murmurationibus ;
   e. constans et perseverans. « Incipere multorum est ; perseverantia paucorum. » S. Bern. Sermo 41, n. 10. II, 2454.

258. De regula seminaristae.

Quemadmodum populo necessarium est ut semper ob oculos retineat legem mandatorum, ita seminaristae opus est ut in conspectu suo servet indesinenter regulam, qua vita sua in Deum sapienter disponitur.

Primum omnium itaque monitum hoc practicum animo volvas : singulorum deinde verborum sensum perpende.

« *Prae oculis semper habendum regulam externam profectui in virtutibus parum prodesse, nisi libenter et hilari animo a discipulis accipiatur et observetur, ut non sint servientes oculis, sed placentes Deo ex corde puro.* » Conc. Prov. Westm. IV, Decr. ix, ix, n. 18.

Prae oculis semper habendum (diuturnum ac perenne officium praenuntiatur)

regulam externam (« Dominus autem intuetur cor. » 1 Reg. 16, 7. Constitutio quidem domus alumnos crebro hortatur ad vitam interiorem, at regula per se unice respicit actus externos, qui omnes poni possunt materialiter, et sine ullo sensu religioso.)

profectui in virtutibus parum prodesse,(Advertatur sedulo istud « *profectui.* » Scopus enim regulae in eo est ut mos, et indoles, et natura quidem nova pedetentim in alumni efformetur.)

nisi libenter (i. e. conformitate voluntatis subditi cum voluntate superioris, ut obedientia praestetur absque morula, resistentia, vel judicio contrario)

et hilari animo (« Hilarem enim datorem diligit Deus. » 2 C. 9, 7. « In omni dato hilarem fac vultum tuum. » Eccl. 35, 11.)

a discipulis (qui, quod notare inutile non erit, a discendo nominantur)

accipiatur (Verbum Domini recolatur : « Tollite jugum meum super vos. » M. 11, 29. Sume igitur jugum libenter, illud deosculare ut certum medium divinae voluntatis implendae. « Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Thren 3, 27.

et observetur, (prompte, exacte, integre)

ut non sint servientes oculis, (Etenim servile plane esset regulam servare quia aspicit superior, et viro magnanimo indignum, ac spiritui religioso evidenter repugnans.

sed placentes Deo (« Ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes. » Col. 1, 10)

ex corde puro (quod admixtos non habet fines mundanos, vel quod suis commodis non prospicit, sed soli virtutis bono.)

259. Examen circa obedientiam. [1].

i. Recogitabo obedientiam S. Pauli. « Et tremens ac stupens dixit : « Domine, quid me vis facere ? Et Dominus ad eum : Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. » Act. 9, 6. 7.

ii. Mecum statuam obedientiam Apostoli imitari.

I. Circa *fundamentum*, quod superior sit nobis loco Dei.

An hoc revera firmiter teneo ?

An hunc affectum internum exteriori observantiae addo ?

An superiorem suscipio tanquam Dei vicarium et interpretem ?

An in illo Christum Dominum amo, veneror, audio ?

II. Quoad *occasiones* obediendi.

An expresso praecepto legitimi superioris parere unquam recuso ?

An ejusdem voluntatem notam, licet tacitam, subsequor ?

III. Quoad *indicia obedientiae perfectae.*

An obedio cum amore ?

An obedio ut obediam, et non quia, quod imperatur per se mihi placet sive jucundum est ?

---

1. Secundum Morotium. Cursus Vitae. Sp. II, c. VII, n. 7.

An obedio simpliciter ? Nescit enim judicare, qui perfecte didicit obedire.
An prompte ac velociter mandata adimpleo ?
An obedire differo ? An procrastino ?
An eadem promptitudine, eodem sensu et gaudio jussa exsequor dura, difficilia, indoli meae repugnantia, ac si facilia, grata, et jucunda forent ?

260. De tentatione.

i. Mente reproducas eventus tentationis Domini nostri Jesu Christi.
ii. Ad exemplum Christi ferventer ora : « et ne nos inducas in tentationem. »

1. Tentatio est *experimentum* captum de viribus nostris. Impugnatio est qua quis ad malum allicitur, cui succedit resistentia seu conflictus.

2. *Finis* ejus est probatio virtutis : « ut palam fiat utrum diligatis Dominum, an non, in toto corde. » Deut. 13, 3.

3. *Causa* tentationis erit —
   a. externa : —
      α. *diabolus* : « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit. » 1 P. 5, 8.
         « Ab insidiis diaboli, libera nos Domine. »
      β. *mundus* : « Mundus totus in maligno positus est. » 1 J. 5, 19.
         (In mundo sunt : — homines a Deo remoti et in malis immersi ; res quae desideria cordis nostri a coelestibus aptae sunt avertere ; principia quae, Deo et vita futura neglectis, hanc solam vitam, ejusque commoda et voluptates agnoscunt ; dis-

tractiones, quae mentem implent et penitus occupant ; dissipatio, qua homo effunditur in occupationes terrenas, ac materiales, ita ut cor ascendere ad spiritualia non valeat ; vanitas, quia quidquid in mundo transitorium ; exempla vitiosa, quoquoversus patescentia et undique timenda,)

b. interna, i. e. *caro* propria : —

« Corpus quod corrumpitur aggravat animam. » Sap. 9, 15. Appetitus concupiscibilis dulcia sibi, sive recta sive prava vehementer desiderat. Appetitus porro irascibilis adeo facile incenditur, ut « sensus et cogitatio in malum prona » dicantur. Gen. 8, 21.

261. De tentatione metuenda. (Eccli. 2, 1.)

i. « Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? « L. 24, 26.

ii. A Christo victore constantiam petas.

Fili (En, affectu paterno me respicit Spiritus sanctus : eodem pariter me Christus in fratrem accepit.)

accedens (derelinquens mundana, et ad coelestia ardenter aspirans)

ad servitutem Dei, (Juvenis ecclesiasticus Deo servitutem praestat, dum mandata omnibus communia custodit, ac praeterea officiis suo statui propriis fungitur.)

sta (immobilis, constans ut vir unde unde provenerit sollicitatio ad malum)

in justitia, (tenens in omnibus via recta virtutis, tamquam unicum hujus vitae bonum verum),

et timore, (Nam sustinendum nobis est verum probationis periculum, secundum quod dicitur : « in metu et

tremore salutem vestram operamini » Phil. 2, 12; et « qui se existimat stare, videat ne cadat » 1 C. 10, 12. Nec victoria simus elati, nec adversis dejecti.)

et praepara animam tuam (expectando hostes et difficultates, animam communiendo virtutibus et exercitatione [« accipite armaturam Dei. » Eph. 6, 13] invigilando [« omnibus dico : Vigilate. » M. 13, 37]

ad tentationem (quia —

1. qui accedit ad servitium Dei, a diabolo recedit, qui invidia singulari cupit eum destruere et devorare ; hinc dicitur: « escae diaboli electi sunt. »
2. homo tunc serio cum concupiscentia et habitibus pravis dimicare incipit ;
3. pro electis paratur probatio specialior qua exercentur ut roborentur, probantur ut perficiantur, tentantur ut appareat utrum digni sint; perficiuntur tandem, additis gratiis ;
4. viam tribulationis et tentationis inivit et sacravit Magister noster Christus)

262. De tentatione superanda.

i. Respice Dominum in puppi navis dormientem.
ii. Robur supplex efflagita ad tentationibus resistendum.

I. Tentamur ut *nosmetipsos noscere* valeamus. Absente tentatione, arbitramur saepe nos fortes esse, pios, pacificos, humiles, et ferme perfectos ; accedente vero tentationum procella, veritatem de nobis persentire incipimus ; et sic per viam tentationum humiles evadimus.

Examinemus nimiam illam in nobis fiduciam, et

nostri complacentiam Beneficia tentationis agnoscamus. Robur instanter a Deo postulemus.

II. Complures tentationes *poena* sunt delictorum praecedentium, quod maxime verum est de culpis contra castitatem, humilitatem, pacem.

Statuamus igitur sine querela accipere poenam istam a divino legislatore irrogatam vel permissam. « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » 1 P. 5, 6.

III. Tentamur : —

1. quia « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Act. 14, 21.
2. quia « virtus in infirmitate perficitur. » 2 C. 12, 9.
3. quia Deus virum justum sibi charitate conjunctum percutit ut sanet, vulnerat ut roboret, affligit ut majus gloriae pondus attribuat : « Framea suscitare super virum cohaerentem mihi. » Zach. 13, 7.

« Ego quos amo arguo et castigo. » Ap. 3, 19.

« Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » Tob. 12, 13.

« Uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. » Zach. 13. 9.

263. De bono tentationum. [1].

i. « Vincenti dabo edere de ligno vitae. » Ap. 2, 7.
ii. Spiritum obsecra militis Christi.

I. *Profligantur hostes* : —

a. Dolosissimus Satanas, qui peccatum in mundum

---

1. Secundum Alvarez de Paz, Op. cit. I, iii, cc. 4 6.

induxit ; qui Salvatorem ipsum aggressus est, et sanctos plurimum atque crudeliter vexavit. Isti vigilanter, viriliter, indesinenter resistendum.

b. Mundus vanus et malus ; superatis enim tentationibus, resistitur peccatis, moribus, principiis, praeceptis mundanis, quae quovis modo Christi doctrinae refragantur.

c. Infensissima caro, quam fugere nequeo, sed quam debellare oportet : si quis vero obnititur tentationibus, diminuuntur vel debilitantur foetidae cogitationes, vel desideria, invidiae, iracundiae, motus, superbia. Fortius et vigilantius dimicare statue, et cum iis inducias pascisci noli.

II. *Insignis gloria* Deo redditur. Nam infirmus homo Dei gratia adjutus, confundit potestates tenebrarum. » «Invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. » Ps. 49, 15.

« Post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis » Tob. 3, 22.

III. *Coronari* meremur cum sanctis.

« Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna... ideo sunt ante thronum Dei. » Ap. 7, 14-15. Memento etiam quod lapides vivi urbis coelestis sculpantur « tunsione plurima. »

« Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. » Ap. 3, 21.

« Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus. » ib. 21. 7.

« Aliter Deus tentat, aliter diabolus. Diabolus tentat, ut subruat : Deus tentat, ut coronet. Denique probatos sibi tentat. Unde et David dicit : Proba me Deus, et tenta me. » S. Ambros. De Abraham, I, c. 8.

264. Auxilium in tentatione.

i. Respice Job a diabolo misere vexatum, et a divino praesidio munitum.

ii. Da, quaesumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia.

I. *Deus ipse* nobis robur immittit superandi omnes inimicos, qui animam impugnant. Deus enim qui constituit nos in stadio certaminis, prope est militibus suis, ne casu in pugna pereant.

« Cum ipso sum (ait Dominus) in tribulatione. » Ps. 90, 15.

« Ego ero ei murus ignis in circuitu.» Zach. 2, 5.

« Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. » Gen. 15, 1.

« Dominus adjutor in opportunitatibus, in tribulationibus. » Ps. 9, 10.

« Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. » Ps. 34, 1.

« Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? » Ps. 26, 1.

II. Potestas diaboli *cohibita* est et ligata, ne vexet nos plus quam sinat benignus Provisor : « Non patietur vos tentari supra id quod potestis » 1 C. 10, 13.

III. Pro nobis *Deus* adjutor est fortis. *Christus* nos gratia sua corroborat. *Salvator* qui redemit nos fratribus prospiciet, ne malum nimis aggravet. *Beata Virgo* pia sua intercessione clientes protegit et munit. *Angeli* custodiunt ; *sancti* nostri advocati validis nos adjuvant obsecrationibus, *superiores* consiliis, *socii* exemplo.

« Nolite timere, quia plures nobiscum sunt quam cum illis. » 4 Reg. 6, 16.

IV. Quia probatio est propter praemium, ideo quo fortior pugna et gravius periculum, eo splendidior merces et suavior victoriae triumphus.

V. « Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra ... quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. » 2 C. 1, 4-5.

265. De Dei adjutorio in tribulatione [1].

Cum ipso sum in tribulatione.

Quid sit tribulatio, nemo in hac vita diu ignorat. Sane tribulatio est id quod voluntati displicet, quod indoli naturali contraponitur, quod intentionem vel opera suscepta impedit, quod angit mentem, torquet spiritum, cruciat quemcunque corporis sensum.

Aliquid tribulationum est *onus commune* vitae hujus. Quisquis naturaliter rapitur ad felicitatem, et a quavis doloris specie abhorret; nihilominus nemo est, qui onus et tristitiam tribulationis devitet.

Quibus dictis audiatur S. Bernardus : —

« gloriemur in tribulatione, in ea siquidem spes gloriae est... Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur magis, ubi spes gloriae, ubi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloriae, imo et ipsa in tribulatione gloria continetur : sicut spes fructus in semine, sicut ipse fructus in semine est.. Est, inquam, sed absconditum est.

1. Secundum S. Bernardum in Psalmo Qui habitat. Sermo xvii, nn. 3, 4.

Felix, qui ibi invenerit illud. Quis ille ? Nempe qui messem magis cogitaverit, quam sementem...

Cum ipso sum in tribulatione, ait Deus : et ego aliud interim requiram quam tribulationem ?

Mihi adhaerere Deo bonum est : non solum autem, sed et ponere in Domino spem meam ; quia eripiam eum, inquit, et glorificabo eum.

Cum ipso sum in tribulatione. Deliciae, inquit, meae esse cum filiis hominum. Emmanuel, Nobiscum Deus. Ave, gratia plena, Dominus tecum. In plenitudine gratiae nobiscum est, in plenitudine gloriae erimus nos cum illo.

Descendit, ut prope sit his, qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra... Sit ille comes viae, qui patriae redditor est futurus...

Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi, Domine, in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in coelo.

Saevit ignis, sed Dominus nobis est in tribulatione. »

266. De fructu tentationum.

« Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri. » Ap. 12, 10.

Tentatio, licet in se bona non sit, tamen seminarium est bonorum ; nam : —

1. Experti discimus propriam imbecillitatem, propensionem ad indebita, et corruptionem. Alios pariter tentatos discimus compati.

« Qui non est tentatus, quid scit ? » Eccli. 34, 9.

2. Tentatio animam a pravis inclinationibus purgat, quatenus vir delectationes illicitas aliosve impetus malos strenue repellit ; tentatio insuper odium peccati parit, et jactantiam cohibet, quum ad frequentem orationem et peccati detestationem nos invitet, atque in solo Deo spem adjutorii nostri esse ponendam doceat.

3. Tentatio animam vigilem reddit, et ad pugnandam paratam; adeoque modicis et frequentibus tentationibus anima a magnis periculis servatur. Hinc dicere prorsus convenit : « Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti. » Ps. 89, 15. « tum quia dulciora sunt bona post experientiam malorum ; tum etiam quia patientia in malis haec nobis tanta bona promeruit... Itaque benedicimus dies illos et annos, qui nobis materiam patiendi praebuerunt, et Deo gratias agimus, qui nobis in tempore non pepercit, ut parceret in aeternum. » Bellarminus, in hunc l.

4. *Fiduciam* non in nobis,sed *in Deo* reponere addiscimus.
« Domine vim patior, responde pro me. » Is. 38, 14.
« Erue a framea, Deus, animam meam. » 21, 21.
« Domine, salva nos, perimus. » M. 8, 25.
« Fitque mira dispensatione pietatis, ut unde malignus hostis tentat, ut interimat, inde misericors conditor hoc erudiat ut vivat. » S. Greg. Mor. 25.

5. Tentatio superata *fervorem immittit* et auget : tentatus vires colligit, animose pugnat, ad Deum confugit. « Tentamina faciunt familiarissimos Deo fieri. » S. J. Chrysost.

« *In tribulatione dilatasti me.* Non dixit : Non passus es me in tribulationem labi, aut tribulationem confestim submovisti : sed ea manente dilatasti me : hoc est ingentem cordis latitudinem et voluntatem mihi attulisti. » id. in Ep. II, ad Cor. Hom. 1, n. 3. x, 490.

267. Arma contra tentationes.

i. « In omnibus sumentes scutum fidei. » Eph. 6, 16.
ii. Posce vigorem animi ad resistendum malo.

I. Ob oculos ponatur : —
1. Dei suprema *majestas*, quae cuncta verbo condidit, et quae gloriam perfectionis omnis in se complectitur : « Tua est, Domine, magnificentia, et potentia et gloria. » 1 Par. 11.
2. Dei absolutum et irresistibile *dominium* ; ipsius enim sunt universa ; de jure et de facto ipse universa sub se continet et cohibet, manu tenet, in aeternum disponit.
3. Dei inviolabilis *potestas* legifera, judiciaria, coactiva ; ipse jubet, et nemo impune negligit vel resistit, nemo manus ejus evadit.
4. Dei tenerrima *misericordia*, qua super omnia utitur in stadio probationis hujus. In futuro tamen stadio gladium adhibebit justitiae.

II. Consideretur attente *Christi passio*, quam unice propter delicta nostra subiit. Hanc sustinuit ut et ego discam viriliter agere, et probationem meam fideliter perficere.

III. Perpendantur et ista : —
1. *Dignitas et valor animae* : —
   a. quae spiritus est, et Dei imago ;
   b. quae sanguine Christi redempta est ;
   c. quae gratiis ornata est praeclarissimis : praesertim praesentia Spiritus sancti, refectione Corporis et Sanguinis Domini, tutela angelorum et auxiliis continuis.
   d. quae ad Dei fruitionem coelestem destinata est.

2. *Mors certo futura :* « In omnes homines mors pertransiit. » R. 5, 12.
3. *Inevitabilis poena delictorum*: «Ibunt hi in supplicium aeternum.» M 25, 46. « Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator.. non habet haereditatem in regno Christi et Dei. » Eph. 5, 5.
4. *Merces certissima* victoribus conferenda : « Reposita est mihi corona justitiae. » 2 Tim. 4, 8. « Fidelis est Deus qui repromisit. » Heb. 10, 23. « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. » Ap. 2, 10.

268. De armis resistendi (Affectus).

i. « Induite vos armaturam Dei. » Eph. 6, 11.
ii. Pete gratias tibi necessarias in hac pugna.

En arma, quibus in resistendis tentationibus utimur : —

I. *Desiderium honestatis.*

« Quaesivi sapientiam palam in oratione mea. » Eccli. 51, 18.

Haec enim decus est et gloria mea. Fortitudo et constantia hominem quam maxime decent.

« Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. » Prov. 16, 32.

II. *Spes mercedis.*

« In Domino sperans non infirmabor. » Ps. 25, 1.

« Domine Deus meus, in te speravi : salvum me fac. » Ps. 7, 2.

III. *Timor* 1. *poenae incurrendae* : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Heb. 10, 31.

« Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? » Is. 33, 14.

2. *mercedis amittendae :* « Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur ? » M. 16, 26.

IV. *Amor Dei* optimi et desideratissimi :

« Quis ergo nos separabit a charitate Christi ? » R. 8, 35.

« Fortis est ut mors dilectio. » Cant. 8, 6.

« Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem. » Cant. 8, 7.

V. *Refugium ad Deum.*

« Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi. » Ps. 142, 9.

« Mihi autem adhaerere Deo bonum est. » Ps. 72, 28.

« Memoratus sum misericordiae tuae, Domine, et operationis tuae... quoniam eruis sustinentes te Domine...

et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo... Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini. » Eccli. 51, 11.

269. Methodus pugnandi.

i. « Resistite, fortes in fide. » 1 P. 5, 9.

ii. « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium, et digitos meos ad bellum. » Ps. 143. 1.

Eos, qui tentationibus exercentur, oportet : —

1. Vigilare ; occasiones devitare, et fugere.

2. Oratione uti fervente ; signo crucis se munire ; invocare Dominum Jesum, Beatam Virginem, angelum custodem, patronos.

3. Prompte et animose resistere. « Resistite diabolo, et fugiet a vobis. » Jac. 4, 7.

4. Se humiliare.

5. Firmam fiduciam in Deo reponere : « In te Domine speravi, non confundar in aeternum. » Ps. 30, 2.
   Cui fiduciae amorem intensum et supremum fructuosissime conjunges, dicendo cum sancto Job : « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. » Job. 13, 15.

6. Fortitudinem exercere et patientiam.
   « Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem ; ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. » Heb. 12, 3.

7. Patrem spiritualem sincere et humiliter consulere.

8. Educere gladium verbi Dei (« Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus quod est verbum Dei. » Eph. 6, 17, et intus clama :)
   Dominus auxiliator meus : « Salutare vultus mei et Deus meus. Ps. 41, 12.
   « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. » 2 C. 12, 9.

9. Ad alia mentem divertere.

10. Se cognoscere, et causas investigare tentationum.

270. De certa victoria. (I C. 10, 13.)

Fidelis autem Deus est, (Ipse enim nos ad fidem vocavit, mediis mirabilibus ad salutem instruxit, dabit etiam sincere volentibus, ut ad finem secure valeant pervenire. Ipse nobis in omnibus multum misericors, « Dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus. » S. Th in h. l.)

qui non patietur vos tentari (Dum enim permittit nos tentatione exerceri, non sinit superari. Diabolum cohibet ; mundi mitigat incitamenta. Voluntatem corroborat ne hosti cuicunque succumbamus.)

supra id quod potestis, (Dei auxiliante gratia, resistere semper valemus. Quantuscunque sit inimicorum impetus, virtus mea divinitus corroborata, ad dejiciendos omnes eorum conatus sufficit. Fiduciam ergo nutriamus ; Deus nobiscum est. Si vult vel permittit hostium incursus, cladem suorum nec vult nec permittet.

Animo tandem nunquam deficiamus. Omnem enim tentationem superare possumus.)

sed faciet etiam cum tentatione proventum (Efficit nempe ut tentationis eventus nobis sit felix. Finis enim tentationis ex parte Dei est ut virtus nostra monstretur, exerceatur, augeatur. Tentationem itaque ordinat ad victoriam. Ipse enim neminem tentat ut labatur, sed ut probetur, purgetur, ac mereatur. Id autem fit concomitante humilitate nostra : ut docet S. Augustinus : « Illi autem non crepant in fornace, qui non habent ventum superbiae. » Cit. s. Th. in h. 1.)

ut possitis sustinere (i. e. pati sine damno, et opportuno tempore liberari, et triumphare semper).

Tentationes quae impugnant nos humanae sunt,

hominis infirmitati adaptatae, quae vires nostras gratia adjutas non excedunt. Bonus enim Deus « impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » C. Trid. Sess. vi, c. 11.

Audiatur magnus Augustinus : « *Inquire pacem, et persequere eam.* Disce : *Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et erutor meus, protector meus. Susceptor*, ne cadam ; *erutor*, ne haeream ; *protector*, ne feriar. *Protector meus, et in ipso speravi.*

In his omnibus, in toto labore meo, in omnibus prœliis meis, in omnibus difficultatibus meis in ipso speravi. *Qui subdit populum meum sub me.* Ecce caput nostrum loquitur nobiscum. »

271. De natura teporis.

« Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve male, et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi : oportuit ergo te committere pecuniam tuam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. » M. 25, 26-27.

---

1. Tepor, qui dicitur filia acediae, seu pigritiae, est taedium vel fastidium bene operandi cum bonorum negligentia.

Convenienter etiam describitur tanquam tristitia quaedam de bonis divinis seu spiritualibus propter difficultatem, quam habent adnexam ; quam tristitiam consequitur socordia in operibus bonis.

Singula diligenter ad opera mea spiritualia applicabo, et ad alia etiam, ne forte fieri contingerent inepte, vel aliqua intentione non conveniente.

2. Nec inepte hic animae status tanquam rerum spiritualium paupertas repraesentari poterit. Nam vita spiritualis, quae in tepido reperitur, et robore, et vigore, et animo, et fortitudine caret, quam qui paulisper considerat, facile deprehendet, eam non dissimilem esse illi morbidae corporis conditioni, quam anaemiam appellamus.

3. In voluntate sedem habet, in quantum ista se non excitat ad agendum viriliter, sed remisse in omnibus operatur. In apprehensione intellectus pariter habetur, quatenus iste lumine caret, quo quis alliceretur ad strenue operandum et ardenter amandum.

4. Causae teporis recenseri possunt sequentes : —
   a. acedia seu torpor mentis, bona negligentis inchoare, et in incoeptis perseverare : « Vult et non vult piger.» Prov. 13, 4.
   b. sollicitudo mundanorum : qualia sunt nugae, frivola, delectationes saeculares, quae mentem fere totam occupant ;
   c. studiorum nimia praeoccupatio, et male directa intentio ;
   d. repugnantia crucis accipiendae, qua appetitus mollis et delicatus quidquid grave ferre et sustinere recusat;
   e. aliorum exemplum.

272. Signa teporis.

1. Parum curare de *peccato veniali* vitando ; et parum contristari de ipso jam commisso.

2. Modicum vel *nullum adhibere conatum* ad quotidianas negligentias tollendas vel minuendas : v. g.
   a. Quoad *orationes :* ad eas rite fundendas tepidus men-

tem non praeparat, nec studet eam in se colligere, nec inter orandum viriliter agit; ludere potius quam Deum omnipotentem orare videtur.

b. Quoad *sacramentorum susceptionem*. Deum accedit ad sacramentum poenitentiae examen tepidi superficiale est, confessio ipsa indolem merae narrationis frequenter induet, dolor perfunctorius est, propositum debile et nimis generale.

Pariter in sacra Eucharistia suscipienda, tepidi languida est mentis defixio in grande illud opus, tenuis gustus panis illius coelestis, ignis devotionis nullus.

c. Quoad *lectionem spiritualem*. Legitur quod delectat, vel sumitur liber propter stylum suum gratum, vel propter notitias generaliores inde hauriendas, non vero quia lectorem ad bonum efficaciter poterit incitare.

d. In *studiis* tepidorum occurrunt fastidium materiae, jugis quaedam temporis jactura, vix ullus labor strenuus nisi forte identidem ob motivum timoris.

3. Tepidus sine ratione sufficiente *facile omittet* specialia pietatis opera, cujusmodi sunt rosarium, lectio spiritualis, examen conscientiae sive generale sive particulare.

4. Tepidus de indole viri religiosi parum reflectit. Ad opera sua bonas intentiones frequenter non praemittit. Identidem agit ex mera operandi complacentia, vel ex gustu pure naturali, vel ex impulsu, vel ex consuetudine.

5. Nescit spiritum sui-abnegationis ; vigore spirituali caret.

6. Mentem habet dissipatam circa nugas et mundana.

7. De regulis domus parum vel nihil sollicitus est.

8. Habet socios et amicos tepidos.

273. Effectus teporis.

Tepori mala non pauca inhaerent.

1. Difficultas curandi eum : sane
   a. tepidus non cernit se tepidum esse ;
   b. bona facit male, i. e. remedia, quibus facile sanari posset, perverse adhibet ; istiusmodi sunt, sacramentorum susceptio, oratio et nominatim meditatio, examina, regulae domesticae, recollectiones menstruae vel annuae ;
   c. animo non attendit ad gratias suaviter ipsum in melius excitantes, quas Deus saepius confert ; quia earum neque perceptionem neque gustum habet, et mens ejus rebus alienis est occupata et ligata.

2. Tepori praehabendus est quodammodo *ipse peccati status ;* quia peccator frequenter mutatur in poenitentem, et sanctam ducit vitam, sed raro in bonum mutatur tepidus. Hinc apertum desiderium Domini in Apocalypsi : « Utinam frigidus esses, aut calidus. » 3, 15.

3. *Vicinus* est tepidus *peccato gravi ;* tum quia parum de offensis Dei curat, nec vigil est contra peccandi occasiones, tum quia voluntas ejus debilis est, et cito superatur.

4. *Odibilis est Deo* : « Quia tepidus es,.. incipiam te evomere ex ore meo. » Ap. 3, 16. Quae verba primum dicta sunt de viro ecclesiastico ; caveamus ne et de nobis iterari contingant.

5. *Irridet bonis*, qui a tepidis tanquam stulti, molles, imbecilles, fanatici haberi solent. Rarior quidem penes nos spiritus iste destructivus, sed nec impossibilis, nec inauditus ; si forsan occurrat, statim arceatur.

6. Enituntur quandoque tepidi, ut bonos a pietate divertant, vel eos detractione laedunt vel de illis susurrunt ; quod locum habebit praesertim quoad ea, quae spectant propriam et perfectiorem juvenis ecclesiastici praeparationem, v. g. disciplinae vigorem et rationem accuratam, discendi ardorem, studendi assiduitatem, reverentiam erga superiores, orandi frequentiam.

274. Remedia teporis.

Morbi multiformis varia praesto sunt medicamenta :

1. *Oratio,* assidua et fervida, cui et haec adjungenda sunt secundum monita divinitus data : —
   « Vigilate, nescitis quando veniat Dominus. » Mc. 13, 35.
   « Contendite intrare per angustam portam. » L. 13, 24.
   « Instanter operare. » Eccles. 9, 10.

2. *Morbus aperiatur* patri spirituali. Ut crebro status noster spiritus moderatori minutius reveletur, opus non est ; attamen ut hujusmodi manifestatio saltem identidem fiat, non solum ad profectum, sed forsan ad ipsam vitam spiritualem sustinendam necesse est.

3. Consideretur attente quod opus religionis sit res *ponderis gravissimi* : meditemur igitur : —
   a. novissima ;
   b. valorem bonorum operum, — jugum Domini suave, — « Haec, quid ad aeternitatem ? »
   c. quod omnis homo subjaceat labori et dolori. Tepidus vero partem suam suscipere renuens, in tristitiam, penuriam, vel neglectum, vel fastidium rerum spiritualium misere incidit. Parvus quidem est virtutis

labor, et magnum praemium. Suavis est Christi dolor, cujus extrema plena sunt voluptate aeterna.

4. Fortiter in omnibus tepidus studeat *aggredi torpores*. « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Eph. 5, 14.

5. Quot *specialibus titulis* ad fervorem et ad fideliter Deo serviendum adstringatur tepidus perpendat. Quot recepit gratias insignes et praesidia ; quam mature vocatus sit a Christo ; quantas habeat mentis et corporis dotes ; quot proficiendi opportunitates ; quantum debeat aliorum benignitati et auxiliis. Illos titulos aliquantulum investigare nunc enitar.

« Vade ad formicam, o piger. » Prov. 6, 6. Vade quidem ad tot viros saeculares, qui pietatem egregiam colunt sine magistro, sine regulis, sine solitudine, sine doctrina exquisita.

6. Tempus vitae quo mereri licet perbreve est : quando instat mors, opera spiritualia vel difficilia sunt vel impossibilia.

7. Animo volvantur dicta severa *contra hypocritas*, qui esse apparent id quod non sunt. Ausculta nominatim verba mitissimi Servatoris nostri in Apocalypsi : « Sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. »

Quia dicis : « Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus. » Ap. 3, 16. 17.

Audiantur et ista : « Nomen habes quod vivas, et mortuus es. » ib. 1. Appares, et non es ; dicis, et non facis ; profiteris, et non exequeris ; vestem habes sanctorum, et cor hominis mundani ; pro aliis onera alligas, quae digito ipse non tangis.

275. De spiritu laetitiae [1].

i. « Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » J. 16. 22.
ii. Fructus petam pacis et gaudii.

I. Christiana laetitia est suavis animi tripudiantis sensus de bono magno cum pace et securitate possesso.
Gaudium verum concipitur —
1. de dono *fidei* : « Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo. » R. 15, 13
2. de gratia *divinae amicitiae* : « Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae. » 2 C. 1, 12.
3. de robusta *spe* beatae aeternitatis: «...spe gaudentes.» R. 12, 12.
4. de *Deo* et de *religione* :
« Laetabor et exultabo in te. » Ps. 9, 3.
« Laetetur cor quaerentium Dominum. » Ps. 104, 3.
« Pax Christi exultet in cordibus vestris. » Colos. 3, 15.
« Regnum Dei... pax et gaudium in Spiritu sancto.» R. 14, 17.

II. Gaudium Christianorum *in Domino* reponitur. Illud igitur oportet non ponere in mera recreatione seu relaxatione animi quatenus tali, neque in delectamentis neque in mundanis quibuslibet, sed in Domino. Neque inde obtusior erit laetitia sed suavior, nec diminuta sed amplior, neque minus tenera vel humana, quia verior et divinis vicinior. « Gaudete in Domino semper. » Phil. 4, 4.

---

1. Ante ferias majores.

III. *Media* ad laetitiam obtinendam : —

1. Dominum et divina mente recolligere.
2. Omnia agere intentione pura.
3. Fidelem esse in exequendo officia pietatis.

276. Spiritus renovatio.

i. Cogitabo Dominum in throno suo coelesti, ad cujus pedes cuncta desinunt temporalia.

ii. Petam animum constantem.

Ad rerum spiritualium ardorem in anima fovendum duo sunt, quae simul valide conferunt, videlicet : —

I. *Fiducia in Deum.* Deus ideo me e nihilo vocavit, ut me cum ipso socium in aeterna beatitudine haberet. Non tantum mihi bona complura et specialissima contulit, sed mundum splendidissime ornavit propter me, quia ego solus inter visibilia capax sum divinorum. Ego solus ex omnibus exsisto propter Deum. Ego sum ejus dilecta creatura. Deus se mihi mirifice et dulciter revelavit, et super omnia vult animam meam captivare.

Est vere Deus meus et fortitudo mea, salus mea, redemptio, illuminatio, firmamentum meum, refugium meum, amor meus, vita mea, deliciae meae, cibus meus, resurrectio mea, beatitas mea interminabilis.

Vult me Levitam sanctificari amplius ; suaviter et instanter invitat me post ipsum sequi ; prae aliis me vocavit ad amorem intimiorem, et ad munus praecelsum.

Accedam ad illum, ut gustem quam suavis sit.

II. *Diffidentia sui.* Haec enim de meipso perpendenda occurunt : —

Saepe propono, sed raro perficio.

Volo, sed non operor ; desidero, sed non laboro. Vellem, sed facere non valeo. Monuit Salvator ipse: « Sine me nihil potestis facere. » J. 15, 5.

« Omne donum perfectum desursum est.» Jac 1, 17.

« Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter... et dabitur ei. » ib. 5.

III. Quid mihi hactenus maxime fuit *impedimento* ? Id tollere conabor ? Sed quomodo id efficiam ? Quamnam *virtutem* nunc praesertim colendam suscepi ? Quaenam ad illam acquirendam media assumpsi ?

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Articulus 5. De Progressu.

277. De negotiatione christiana.

i. « Negotiamini dum venio. » L. 19, 13.
ii. Precabor Deum ut valeam omnem effugere torporem.

I. Quaenam est hujus negotiationis *materia ?*
   a. *Tempus* nobis concessum, quod citissime transit, et redire nequit ; « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. » Gal. 6, 10 ; « redimentes tempus. » Eph. 5, 16.
   b. *Dotes* omnes, mentis, voluntatis, corporis, gratiae. Istae enim sunt nobis donatae, ut per eas operemur salutem.

II. *In quibus rebus* seu actionibus negotiandum ?
   1. *In orationibus* (missa, meditatione, sacramentorum susceptione, rosario, breviario).
   2. *In studiis* (ea peragendo cum bono animo, cum attentione et simplici intentione, et absque temporis jactura).
      An utor diligentia debita ad intelligenda ea quae in scholis traduntur ? An mentem ad altiora et ampliora stimulo ? An leviter solum et superficialiter, vel ad finem solorum examinum, studia sacra persolvo ?
   3. *In societate domestica* (ubi agendum semper cum humilitate, cum caritate, et cum urbanitate).

4. *In regulis, horario, officiis meis* (omnia exacte, fideliter, prompte, sollicite peragendo).

III. Quanam mentis assiduitate huic negotiationi supremae incumbo ?

1. An voluntatem meam sub disciplina cohibeo ? an violentiam sanctam mihi infero ad malas inclinationes refraenandas ?
2. An pro corporis robore laboro ut bonus miles Christi ? an potius omnia dulciter fieri et transire permitto, quatenus quae manducem et quibus vestiar nunc possideo? « Professionem » ut aiunt, « adeptus sum, nec est cur ad hujus muneris perfectionem enitar. »

IV. Quanam ingenii alacritate beneficia et opportunitates hujus negotiationis spiritualis suscipio ?

Quo spiritu gratias Dei recipio ? an visitationes Spiritus sancti agnoscere valeo ? an inspirationibus Spiritus sancti apte, animose, prompte respondeo ? an potius eas dimitto ?

278. Quomodo oporteat nos ambulare [1].

i. « De cetero, fratres, rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. » 1 Thess. 4, 1.

ii. Deum obnixe ora, ut concedat tibi virtutem explendi bona tua proposita.

I. Quomodo igitur oportet ambulare ? Id expresse doce-

1. Secundum S. Th. Sermo in Dom. II, Quadragesimae.

mur a S. Paulo in Eph. 4, 1. 2. : — *Obsecro.. ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* —

1. *cum omni humilitate* : ne inflati superbia in arctam viam ingredi non valeamus ;
2. *et mansuetudine* : ut comites in via habeamus, et eos in itinere non turbemus ;
3. *cum patientia* : ut labores viae et adversa libenter sustineamus ;
4. *supportantes invicem* : ut sanctorum infirma sustineamus ;
5. *in charitate* : ut verba bona sociis communicemus.

II. Quomodo poteris placere Deo ? Haec sunt necessaria ut placeamus Deo :

1. ut Deum tanquam omnipotentem et justum super omnia *timeamus* :
   « Beneplacitum est Domino super timentes eum. » Ps. 146, 11.
2. ut in eum tanquam liberatorem super omnia *speremus* : « et in eis qui sperant super misericordia ejus. » ib.
3. ut eum tanquam summum bonum super omnia *diligamus* : « Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram ? »
   « Ego diligentes me diligo. » Prov. 8, 17.
4. ut tribulationes pro eo libenter *sustineamus* : « Omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt fideles. » Judith. 8, 23.
5. ut carnis delectabilia pro eo despiciamus, et *secundum spiritum vivamus* : « Vos autem in carne non estis sed in spiritu. » R. 8, 9.

III. Propter quid oportet nos studere ut sancti efficiamur ?

1. ut Deo assimilemur : « Sancti estote, quia ego sanctus sum. » Lev. 11, 44.
2. ne Christo, qui multo labore et expensis nos mundavit, injuriam faciamus ;

3. ne ab ingressu cœlestis civitatis prohibeamur ;
4. ut sapientiae susceptibiles efficiamur ; in animas sanctas se transfert, et amicos Dei et prophetas constituit ;
5. ut Deum videre mereamur.

279. Ut filii lucis ambulate [1].

I. *Qualis* et quotuplex est *ambulatus* Christiani ?
1. *Naturae*, qua pedetentim ad mortem properamus. « Semitam per quam non revertar ambulo. » Job, 16. 23. Haec sustinenda est.
2. *Culpae*, transeundo de peccato in peccatum. « In circuitu impii ambulant. » Ps. 11, 9. Haec tamen fugienda.
3. *Gratiae*, de bono in melius proficiendo. « Ambula coram me et esto perfectus. » Gen. 17, 1. Haec autem facienda.
4. *Gloriae*, secundum quam ambulant sancti post Christum eundo : « Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. » Ap. 3, 4. Haec desideranda.

II. *Quonam* autem *modo* est ambulandum ? Ut filii, quod est : —
1. In *novitate* vitae, peccati vetustatem abjiciendo. « In novitate vitae ambulemus. » R. 6, 4.
2. Carnem spiritui *subjiciendo*, et secundum spiritum vivendo. « Spiritu ambulate. » Gal. 5, 16.
3. Deum et proximum *diligendo*. « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. » Eph. 5, 2.
4. *Honeste* et bene inter homines *conversando*. « Honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. » Thess. 4, 11.

1. Sermo S. Thomae in Dom. III, Quadragesimae.

5. Dulcibus et utilibus sermonibus alios *aedificando*.
« In sapientia ambulatis ad eos qui foris sunt. »
Coloss. 4, 5.

III. *Causa* hujus ambulatus est lux Christi.
« Ambulate dum lucem habetis. » J. 12, 35.

280. De profectu in servitio Dei 1.

Fratres, (Fratres enim inter se christiani omnes esse debent. Hoc discipulorum Domini indicium verum. Id enim maxime proprium sacerdotum, qui inter se confratres amant vocari. Idem profecto convenit juniori clero in Seminario adunato)

rogamus vos (Ita Ecclesia semper in sacra liturgia, ministri in suis hortamentis, ita Christus vita et verbis suaviter invitat nos. Non enim vult Deus servitium coactum et servile, sed liberum et generosum)

et obsecramus in Domino Jesu, (Ac si reverentiam quamdam exhibere vellent apostoli libero nostro consensui, petunt ut gratiis oblatis cooperemur. Ac fortasse vix percepimus quantum Deus in sacris eloquiis, quantum Ecclesia praesertim per continuas hortationes ministrorum sacrorum nos obsecrent, obtestenturque in Domino ad vitam pie agendam)

ut quemadmodum accepistis a nobis, (Multis enim modis audivimus sacra monita salutis : — in institutione primaria et secundaria, in studiis praesentibus, in lectione spirituali multifaria, in meditatione, in collationibus, in concionibus, in monitionibus privatis, in consiliis patris spiritualis. An revera facio quod in me est ut

1. Thess. 4, 1.

attente auscultem vocem Domini in aure loquentis, et ut recepta monita opere exsequar ?)

quomodo oporteat vos ambulare (i.e. 1. per viam mandatorum ; 2. ut in conspectu Dei perfectius ambulemus. « Ambulavit Enoch cum Deo. » Gen. 5, 22 ; 3. ut Dei voluntatem exsequamur et revereamur ; et ne illam unquam deseramus ;)

et placere Deo, (i. e. in via consiliorum : « placens Deo factus est dilectus. » Sap. 4, 10 : « Ambula coram me, et esto perfectus. » Gen. 17, 1.

sic et ambuletis, ut abundetis magis (ut in dies proficiatis in via incœpta. Christiani non est stare, sed ambulare et proficere. Id pulchre et plene apostolus alio in loco : « Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes : in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. » Col. 1, 10).

281. De communioribus mediis sanctificationis.

i. Mente defigatur alte tanquam axioma quod sacerdos sit « alter Christus. »

ii. Sic cum gentium apostolo clamabis : « Domine, quid me vis facere ? »

---

1. Caput est illud semper meminisse : « Haec est enim charitas Dei, ut *mandata ejus* custodiamus. » 1 J. 5, 3.

2. Monita Domini tenenda : —

« Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. » J. 10, 10.

« Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. » M. 5, 48.

« Haec est autem vita aeterna : ut cognoscant te,

solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » J. 17, 3.

3. *Regularum observantia* religiosa. Etenim regulae seminaristarum divina proponuntur auctoritate, et ad ordinem domus Levitarum, ac praesertim ad singulorum disciplinam et sanctificationem constituuntur ; adeoque ab alumnis « libenter et hilari animo accipiantur. »

4. *Alacris obedientia* superioribus exhibita tanquam ministris Dei, quibus demandata est institutio potioris partis gregis dominici.

5. *Orationis studium* indefessum, scilicet meditationis, visitationis sanctissimi Sacramenti, rosarii Marialis, precum vespertinarum, orationum tum ante tum post studium, benedictionis mensae.

Mirum enim est quantum ista (si bene fiant) ad animam sanctificandam conferant, (sin autem male), quam aridus et infructuosus totus vitae cursus deveniat.

6. *Recta* in omni opere *intentio*, — in studiis, in recreatione quavis, in conversatione cum sociis.

7. Tenerrima et ardentissima devotio erga Jesum in sanctissimo *Eucharistiae* Sacramento.

8. Magno et pio animo cuncta peragere quae pertinent ad *cultum Dei* publicum, tam in Missa, (sive privata sive solemni), quam in Officio divino, sive privatim recitatum fuerit, sive cum cantus splendore.

« Et levavi manus meas ad mandata tua, quae dilexi : et exercebar in justificationibus tuis. » Ps. 118, 48.

282. Instructio ex regula pastorali S. Gregorii.

i. Revoca in mentem opera Tobiae (Tob. 1, 2,) et verba Christi: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. » M. 5, 16.

I. *Bonorum operum necessitas.* Sit sacerdos « operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denuntiet, et grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur.

Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare.

Hinc enim per Prophetam dicitur : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. » Is. 40, 9. Ut videlicet qui coelesti praedicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur.

Adeoque oportet (i) orare sicut docemur esse orandum, et (ii) operari secundum principia sui-abnegationis, officiorum status, caritatis erga Deum et proximum, amoris Christi in SS. Sacramento. Opus est facere non mediocria sed summa. Et « quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat, demonstratur » ex singulari varietate et splendore vestium sacerdotalium in vetere testamento.

II. Grandis porro est muneris sacerdotalis *nobilitas* : « In eo intellectus sapientiae principaliter emicare debet. Non ad favores infimos, sed ad amorem coelestium surgat... Cor sacerdotale, cum summa quae prae-

1 Pars ii. c. 3.

dicat, sperat,in semetipso etiam suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimam regenerationis aspiciat,et coelestis regni sibi habitum moribus defendat. « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum. » Ps, 138, 17.

III. « Omnia virtutum bona *ex caritate* decorantur » ; caritate scilicet qua mens elevatur in Deum, et simul compassione proximum amplectitur.

283. Delineatio boni seminaristae [1].

i. « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. » Gal. 4, 19.

ii. Enixe roga magnanimitatem spiritualem.

In Seminarista bono conspicientur : —

I. *Quoad cultum* —

1. ardentissima devotio erga SS. Sacramentum altaris, quae manifestatur in Missa devotissime audienda, in pia Corporis Dominici susceptione, in profunda adoratione Christi in solemni ritu Benedictionis Sanctissimi Sacramenti, in amorosa et frequenti visitatione Christi Jesu in tabernaculo delitescentis ;
2. summa puritas corporis, verborum, cogitationum ;
3. tenerrima devotio erga Beatissimam Virginem Mariam, ejusque sponsum sanctum Josephum.

II. *Quoad crucem* post Jesum *ferendam* ; cujus vere Christiani moris istae erunt notae : —

1. Ex Synodo Prov. Westmonasteriensi IV, Decr. ix.

1. Virilis simplicitas, at amor crucis (seu abnegatio sui), evitatis et spretis luxu hujus saeculi et molli vita.
2. Docilitas in paupertate diligenda. Virtus enim paupertatis non est nobis innata, sed reflexione et exercitatione est comparanda. Domanda itaque cupiditas ; latet enim in nobis ; ardet et est valide superanda.
3. Gaudium in aerumnis, in paupertate, in contemptu, in vita humili et evangelica secundum mandata, consilia et exemplum Magistri.

III. *Quoad studia et labores* : —

Methodus, ordo atque sancta assiduitas, ut regula vult, diligentissime observata.

IV. In suo commercio cum *superioribus* bonus seminarista haec prae se fert indicia :

1. Maximam exhibet reverentiam erga superiores, et praesertim erga proprium episcopum (ubi nota non sufficere gradum tantum positivum, sed postulari superlativum, nimirum « *maximam* reverentiam »).
2. Elucent in eo docilitas (non enim venit ut doceat alios, vel ut doceat se, sed ut ipsemet ab aliis doceatur), et obedientia.
3. Manifestatur evidenter dispositio ad vitam ecclesiasticam (non enim quaeritur dispositio ad ludos, ad artes vel culturam, neque ad notitias generaliores (ut aiunt), sed ad ea, quibus proprie constituitur vita ministri Ecclesiae.

V. Quoad *mores* in eo cernitur modestia cum dicendi agendique urbanitate.

284. Efficaciora progrediendi media.

i. « Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. » J. 10, 10.
ii. « Dirige me in veritate tua, et doce me. » Ps. 24, 5.

Progressui in vita spirituali maximopere opitulantur :

I. *Recollectio Dei praesentis.*

Deus, ipsum quod est, ubique praesens est.

A nutu ejus omnia actu dependent ; minutissima quaeque et maxima vi sua intime penetrat et sustentat ; ejus virtute operantur universa ; ejus spiritus subtilissimus essentias omnes pervadit ac permeat.

Naturae suae exigentiâ adest omnibus quae sunt, vel erant, vel erunt futura in quacunque parte spatii vel temporis.

Adstat mihi ; audit me ; videt me ; in corde est, in ipso spiritu meo. Melius me novit quam ego ipse. Intuetur me, ac si solus essem in orbe universo. Neque ego ab ipso discedere valeo, nec ipse a me.

II. *Docilitas* :

1. ad inspirationes Spiritus sancti, qui gratia nos implet, amore inhabitat, radiis suis nos illuminat, et motibus sacris nos agit ;

(An cognosco vocem Spiritus ? An enitor ut illam recte intelligam ? An sequor ejus ductum ?)

2. ad monita directoris spiritualis.

(An rogo interdum ejus consilia ?

An libenter et alacri animo monitis ejus obtempero ?

An ea ad opera mea applicare viriliter studeo ?)

III. Judicium rectum seu « *ideale* » verum :

1. de Christo ejusque sanctitate ;

2. de Ecclesia ejusque sacro munere ;
3. de altitudine sacerdotii.

« Nihil in te mediocre esse contentus sum : totum summum, totum perfectum desidero. » S. Hier. Ep. 58 ad Paulinum, n. 11. M. 1, 586.

IV. Fructuosus sacramentorum usus, praesertim *poenitentiae, SS. Eucharistiae*, et *ordinis*.

285. Efficaciora progrediendi media (2).

i. « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. » M. 5, 48.

ii. « Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. » Cant. 1, 3.

In virtutibus progredienti summopere juvant :

I. *Recollectio Dei ubique praesentis.*

« In ipso enim vivimus, et movemur et sumus. » Act. 17, 28.

« Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. » Heb. 4, 13.

II. *Docilitas* : —

1. ad inspirationes Spiritus sancti :

« Et erunt omnes docibiles Dei. » J. 6, 45.

« Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. » R. 8, 14.

2. ad monita patris spiritualis.

III. Verus de Christo et Ecclesia conceptus :

1. De *Christo* ejusque sanctitate. — Deus homo est ; sanctitas incarnata. In ipso obedientia fuit tanquam cibus vitae. Sublimis plane ejus humilitas, et mansuetudo proverbium inter Christianos. Ejus ad mundum habitudo odium fuit, ejus paupertas insignis, et amor crucis stupendus.

2. De *Ecclesia* ejusque munere ; non enim est societas mere religiosa, vel piorum congregatio ; sed Christi Sponsa, quam sibi sanguine suo acquisivit ; scaturigo functionum et operationum plane divinarum, depositorium potestatum coelestium, magistra veritatis, templum Corporis et Sanguinis Christi Redemptoris. Ejus tandem finis est hominum suprema salus et major sanctificatio.

IV. Sacramenta rite percepta, praecipue poenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

Qualis mea circa haec sacramenta fides, praeparatio, gratiarum actio ?

Circa ordines receptos dicta recogitabo S. Pauli : — « Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii : » 1 Tim. 4, 14.

« Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. » 2 T. 1, 6.

286. Quare plures non progrediantur in sanctitate ?

i. « Tanto tempore vobiscum sum ; et non cognovistis me. » J. 14, 9.

ii. Christum exora ut concedat tibi spiritum veri discipuli.

Progressum in semita perfectionis nimis frequenter impediunt :

I. *Spiritus mundanus :* amor rerum mundanarum. Hinc enascuntur distractiones in orando, taedium in lectione spirituali, oblivio precum jaculatoriarum, dissipatio cordis ad frivola, et mentis praeoccupatio, quae orationem praevenit et summe difficilem reddit.

II. *Absentia recollectionis*, et activitas nimia, qua mens a seriis rebus tractandis avertitur.

Examen institue circa singula. Facta et factorum causas perscrutare.

III. *Surditas spiritualis*, seu incuria de inspirationibus Spiritus sancti, quae vel (I). non percipiuntur ; (solent venire in oratione, in lectione spirituali, in studiis sacris, immo quovis tempore : « Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu. » J. 3, 8;) vel (II).negliguntur.An soleo expectare lumina et motiones Spiritus Dei ? An ea scienter praetermitto ?

IV. Agendi norma et scopus ab altitudine religionis Christianae *deficientes*, seu, ut vulgo dicitur, « idealia inferiora (low ideals). »

1. Nimis insistere in affabilitate, vel morum elegantia, et conditionis honestate
2. Sanctitatem status pastoralis secum determinare secundum id quod est obligationis strictae, vel decentiae necessariae. Vivere ad normam theologiae moralis (quae est norma legalis), non ad normam theologiae asceticae (quae est norma amoris),
3. Omnibus quae in se licita sunt libere indulgere.

V. Officia muneris sui facere ex debito, et ex statuto diurno, et non ex spiritu, ex amore Dei, et zelo animarum.

287. Alphabetum religiosorum [1].

« Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. » Ps. 24, 4. Obsecro te, Deus meus, doce me vias bonae vitae pro salute animae meae.

1. S. Bonaventura, Op. Vol. VII, p. 564.

Ama nesciri, et pro nihilo reputari : hoc tibi salubrius est, et utilius quam laudari ab hominibus.

Benevolus sis omnibus bonis et malis, et nulli onerosus.

Custodi cor tuum ab evagatione, os tuum ab otiosa locutione, et ceteros sensus sub rigore disciplinae.

Dilige solitudinem et silentium, et invenies quietem magnam, et conscientiam bonam. Ubi enim multitudo, ibi frequentes strepitus, et magna distractio cordis.

Elige paupertatem et simplicitatem, et cum paucis sis contentus, et non facile murmurabis.

Fuge hominem et saeculi rumores : quia non potes esse satis Deo et hominibus, aeternis et transitoriis.

Gratias age Deo semper, corde et ore, qualitercunque tibi succedat in gravamine et dolore. Nam Deus omnia provide dispensat in mundo, vero et recto judicio ab aeterno.

Humilia te in omnibus et sub omnibus, et invenies gratiam ab hominibus ; erisque quoque Deo acceptus, et hominibus dilectus, et diabolus fugiet citius, propter humilitatis virtutem sibi valde contrariam.

288. Alphabetum religiosorum (2).

In omni opere bono habeas intentionem puram ad placendum Deo, qui inspector est cordium, et diligit justos et puros.

Karissimos reputa amicos, et patronos, qui te premunt et vituperant ; si enim recte sapis et consideras, lucrum inde acquires, nam prosunt tibi in bono, qui obsunt in malo.

Labore et dolore cum gemitu et fletu acquiritur regnum Dei, deliciis et honoribus perditur paradisus.

Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc mundo propter Christum, et infimum tenere locum.

Neminem spernas, nulli noceas ; afflicto et egeno condoleas, et nunquam te extollas.

Omne tempus cum Deo utiliter expendas ; nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem, benignum et affabilem sine dissolutione exhibeas.

Primo semper quaere in opere tuo, an Deo placeat, vel displiceat. Prius disce tacere quam loqui ; potiusque velis instrui quam docere.

Quaecumque ad te non pertinent, de his non judices, nec te intromittas, ut semper pacem habeas. Qui tempestive facit quod debet, laetior postea erit.

Revertere ad interiora cordis tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio diaboli.

Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, providus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in adversis, humilis in opprobriis, et humilis in prosperis, gratus in beneficiis, hilaris in despectibus, patiens in doloribus, discretus in omnibus agendis.

289. Alphabetum religiosorum.

Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, providus in verbis... maturus in consilio, fortis in adversis.. humilis in prosperis.. hilaris in despectibus, patiens in doloribus.

Time Deum offendere in minimis negligentiis et defectibus tuis. Noli praesumere in bonis, nec desperare in adversis.

Timor Dei facit recedere a peccato, et sollicitat in bono opere, ut bonum bene fiat.

Totum te Deo committe, et quod tibi est grave, fiet cito portabile. Pax tua in patientia multa.

Ubi ubi sis, a Domino te respici, omnesque gressus tuos considerari scias.

Vende Deo omnia commoda tua, et dabit tibi solatia meliora. Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se ad omnia Deo dat, et Christum amando emit, qui mundum cruce redemit. Christus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, et merces tua.

Ymnos et psalmos canere.. clericorum est, quibus congaudent Angelorum chori, laudantes Deum jugiter in regno coelorum... Servire Deo, beatitudo animae, sanitas corporis, prudentia spiritus.

Zachaee frater descende de altitudine saecularis scientiae, veni et disce in schola Dei viam humilitatis, et mansuetudinis, et patientiae, et per quam possis Christo docente ad aeternae beatitudinis gloriam secure pervenire. Amen.

290. De fiducia in Deum.

i. « Habete fiduciam ; ego sum : nolite timere. » M. 14, 27.
ii. Fiduciam constantem efflagitemus.

I. Deus nos fecit *ad se* ; nullum nimirum circa nos alium finem habet, nisi ut homines suaviter ad se et ad beatitudinem coelestem perducat.

« Da mihi fiduciam, Domine rex deorum. » Esth. 14, 12.

II. Deus Salvatorem misit in mundum ad redimendum hominem perditum, et ad ipsum efficacius deducendum ad coelestia regna.

Singulos et omnes « *sic* dilexit ; » et notetur — « mundum dilexit. » Venit propter iniquos, infirmos, Magdalenas, publicanos, et peccatores, i. e. propter oves perditas.

Venit ut filii sui dilecti, i. e. boni, vitam haberent abundantius. Ab illo nominamur « filii, domestici, oves, grex. » Et quo simpliciores sunt homines et humiliores, eo magis ab ipso dilecti. Ipse nobis est pastor, dux, magister, via, veritas. ostium, panis vitae, totus pro nobis.

III. Media paravit efficacissima : —

1. *Poenitentiam* instituit, ut praesto semper esset visibile et facillimum remedium peccatorum.
2. *Eucharistiam* donavit, ut quotidie nos amoris amplexu honoraret, ut sit ipse hospes noster perpetuus. Sic Deus « dulcedinem suam in filios demonstrat ».
3. Largitur indesinenter *gratias ordinarias*, et gratias *status* nostri. Consolatur nos quando rogamus eum ; mentem illuminat, desideria fovet pia.
4. Praebet nobis *duces spirituales*, directores, concionatores, libros, et super omnia Ecclesiae magisterium.

Articulus 6. De Gratiarum Actione.

291. De beneficiis Dei generalibus [1].

i. « Vidit Deus cuncta quae fecerat : et erant valde bona » Gen. 1. 31.

ii. Orabo ut largitatis divinae magnitudinem, benignitatem et realitatem cognoscam.

Dei beneficia primaria et generalia haec sunt : —

1. *Creatio.* Ab aeterno nihilo nos in imaginem sui formavit : capaces nos fecit divinitatis et gloriae suae : mundum cum suis opibus et ornamentis nobis praeparavit, et angelos nobis custodes assignavit.

2. *Restauratio.* Lapsos nos iterum in amicitiam et favorem recepit : inimicos in filios adoptavit : jus divinae haereditatis perditae ex integro restituit.

3. *Christus confrater noster.* Nostri causa formam servi induit, et naturae nostrae infirmitates suscepit. Labores, dolores, probra, contumelias pertulit. Vincula, flagella, sputa, spinas, alapas, irrisiones, crucem mortemque asperrimo cruciatu sustinuit.

   « Expergiscere, o anima mea, et respice in faciem Christi tui. »

4. *Meritorum thesaurum* nobis reliquit.

5. *Corpus et Sanguinem suum* in animae perennem refectionem et in sacrificium legavit.

---

1. Lessius. De perfectionibus divinis. XII, c. 19.

6. Mediis salutis facillimis, suis nimirum septem *sacramentis* nos munivit.

7. *Spiritum sanctum* in cordibus habitantem habemus.

8. *Cor suum* Christus symbolum amoris infiniti ostendit venerandum et amandum.

9. *Matrem virginem*, exemplar, piissimam intercessorem suavi providentia concessit.

« Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ? » Ps. 115, 12.

292. De beneficiis Dei particularibus.

i. Menti defigatur monitum Psalmistae : « Noli oblivisci omnes retributiones ejus. » Ps. 102, 2.

ii. Pete ut persentias veritatem illius dicti S. Bernardi de Dei in nos largitate : « obruit me beneficiis. »

I. Natus es sub *testamento* gratiae et amoris. Quid contra fecisses si inter ethnicos antiquos natus fuisses ?

Perpende certitudinem, facilitatem, ubertatem mediorum salutis.

Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. » Is. 2, 2.

II. Natus es ex *parentibus Christianis*, catholicis, piis, et sortitus es bonam indolem, scilicet nec infirmam, corruptam, vel protervam, — beneficia adeo ingentia, ut nec verbis explicari, nec mente humana possunt comprehendi. Hoc beneficium commemorat Salomon

---

1. Secundum Lessium. De Perfectionibus divinis, xii, n. 17.

quando dicit : « Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. » Sap. 8, 19.

III. *Pie educatus es*, et ab haeresi, infidelitate, et innumeris aliis peccatis infortuniisque, divina providentia singulariter praeservatus.

IV. Post plures forte lapsus in peccata gravia, a *periculo damnationis aeternae* divina miseratione liberalissime es ereptus.

« Benignitas Dei ad poenitentiam te adduxit. » Rom. 2, 4.

« Dedit ei Deus locum poenitentiae. » Job 24, 23.

V. Ditatus es beneficio litterarum, et doctrinae ecclesiasticae *copiosioris ;* nec ad artem aliquam inferiorem, neque ad militiae pericula, neque ad commercium vel ad mercaturam, sed ad illuminationem nobilem Revelationis Domini nostri Jesu Christi, qua verba Dei et distinctius conciperes, et clarius cognosceres, et firmius crederes, et fortius retineres, et efficacius ad omne opus bonum exequendum adhiberes.

VI. Ad sacerdotium tandem vocatas es, et ad munus apostolicum salvandi animas, quo nihil in terris grandius, nihil admirabilius, quod nec angelis ipsis concreditum est, sed prae innumeris aliis te melioribus tibi indigno, terreno, homunculo peccatori.

293. De grato animo exhibendo [1].

1. « Nihil ita Deo displicet, praesertim in filiis gratiae, quemadmodum ingratitudo. » S. Bernardus. Sermo 2 in Dom. VI post Pent. n. 1. Vol. II, 2035.

1. Lessius. De Perfectionibus divinis, xii, c. 19.

ii. Enixe a Deo efflagita, ut ingratitudinis vitio nunquam inficiaris.

I. Servetur ergo semper *memoria* benefactorum et generalium et particularium (cf. Medit. 291. 292).

Sit illa distincta, attenta, frequens, affectuosa.

Hoc sane minimum est quod reddere licet Deo benefactori. « Noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas. » Ps. 102, 2. 3.

Deplora tuam aliorumque inconsiderantiam.

II. Sit insuper memoria *cum amore* benefactoris conjuncta ; ut affectu saltem beneficia compenses, in quorum vicem aliud nihil rependendum habes. Cum aestimatione et sollicitudine filiali beneficia recogites :

1. cogitetur indignitas nostra (qui ex nihilo creati sumus, a primitiva naturae celsitudine lapsi, ad malitiam proni, peccatis demum saepius inquinati) ;
2. cogitetur benefactoris eminentia : est enim aeternus, immensus, magnificus, coram quo mundus ut nihil est ;
3. memoretur beneficiorum magnitudo, cujusmodi est divina plane benignitas incarnationis Dominicae, — supereffluens largitas sacramentorum, — praestantissimae tibi collatae gratiae personales.

III. Quum dederit mihi Dominus meus quidquid habeo, quid me oportet ipsi reddere ?

Quandonam in mentem revoco beneficia divina ? Quoties ? qua diligentia ? quo affectu ?

An creaturae naturales, an gratiae, an amici, sodales, sponte in me excitant memoriam benefactoris ?

Quomodo persolvo gratiarum actiones ?

294. De obsequio praestando [1].

i. « Audiatur S. Bernardus affirmans : « Ingratitudo inimica est animae. »
ii Gratiam pete prompti obsequii in Deum.

I. In mentem revocentur beneficia Dei generalia et particularia.

II. Beneficiorum *conditiones* pariter mente revolvas : — altissimam Benefactoris excellentiam ;
beneficiorum magnitudinem ;
imbecillitatem et indignitatem nostram.

III. Agnosce te Deo pluribus titulis essentialiter obstrictum esse : —

1. *Creatione*, — sumus enim Dei figmentum, opus et res, — ad ejus imaginem et imitationem instituti. Ipse autem finis noster proprius et naturalis.
2. *Creatione mundi* : — in nostrum nempe, non angelorum bonum extructi ; mundus porro pro nobis indesinenter operatur.
   Deus angelos in tutelam nobis deputavit. Aequum profecto, ut nos totos sine intermissione, et devote, ad divinum servitium dedicemus.
3. *Conservatione*, — quae est actus creationi aequivalens, liber, benignus, misericors.
4. Me *in filium adoptavit*, et jus aeternae hereditatis mihi contulit.
5. *Verbum caro factum est* ; se dimisit ut assumeret naturam nostram, et miserias et infirmitates.

---

1 Lessius, De divinis perfectionibus, XII c. XIX, n 156 et sqq.

6. Per totam vitam *dura sustinuit*, et in fine mortem tristissimam subiit.
7. Hisce addas amorem Eucharistiae, et thesaurum inexhaustum ceterorum Sacramentorum.

Ipse tantae majestatis Dominus in salutem mei pusilli vermiculi tam multis, tam miris modis se impendit et expendit, et, ut ita dixerim, exhausit ; et ego ipsius gloriae, cultui, et obsequiis me non impendam ? Etiamsi innumeras haberem animas et vitas, omnes jam essent oppigneratae, omnes jure naturae illi addictae. 1 c. n. 166.

295. De actibus grati animi.

i. « Benedictio et claritas.. et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro. » Ap. 7, 12.
ii. « Sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore, in veritate, et in tota virtute sua. » Tob. 14, 11.

I. *Gratiarum actio* est professio beneficii recepti, cum animo illud compensandi. Agere enim gratias, nihil est aliud quam profiteri gratiam beneficii (id est, te gratias absque tuo merito, ex dono et liberalitate benefactoris accipere) ; idque ut ipsi hanc laudem et veluti honorem pro accepto beneficio quasi rependas.

Debet esse : —

1. *infinita*, saltem duratione, quia beneficia Dei sunt aeterna ;
2. *ex summo animi affectu elicita*, quia Dei beneficia summo amore sunt collata ;
3. *cum maxima animi demissione exhibita*, quia nos sumus Dei beneficiis infinite quodammodo indigni.

---

1. Secundum Lessium. De Perfectionibus Divinis, XII, c xix, n. 168.

II. *Laus* est praedicatio excellentiae alicujus, —

1. sive propter excellentiam naturalem : « Sic Deus aliquando a magnitudine, ab omnipotentia, a sapientia, a sanctitate, a bonorum omnium plenitudine laudatur. »
2. sive praesertim propter libere facta : « Sic Deus passim in Scripturis laudatur ex operibus justitiae et misericordiae, et ex opere creationis et gubernationis ; haec enim sunt libera et excellentissima opera. »

Deus igitur est infinite dignus laude ; et summa ejus in nos beneficia hanc postulant compensationem. « Semper laus ejus in ore meo. »

III. *Benedictio* est boni adprecatio alteri, qua voluntas etiam, quantum poterit, facit quod optat. Nostra quidem erga Deum benedictio ipsi bonum intrinsecum nequit conferre ; attamen divinae majestati et amori praestat id quod Deo suavissimum et optatissimum est, affectum nempe cordis amantissimi. Hinc ipse centies nos docet illum benedicere ; immo obsecrare dignatus est ut in mente, corde, et ore nomen et attributa ejus gloriosa indesinenter habeamus. Divina extollimus ; regnum Dei cupimus extendi ; homines et creaturas universas ad Deum benedicendum hortamur.

IV. Actus porro nostri sunto *sinceri*, i. e. ex vero affectu eliciti.

Sint *ex corde toto* : « et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus. » Ps. 102, 1.

Sint et *frequentes* : « Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. » Ps. 33, 2.

V. Alias etiam creaturas, sive rationales sive irrationales, invitemus ad benedicendum Deum.

« Benedicite omnia opera Domini, Domino. » Dan. 3, 57.

296. Summa beneficiorum hoc anno receptorum.

i. « Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum. » Ps. 118, 32.

ii. A Deo auxilium efflagitemus, ut sensum justissimum grati animi semper excolamus.

En igitur beneficia :

I. Adoptio et status *inter electos* Domini : « Haec est generatio quaerentium eum (Dominum), quaerentium faciem Dei Jacob. » Ps. 23, 6.

Vocamur — in sortem Domini, — in adjutorium Christi, — in salutem fratrum nostrorum, — in aedificationem corporis Christi.

II. *Secessus a mundo*, quo facile, sociorum exemplo animati, sine interruptione, distractione vel occupatione aliena, incumbere valeamus orationi, disciplinae, vitiorum extirpationi, virtutum culturae et studiis sacris. « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » M. 11, 30.

III. *Studiorum ipsa opportunitas*. Hoc insigne bonum est tum secundum se, tum intuitu munerum nostrorum futurorum.

« Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis... Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum, et filiarum. » Sap. 9, 4. 7.

IV. *Commoda vitae* ecclesiasticae, scilicet cibus, camerae, domus, bibliothecae, ecclesia, agri, aer, ludi, recreationes, regulae.

V. *Gratiae* divinae : —

1. gratia praesertim sanctificans ;

2. gratiae actuales, —
   a. lumina ut melius cognoscantur Deus, Jesus Christus, Beata Maria Virgo, sancti et vocatio nostra;
   b. motus, v. g. suavitatis in divino servitio, perseverantia in incœptis, in arduis constantia, progressus in pluribus, victoriæ in tentatione.

VI. *Dona sacramentorum*

1. Quoties enim super me profluit sanguis ille sacratissimus, quo anima a peccatis mundatur ?
2. Quoties, quo félicitate et fructu vivifico Christi corpore et sanguine refectus fui ?

Quo igitur jure de paucis modicisque aerumnis et malis contristamur, qui tot ineffabilibus bonis locupletati sumus ?

297. De beneficiis mundo a Deo collatis.

1. « Misericordias Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum. » Ps. 102, 17.

I. Deus bona innumerabilia serie continua mundo largitus est. Nam praeter ipsum esse ipsasque vires physicas, omnemque mundi ornatum et pulchritudinem, vitam humanam robustam dedit et servavit. Huic electo generi auxilia infinita sive naturalia sive supernaturalia concessit. Donavit speciales gratias sacrosanctae Missae et Sacramentorum ; ineffabilia dona dedit sanctificationis et salutis aeternae. Plures gentes et plurima individua ad veram fidem perduxit. Complures veritates fundamentales per decreta Ecclesiae suae splendide promulgavit. Ac nominatim voluit Deus ut intra hoc ultimum saeculum definirentur dog-

mata Conceptionis Immaculatae Beatae Virginis Mariae, et Infallibilitatis Vicarii Jesu Christi.

« Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. » Sap. 11, 27.

II. *Mihi vitam* dedit animam meam creando. Gratiam fidei addidit, et vocationis ad sacerdotium.

Ipsi sum debitor humilis et pauper de omnibus et singulis gratiis vitae meae. Neque unquam oblivisci potero, quod adeo frequenter contulerit mihi gratiam plenissimae remissionis universorum peccatorum meorum.

De frequenti vel quotidiana refectione Corporis et Sanguinis Dominici, quid dicam ?

« Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ? » Ps. 115, 12.

III. Ego contra, *peccavi* et iterum peccavi. Saepe tepidus vel ignavus fui. In hoc tristi statu diu permansi. « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. » L. 5, 8

IV. *Gratias* agam Deo de benigna sua in me misericordia; et cum fiducia auxilium ab amantissimo meo Domino rogabo.

298. Quid infra annum efficere studuimus ?

Studuimus quidem :

I. Odium summum concipere *peccati lethalis*.

1. Peccatum enim lethale ingens malum est, privans nos solo bono vero, ac terribilem illam sententiam sibi adsciscens : « Discedite a me maledicti.» M. 25, 41.
2. Est odibile Deo. « Odio sunt Deo impius et impietas ejus. » Sap. 14, 9.

3. Peccator comparatur sui lotae in volutabre luti. » 2 P. 2, 22.

II. Summopere detestari et evitare delicta quae *venialia* dicuntur : « Si dixerimus quoniam peccata non habemus, ipsi nos seducimus. » 1 J. 1, 8.

Sunt enim sordes animae, imminutio amoris, debilitatio virium.

« Miserere Domine, quoniam infirmus sum. » Ps. 6, 3.

« Si vero contemnis ea quando appendis, expavesce quando numeras. » S. Augustinus.

III. Odisse constanter *triplicem inimicum* : —

1. mundum, qui nobis circumstat, et potenter allicit ;
2. diabolum, qui nobis malitiose insidiatur ;
3. carnem, quae dormit in sinu nostro.

IV. *Tria novissima* permultum timere, mortem malam, judicium adversum, infernum miserum ; *coelum* vero concupiscenti animo desiderare.

« Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. » Ps. 2. 11.

V. *Propriam infirmitatem* candide *agnoscere*.

« Qui confidit in corde suo, stultus est. » Prov. 28, 26.

« Beatus homo qui semper est pavidus. » ib. 14.

299. Quales infra annum fructus meditandi praesertim curavimus ?

Infra annum haec praesertim obtinere studuimus :

1. Magnam *vocationis* ecclesiasticae *aestimationem* : — *a*. in se, quoad eminentem sacerdotii dignitatem ;

b. quoad alios, in eo quod spectat opus animas Christo lucrandi ;

c. quoad meipsum, ut intelligam quid vocatio tanta a me exigat.

2. Sensum *grati animi* erga Deum propter innumera ejus in me beneficia.

«Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.» Is. 1, 2.

« In omnibus gratias agite. » 1 Thess. 5, 18.

« Gratias agentes semper pro omnibus. » Eph. 5, 20.

3. *Amorem Christi* sincerum:etenim contemplati sumus—

a. in vita sua, doctrinam, exemplum, mores ;

b. in passione, tam patientis teneretudinem, quam ipsius cruciatus acerbitatem, humilitatem denique et fortitudinem ;

c. in resurrectione, veritatem apparentiarum, triumphi gloriam, conversationis suavitatem, instructionis consolationem ;

d. in Sacratissimo Corde, symbolum verissimum amoris Dei hominis :

« Quis non amantem redamet ?
Quis non redemptus diligat ?
Et corde in isto seligat
Aeterna tabernacula ? »

4. *Beatam Virginem Mariam* venerari, ac maximam ejus fiduciam habere.

5. Desiderium *imitandi apostolos*, eorumque devotionem erga Magistrum ac studium digne sequendi ipsum fortitudine, sui abnegatione, et mundi contemptu.

6. *Fundamenta* vitae sacerdotalis immobiliter jacere, quae sunt : — Timor Dei judiciorumque ejus ;
Fides ipsius ;
Amor fiducialis Jesu Christi ;
Vera sui-ipsius cognitio.

300. In fine anni.

i. Imaginare, quantum valeas, Deum sedentem in aeterno suo throno.

ii. Pete sensum grati animi erga divinum benefactorem tuum.

I. **Gratiarum actio.**

1. pro *vitae* beneficio, pro salute et incolumitate, pro victu, domo, sociis, et pro omnibus beneficiis naturalibus : « Ipse dixit, et facta sunt. » Ps. 148, 5.
2. pro *dotibus* animae ; pro sensu (quo vales creaturas Dei conspicere), pro imaginatione (qua tot coelestia, tot facta vitae Christi, tibi repraesentare potes), pro intellectu (quo Deum, virtutemque cognoscere potuisti), pro voluntate (qua Deum diligere potes), pro libertate (qua aliquid ex te ipso Deo offerre vales) ;
3. pro *gratiis* innumeris ;
4. pro *sacramentis*, et maxime pro pœnitentia et eucharistia.

II. **Dolor.** Examina teipsum breviter circa lapsus et defectus anni praeteriti.

1. An sit aliquod peccatum *lethale* dolendum (quod absit)? Hoc sane vehementissime detestandum.
2. Quot et qualia fuerint peccata *venialia* plane deliberata ? Haec etiam maxima abominanda.
3. Quot *negligentiae* in sacris functionibus, in officio divino, in meditando, in orationibus generatim privatis, in rosario, in examine conscientiae, in susceptione sacramentorum pœnitentiae et corporis Domini ?

4. Quot adhuc in vita mea *imperfectiones* circa obedientiam, circa assiduitatem laborandi, ardorem amandi, renuntiationem terrenorum, humilitatem vel amorem crucis ?

III. **Proposita.**

Quid determinate obtinere volo anno sequente ?
Quemnam virtutis gradum attingere cupio ?
Quid superare constitui ?
An patris mei spiritualis hac de re consilium petii ?
An istud sincere volo, an potius tantummodo velleitatem nutris ?

301. Votorum baptismalium renovatio.

i. In memoriam revocabo pactum olim vice mea cum Deo initum a patrinis, quo hinc Deus mihi contulit dona et privilegia, promisitque gloriam coelestem, illinc vero plura ego ipsi spopondi.
ii. Pactum renovabo, et de bonis receptis gratias agam.

I. *Pactum.*

Quando ad Baptismum adductus fui —

1. *Fidem* postulavi, ut tandem consequerer vitam aeternam. Deinde subsecutum est statim monitum istud sacerdotis nomine Ecclesiae loquentis : « Si vis igitur ad vitam ingredi, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. »
2. Professus sum —
   a. *me credere* in Deum Creatorem, in sanctissimam Trinitatem, in Christum Redemptorem, in Ecclesiam, in sanctorum communionem, remissionem

peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam ;

b. *me renuntiare Satanae* cum omnibus operibus et pompis ejus, quae sunt peccata et vanitates mundanae.

Hanc tam fidei professionem quam Satanae renuntiationem nunc sincere ac ferventer reitero.

3. Voluntate mea, saltem interpretativa, baptismum recepi, quo Dei benignitate factus sum mundus a peccato, liber a diaboli potestate, Dei filius, membrum corporis Christi mystici, haeres regni aeterni.
4. Bis admonitus fui solemniter ut baptismum meum immaculate custodirem. Quod si candidam vestem ejus forte peccato deinceps foedavi, quoties Dominus clemens et pius mihi splendorem ejus innovavit, illam sanguine Filii sui abstergendo ?

II. *Honor et officium baptizati.*

« Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. » Gal. 3, 27.

« Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in æternum.» 1 P. 1, 23.

« Hæc vero si fideles sæpe meditati fuerint, primum quidem summam Dei bonitatem vehementer admirari cogentur, qui nihil tale merentibus, tam singulare et divinum baptismi beneficium sola sua misericordia adductus tribuit ; deinde, quum sibi ante oculos proponent, quam aliena esse debeat ab omni crimine eorum vita, qui tanto munere ornati sunt ; illud etiam in primis a christiano homine requiri facile intelligent, ut quotidie tam sancte et religiose traducere vitam studeant, perinde ac si ea ipsa die baptismi sacramentum et gratiam consequuti essent. » Cat. C. Trid. De Bapt. n. 41.

302. De quadruplici debito. [1]

i. Putasne, aliquis in vobis est, cui (tentator) dicat in cogitationibus suis : Cur praecepit vobis Deus, ut istam Regulam teneretis ?

ii. O si cognovisses et tu, quam multa et quam multis debeas, videres quam nihil sit quod facis, quam nec inter minima numerandum ad comparationem debitorum tuorum.

Vis scire quae et quibus debeas ?

1. *Totum te debes ut satisfacias* pro peccatis praeteritis. Quot sunt ? et quanta ? quoties eo deflevisti prout oportet ? qualem pro eis praestitisti satisfactionem ?

Exigunt a te praeterita peccata tua futuram vitam tuam, ut facias fructus dignos poenitentiae, et recogites omnes annos tuos in amaritudine animae tuae.

Quomodo satisfacies, cum cogeris reddere debitum usque ad novissimum quadrantem ?

2. *Totum te debes Creatori.* Deus Creator tuus est, tu creatura ; tu servus, ille Dominus ; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes ; illi praecipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi bona naturalia et supernaturalia tanta affluentia ministrat. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum.

3. *Totum te Redemptori debes.* Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua ; et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos susti-

---

1. Secundum S. Bernardum. Sermo 22, II, 2374.

neres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die aeternitatis suae, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor gloriae et figura substantiae Dei, venit ad carcerem tuum.

Collige omnes amaritudines Domini tui. Rememorare infantiam, labores, contumelias, dolores, crucem. O quam indebita miseratio, quam gratuita et sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo.

4. *Debes te totum futurae gloriae.* Puto quod et tu possidere desideras civitatem coelestem, regnum omnium saeculorum, vivere in aeternum, in perpetuas aeternitates. Cupis intueri vultum Dei, frui societate beata, audire melos angelicum. Nonne ad hoc emendum totum te, quaecumque, et undecumque contrahere poteris, dare oportebit ? Ut cum universa compleveris,non tamen putes esse condignas passiones hujus temporis vel corporis, ad futuram gloriamquae revelabitur in nobis.

303. In gratiarum actionem.

« Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum. » Ps. 118, 65.

Creatori, Domino, Redemptori et Consummatori, homo creatura gratias humillimas ex imo corde persolvere debet ; —

1. eo quod Deus semper fuit, et est, et erit, splendidus, beatissimus, sibique sufficientissimus :

«Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. »

2. eo quod Dei infinita fecunditas et exemplaritas me, anima et corpore constantem, ab aeterno inter possibilia locatum habuit :

3. eo quod Ipse hunc mundum elegit, et me existere statuit secundum adorabile beneplacitum suum :

4. eo quod me tandem existentem manibus divinis indesinenter sustentavit :

5. eo quod pia parentum tutela me circumdedit, et ad vitam novam gratiae coelestis cito transtulit,et angelum mihi custodem deputavit :

6. eo quod optimos, et religiosos et amabiles dedit amicos et socios :

7. eo quod me praesentia sua honoravit et sanctificavit, monitis et attractione sua me pedetentim post se deduxit :

8. eo quod suavissime ad amorem sui me allexit, et pio affectu me custodivit :

9. eo quod Ecclesiam, seu arcam salutis mihi fundavit et conservavit ; sanctos Patres, Doctores, sacerdotes, praedicatores, confessarios et moniales, magistros ac professores, viros nempe et feminas spiritu Dei plenos, suscitavit, quorum adjutorio ego pauper et indignus constanter frui potui :

10. eo quod ante plura jam saecula sanguinis sui effusione me redemit :

11. eo quod me dilexit sicut mater, immo sicut Deus, et Creator et Redemptor :

12. eo quod sanguinis sui lavacro frequenter me purificavit :

13. eo quod carnis suae et sanguinis Sacramento me continuo refecit : « Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ? »

304. In gratiarum actionem (2).

i. « Et eduxit me in latitudinem : salvum me fecit quoniam voluit me.

ii. « Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. » Ps. 17, 20. 21.

---

1. Gratias Domino ago, quia *similem me Filio* fecit ; —
   a. in privatione plurium solatiorum hujus mundi ;
   b. in labore munerum meorum ;
   c. in oppositione bonorum, et in inimicitiis contra me excitatis ;
   d in dolore corporis, et in agonia probationis spiritualis.

2. Summas ago illi gratias eo quod voluerit me *praedestinare*, si ego praedestinari velim. Volo profecto Domine ; et praedestina me ; trahe me ; deduc me ; compelle me ; fac ut amem te.

3. De omnibus *bonis et malis*, quae non sunt peccata, gratias effundo sine mensura et sine limite.

4. Me vocavit ad coetum electum ministrorum Dei. Statuit ut et ego essem *sacerdos* ex clero pastorali, ut orem pro populo, ut verbum amoris et reconciliationis annuntiarem, ut gratiarum canales ad animas hominum derivarem, ut Corpus et Sanguinem Christi conficerem.
   Vocavit me nempe ad munus illud mirificum quod nec usu minuitur, nec delicto amittitur, nec indignitate perimitur, nec aetate fastidit, sed decurrente vita magis splendet, suavius dulcescit, pium extorquet affectum, et mentis stuporem magis magisque excitat.

5. Si *tentatus* fuero, ipse adjutor in infirmitate.

Si *tristis* fuerim ; nonne nobis legavit Spiritum Consolatorem ?

Si *infirmus* sum, si saepe propono, et raro perficio, nonne magnus Paulus idem de seipso protestatus est ? Nonne Dominus plenissime perspexit exilem nostram naturam ; quae licet parva sit, tamen a Deo est et ad Deum progreditur.

6 Si non raro *deficio*, ipsum invocabo adjutorem.

« Diligam te Domine fortitudo mea : » Ps. 17, 2.

« Benedic anima mea Domino ; et noli oblivisci omnes retributiones ejus. » Ps. 102, 2.

305. In gratiarum actionem (3) [1].

Mi Pater dulcissime, ego ultimus servorum tuorum ex penitissimis animae meae medullis gratias ago pro sancta Jesu Christi Incarnatione, et nativitate, pro ejus paupertate et innocenti conversatione, pro ejus passione et morte, pro ejus resurrectione et ascensione, pro universis ejus documentis et operibus.

Gratias ago pro mysterio vivifici Corporis et Sanguinis illius quo in Ecclesia tua pascimur, abluimur, sanctificamur, et summae Divinitatis participes efficimur.

Gratias ago quod per ipsum regeneraveris nos in spem vivam.. adoptaveris nos in filios, signans mentes nostras Spiritu sancto, et donans nobis pignus haereditatis aeternae, — quod per ipsum feceris nos tibi genus electum, regale sacerdotium.

Gratias quam maximas ago tibi quod dederis mihi pretiosissimum donum fidei, revocaveris me a malo, — destinaveris me ad apostolatum, et media contuleris ad

1. Ex Op. Ludovici Blosii. Paradisus animae fidelis, c. 38, p. 35.

hanc sublimem vocationem exequendam, — quod me adjunxeris servis tuis fidelibus, opportunitatemque tibi serviendi concesseris :

quod cibaveris me ex thesauris doctrinae ecclesiasticae, et aperueris mihi fontes revelationis, —

quod infra hunc annum a pluribus malis liberaveris,

quod saepius spiritum dulcedinis infuderis,

quod gratia continua me repleveris,

quod suaviter ad tuum amorem deduxeris.

306. Pia precatio Ludovici Blosii.

O Domine Jesu Christe, conditor, redemptor, amator, et benefactor dulcissime, — qui pie ad te clamantes benigne exaudis, miserere mei invocantis te.

Purifica me, obsecro, per sanctissimam Incarnationem, Conversationem, et Passionem tuam ab omni peccato.

Dejice in me omnem superbiae altitudinem : disperde omnem arrogantiam ; confringe, et prorsus contere malam animi duritiem ac pervicaciam :

profliga pestilentes et a sincera dilectione alienas cordis amaritudines :

compesce turbulentos impatientiae motus ; reprime et praefoca ferinum iracundiae impetum ac furorem :

extirpa et extermina omnium pravarum cupiditatum.. vitiosam pruriginem...

Largire spiritum bonum, spiritum mitem et tranquillum :

Largire internam munditiem et libertatem.

Insere cordi meo affectus sinceros, et fervens te colendi desiderium :

---

1. Paradisus animae fidelis. Precatio VI, p. 55.

Insere rerum caducarum et omnium vanitatum, contemptum, ac patriae coelestis ardentem amorem.

Da veram humilitatem, mansuetudinem, et patientiam :...

Da mihi in omni rerum eventu plene in te sperare ac confidere : dona ut laudabilis voluntas tua... sit mihi semper pro summo solatio.

Doce, illumina, dirige, adjuva, et conserva me omni momento.

307. Laus tibi Domine.

i. Enitere laudis concentum imaginari, qui ab universa Ecclesia in coelo et in terris ad Deum ascendit.

ii. « Domine labia mea aperies ». Ps. 50, 17.

Laus Deo summo praestanda

1. ob ejus ineffabilem excellentiam ;
2. ob ejus infinitam dignitatem ;
3. ob supereminentia ejus in nos beneficia ;
4. quia gloria, sive laus Deo exhibenda est ipse finis proprius et ultimus universae creationis.

Hujus laudis actus vocantur et sunt : —

Agnitio : « Tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die. » Ps. 24, 5.

Confessio : « Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti. » Ps. 51, 11.

Benedictio : « Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis. » Eccl. 32, 17.

Exaltatio : « Exaltare Domine in virtute tua. » Ps. 20, 14.

Jubilatio : « Jubilate Deo in voce exultationis. » Ps. 46, 2.

Enarratio mirabilium : « Quis adjiciet enarrare misericordiam ejus ? » Eccli. 18, 4.

Glorificatio : « Viventem in sempiternum laudavi et glorificavi. » Dan. 4, 31.

Tibi ineffabili et incomprehensibili Deo, — uni secundum naturam, et trino secundum personas, (Deus ille admirabilis super omnia verba, imaginationem et intellectum, in tribus personis ubique et realissime adest.)

Domine : cujus, respectu creaturarum primum attributum est, quod earum sit absolutus possessor ; (Ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus. Non sumus nostri.)

Rex : « Tu es ipse rex meus. » Ps. 43, 5.

1. cujus est praeesse omnibus : « Dominus rex noster. »
   cujus est leges ferre pro universo : « Dominus legifer noster. »
   cujus est proemia largiri et punire ;
2. ipse « Rex regum, et Dominus dominantium. »
   ipse « Rex saeculorum, immortalis et invisibilis. »
   ipse « Rex gloriae. »

Aeternae (Frustra conamur hoc incommutabile attributum verbis nostris humillimis depingere : « A saeculo usque in saeculum respicit. » Eccli. 39, 25. Dicit etiam eadem sacra scriptura : « Mille annos ante oculos tuos tanquam dies hesterna quae praeteriit. » Ps. 89, 4.)

Gloriae, quae est majestatis, Dei praesentis effulgentia splendor et gratia incomparabilis, in qua luce habitant beati.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARS SECUNDA

DE VITA CHRISTI SALVATORIS.

Caput I. Praenuntiatio Redemptoris.

308. De Christo praenuntiato.

i. Humilis quum sim, ad coelestem curiam animo ascendam, ubi pro modulo meo contemplabor Spiritum Dei amore affectum erga lapsas suas creaturas sive bonas sive malas.
ii. Salvatoris laudabo benignitatem, adorabo majestatem, desiderabo beneficium. Ipsum advenientem salutabo, in ejus praesentia delectabor.

Patriarchae illum expectabant, in quo benedicendae fuerunt omnes nationes terrae. Gen. 18, 18.

« Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Is. 7, 14.

« Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus ADMIRABILIS, CONSILIARIUS, DEUS FORTIS, PATER FUTURI SÆCULI, PRINCEPS PACIS. » Is. 9, 6.

« Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

Et requiescet super eum Spiritus Domini... Et replebit eum spiritus timoris Domini... « Judicabit in justitia pauperes. » Is 11, 1-4

« Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae. » Is. 16, 1.

« Et tu, Bethlehem, Ephrata, parvulus es ex millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. » Mich. 5, 2

« Non auferetur sceptrum de Juda,... donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. » Gen. 49, 10.

« Veniet desideratus cunctis gentibus. » Agg. 2, 8.

« Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae. » Zach. 9, 9.

« Consolamini, consolamini, populе meus, dicit Deus vester...

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. « Is. 40, 1-3.

Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere... DEUS ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. » Is. 35, 4-5.

« Ecce Deus salvator meus... : factus est mihi in salutem. »

« Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris. » Is. 12, 2-3.

309. De convenientia incarnationis.

i. Tria stadia in immobili Dei aeternitate menti meae humano modo repraesentabo : —

a. silentium et pacem annorum infinitorum et aeternorum;

b. admirandum Dei consilium creaturas suae consortes beatitudinis constituendi ;

c. stupendum Dei amorem, quo Filius mittitur ut disruptum Dei opificium restauret.

ii. Dona admirationis, gaudii et grati animi supplex exposcam.

Haec nobis Incarnationis convenientiam vehementer commendant : —

I. *Bonitatis* summa manifestatio.

a. Nam incarnatio Verbi est bonitatis infinitae naturae nostrae intima communicatio. Est incomprehensibilis dulcedo benignitatis, et humanitatis exhibitio sublimis : « quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem. » S. Th. 3, q. 1, a. 1.

b. Quia Deus sine mensura bonus est, ideo illi summopere convenit haec divina prorsus sui nobiscum associatio. « Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis... Unde ad rationem Dei, utpote summi boni, pertinet quod summo modo se creaturae communicet. » ib.

c. Sicut in se impassibilis fuit Deus, ita passibilis factus est in carne nostra infirma, quam sibi univit propter salutem nostram. « In hoc apparuit caritas Dei in nobis. » 1 J. 4, 9.

« Quanto pro me vilior, tanto mihi carior. »

II. *Justitia* congruenter servata —

a. ratione solutionis debiti, quae plena est et adaequata ;

b. ratione justitiae manifestandae, cujus severitas et aequissima ratio cernuntur in pretio infinito, quod solvit Christus : in hoc etiam percipitur malitia peccati, ad quam abstergendam profluit sanguis Filii Dei.

III. *Misericordiae* manifestatio. Non enim Deus auctoritate delevit peccatum ; non angelus nos docuit, sed Deus Pater misit Filium unigenitum. Tantum bonum dedit, quo peccata penitus tollerentur. Culpas abstulit et justitiae satisfecit. Christus nobiscum manet, fons perpetuus amoris, expiationis, misericordiae.

310. De convenientia incarnationis (2). [1]

Opera Dei vere divina sunt, lata, profunda, sublimia, perfecta, captum nostrum superantia.

Consideranda est iterum incarnationis convenientia orta :

I. Ex *sapientia Dei* : —

1. nam unionis modum sublimissimum invenit Deus, quo sibi copulavit naturam humanam ; et « Verbum caro factum est. »
2. in hoc totam salutis oeconomiam mirifice disposuit, — salutem in ipso lapsu adumbrando, in patriarchis et prophetis distinctius patefaciendo, — pia suspiria excitando, — Matrem praeparando per immaculatam conceptionem, — in prodigio conceptus virginei, — in humili vita salvatoris, qua superbos conterere voluit, — in morte, qua vitam universis contulit « Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatae sunt. » Ps. 84, 11.

II. Ex *potentia Dei* : nam inter Dei mirabilia nihil majus inveniri potest, quam Deum fieri hominem ; descensus Dei quo nullus profundior, ascensus creaturae quo nullus altior ; et dum immutabilis in se manet, Filius fit homo mutabilis.

III. Ex congruentia *ad salutem nostram*: —

1. *fidem* confirmando ; Deus enim ipse ore humano ac sermone nostro nos erudivit ;
2. *spem* erigendo ; si propter me venit, vixit, mortuus est, quantum me diligit ? quantum mihi dabit ? Si

---

1. Secundum S. Th. III, q. 1, a 2

negligens fuero, nonne confitenti remittet ? si peccator, nonne poenitentis abluet delicta ? si vel pessime lapsus fuero, nonne venit ipse ut pessimos ad vitam duceret ?

3. *charitatem* excitando ; de qua S. Augustinus : « Si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. » De Cat. rud., c. iv.
4. ad *studium virtutis*, suo nos exemplo stimulando ;
5. conferendo nobis per Christi humanitatem « *plenam participationem divinitatis*, quae vera est hominis beatitudo et finis humanae vitae, et hoc collatum est nobis per Christi humanitatem ; » ut dicit S. Aug. « Factus est Deus homo ut homo fieret Deus. » Sermo. De tempore, 13, n. 1. M. 5, 1997.

311. Amor patris in opere incarnationis.

i. Jesum Deum hominem oculis proponam, fastigium divini in nos amoris, verbis illis declarantem : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » J. 3, 16.

ii. Enixe petam donum amoris et fidei.

Sic (adeo vehementer, tanta aestimatione, licet alios complures melioresque ad gloriam suam potuisset creare)

Deus (aeterna majestas, nullius egens, conditor nostri)

dilexit (affectu interno, reali, ineffabili, aeterno, vere divino)

mundum, (qui tanquam nihil est in conspectu ejus ; qui perversus extiterat, et futurus erat ingratus,— infimus in ordine entium rationalium, superbus, et inimicus ; attamen Deus vult eum tractare tanquam prolem suam nimis dilectam ;)

ut Filium suum (non unum e summis et electis angelis, non novam ad id specialiter conditam creaturam, non hominem sublimi gratiarum ornatu elevatum, sed Filium, Filium proprium, Filium paternae dilectionis, aeternum, Patri coaequalem)
unigenitum (en alius amoris titulus et signum)
daret : (in manus nostros usumque traderet : —

1. in socium, doctorem, rectorem, redemptorem, fratrem, judicem ; in exemplum, in pretium, in cibum, in sacrificium, in ablutionem peccatorum, in thesaurum perennem et inexhaustum ;

2. ad angustias uteri materni, ad incommoda et imbecillitatem infantiae, ad egestatem, labores, contemptum, ad alapas, sputa, flagella, spinas, ad infamiam peccatorum subeundam, ad ignominiam et mortem crudelissimam, ad inhonorationem in SS. Sacramento, ad amicorum negligentiam et ingratitudinem ;)

ut omnis, (neminem a bonitatis suae amplexu arcebit ;)
qui credit (haec unica conditio, salutarem doctrinam magistri suavissimi recipere et exsequi ;)
in ipsum, (Requiram a me, — qualis et quantus Christus meus ?)
non pereat, (Hic fructus misericordiae, ne in justum supplicium incidamus.)
sed habeat vitam aeternam (ut nempe vitae hujus metam attingat, ubi cordis desideria securus obtinebit).

312. Isaias Christum praeclare annuntiat. [1]

« Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis. » Is. 9, 6.

1. Sermo S. Thomae in festo Nativitatis

Videamus cujusmodi parvulus natus sit nobis.

1. Admirabilis : « et vocabitur nomen ejus admirabilis. » Is. c.
   Amabilis..... quia consiliarius.
   Ineffabilis.. quia Deus.
   Formidabilis.. quia fortis.
   Venerabilis.. quia Pater futuri saeculi.
   Desiderabilis.. quia Princeps pacis.

2. Quod sit admirabilis annuntiant coeli stellam emittendo, angeli laudando, pastores quae viderant enarrando, Magi adorando.
   Idem cernitur in eo quod :
   a. Creator nascitur ;
   b. virginitas in partu non est perdita ;
   c. homines stupenda ista credunt.

3. Amabilis est propter bonitatem :
   a. ex sui effusione ; « Verbum caro factum est. » J. 1, 14.
   b. ex benignitatis ostensione ; « Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. » Tit. 3, 4.
   c. ex optimorum adductione, nimirum, scientiae, gratiae, gloriae ; « Et vidimus gloriam ejus... plenum gratiae et veritatis. » J. 1, 14.

4. Ineffabilis :
   a. propter aeternitatem : « In principio erat Verbum. » J. 1, 1.
   b. propter aequalitatem cum Patre : « Verbum erat apud Deum. » ib.
   c. propter divinitatem : « Et Deus erat Verbum. » ib.

5. Venerabilis :
   a quia omnium Creator : «.. per quem fecit et saecula. » Heb. 1, 2.
   b. quia omnium gubernator : «.. portans omnia verbo virtutis suae. » ib. 13.

c. quia omnium recreator : «.. purgationem peccatorum faciens. » ib. 3.

6. Desiderabilis : propter speciositatem :
« Splendor gloriae, et figura substantiae ejus » ib. 3.
« Speciosus forma prae filiis hominum. » Ps. 44, 3.

313. Antiphona « O Sapientia. »

i. Cogita ardentiores impulsus reverentiæ et amoris, quibus per universam Ecclesiam saltem latinam series antiphonarum majorum inchoatur.
ii. Petam spiritum pium expectationis Domini Salvatoris.

---

1. **Titulus** : —
O SAPIENTIA, (Intelligitur hic sapientia increata [Verbum divinum], quam « Dominus possedit in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. » Prov. 8, 22.
« Omnium artifex sapientia. » Sap. 7, 21.
Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Idem est Jesus, « qui factus est nobis sapientia a Deo, justitia, sanctificatio et redemptio. » 1 C. 1, 30.)

2. **Attributa** : —
quae ex ore Altissimi prodiisti, (Eccli. 24, 5. « Vapor est virtutis Dei, et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera. Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. » Sap. 7, 26. « Splendor est gloriæ Dei. » Heb. 1, 6. De seipso testatur Christus : « Sic enim Pater dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret etc.» J. 3, 16 ; et iterum « Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. J. 16, 28. »)

attingens a fine usque ad finem, (Sap. 8, 1. Sub uno mentis obtuitu proponantur generis nostri lapsus, quem statim secuta est misericors restaurationis promissio per plura deinceps sæcula saepius iterata, redemptoris Emmanuel in plenitudine temporis apparentia benigna, ingentis denique debiti nostri solutio in cruce facta a Filio Dei, qui e terris in coelestia recedens, semetipsum in amoris Sacramento legavit.)

fortiter suaviterque disponens omnia : (Sap. ib. quoad plenitudem temporis quando apparuit Salvator, quoad locum nativitatis, vocationem regum, fugam in Aegyptum, — quoad exemplum suum, praedicationem, mortem et triumphum ; quae omnia per prophetas praenuntiata fuerant :)

3. **Petitio :** —

veni (ardentissimum sit desiderium nostrum)

ad docendum nos (Intus nos illuminat ; exterius nos docet per vitam, praedicationem, miracula. « Ego sum lux mundi : qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. » J. 8, 12.)

viam prudentiae (ut bene intelligamus finem omnis humanae actionis, scilicet beatitudinem, et media adhibenda, virtutes nempe, ut vitiis moriamur, et Christo vivamus).

314. Antiphona « O Adonai. »

i. Mente repraesentabo mihi suspiria sanctorum veteris testamenti, patriarcharum, regum, prophetarum, sacerdotum et piorum generatim.

ii. Postulabo fervida expectationis sensa.

1. **Titulus : —**

O ADONAI, (« Ecce Adonai, Jahve, in fortitudine veniet. »

« Parate viam Jahve. » Is. 40, 3, 10. « Vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Is. 7, 14.

« Dixit Dominus Domino meo » Ps. 109, 1.

« Deus ipse veniet, et salvabit nos.» Is. 35, 4.)

2. **Attributa : —**

Et Dux domus Israël, (Dominus solus dux fuit Israel ; Deut. 32, 12 ; dux itineris, — dux sapientiae. « Ex te (Bethlehem) exiet dux, qui regat populum meum Israel. » M. 2, 6. « Et regnabit in domo Jacob in aeternum. » L. 1, 32.)

qui Moysi in igne flammae rubi apparuisti, (Deus patris tui, Deus Abraham, Deus « Jahve. » Exod. 3, 6, 15.)

et ei in Sina legem dedisti : (Inter tonitrua, fulgura, nubes, fumum, clangorem buccinae ; eratque omnis mons terribilis, ita ut diceret populus : « Loquere tu (Moyses) nobis... non loquatur nobis Deus, ne moriamur.» Exod. 20, 19.)

3. **Petitio : —**

Veni (« Misericors et clemens, patiens et multae miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia : qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata. » Exod. 34, 6-7.

Veni, quia eris nobiscum Deus, pauper, humilis, obediens, benignus).

ad redimendum nos (sicut praenuntiatum est : « Vulneratus est propter iniquitates nostras ; — disciplina pacis nostrae super eum ; — et posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. » Is. 53, 5-6. « Dedit redemptionem seipsum pro omnibus. » 1 T. 2, 6.)

in brachio extento (sicut Israelitas ex Aegypto eduxit. Animum ipse nobis addit : « Confidite, ego vici mundum. » J. 16, 33.)

315. Antiphona « O radix Jesse. »

i Repraesenta tibi Christum in omnibus humilem aspectu, ita ut a suis tanquam Messias non fuit agnitus.
ii Ut sensus Christi tibi concedatur supplex efflagita.

---

1. **Titulus** : —

O RADIX JESSE, (Christus oriturus praedicitur ex humiliata stirpe Davidica, cujus familia oblivione tunc quasi sepulta fuit. Christus ortu non celebris, in externis bonis haud inclytus, mirifice donis ornatus est divinis. Rex erit, abdita cordis judicabit, fortissimus erit, quia « percutiet terram virga oris sui.» Is. 11, 1, 4.)

2. **Attributa** : —

qui stas in signum populorum, (Rex humilis mundum sibi acquiret ; corda hominum ad se potenter rapiet. Ipse vexillum crucis explicabit.

Ipse centrum, typus, rector rerum humanarum.)

super quem continebunt reges os suum, (Is. 52, 15 ; nec loqui audebunt in conspectu ejus ob reverentiam divinitatis, ob admirationem sanctitatis et potestatis inauditae ;)

quem gentes deprecabuntur : (Is. 11, 10.)

3. **Petitio** : —

Veni (« Utinam dirumperes coelos, et descenderes, a facie tua montes defluerent. » Is. 64, 1.)

ad liberandum nos, (« Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. » Is. 31, 5. Homines liberabit a peccato, a servitute et a morte.)

jam noli tardare (« Pater noster es tu.. nos vero lutum ; et fictor noster tu... Ecce respice, populus tuus omnes nos. » Is. 64, 8, 9).

316. Antiphona » O clavis David. »

i. Gloriam Christi regis in excelsis imaginabor.
ii. Petam fiduciam regis mei Jesu Christi.

---

1. **Titulus : —**
O CLAVIS DAVID, (Christus regiam Davidis stirpem eriget in regnum spirituale et aeternum. Potestatem summam cœlestem ac terrestrem habebit.« Sanctus et verus qui habet clavem David. Ap. 3, 7.)

2. **Attributa : —**
et sceptrum domus Israel ; (qui instaurabit novum regnum, cujus regnum Davidicum non fuit nisi typus; « Et fatcus est principatus super humerum ejus.» Is. 9, 6 ; « et regnabit in domo Jacob in aeternum. » L. 1, 32.)
qui aperis, et nemo claudit ; claudis, et nemo aperit : (Is. 22, 22 ; « et habeo claves mortis et inferni » Ap. 1, 18.
« Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » M. 28, 18.
Ipse sententiam ultimam pronuntiabit in bonos et malos. Ipse tanquam rex regum in cœlis triumphabit.)

3. **Petitio : —**
Veni, (cum potestate, misericordia, amore)
et educ vinctum de domo carceris (« Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae... Ut diceres his qui vincti sunt : Exite : et his, qui in tenebris : Revelamini. » Is. 49, 6. 9.)
sedentem in tenebris, (« Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. » Is. 9, 2).

et umbra mortis. (Intelligitur mors servitutis, vitae mundanae, ignorantiae, peccati. Efflagitatur Messias ut veniat et sit omnibus « matutina lux. » Is. 8, 20).

317. Antiphona « O Oriens. »

i. Depinge tibi mundum antiquum vitiis et ignorantiae tenebris immersum.
ii. Lumen Christi demisse roga.

1. **Titulus** : —

O ORIENS, (« Dedi te in lucem gentium. » Is. 42, 6. « Eritque tibi Dominus in lucem sempiternam. » Is. 60, 19.

Sic orabis : Esto et mihi aurora novae vitae. Esto spes et fiducia. Esto mihi in hoc caliginoso mundo dulcis splendor solis matutini. Da videre spriritualiter.)

2. **Attributa** : —

splendor lucis aeternae, (« Splendor gloriae, et figura substantiae ejus (Dei). » Heb. 1, 3.

Ipse « lux vera. » J. 1, 9. « Lux mundi. » J. 8, 12. Ipse nobis doctrina, gratia, exultatio et beatitudo.)

et sol justitiae : (« Et justitia oriatur simul. » Is. 45, 8. Est enim fons sanctitatis ; in ipso plenitudo sanctitatis divinae inhabitat corporaliter. Corpus et anima Christi sanctissima fuerunt. Ipse proprie Sanctus sanctorum, de quo Virgini Mariae dictum est : « nascetur ex te Sanctum.» L. 1, 35 ; item : « quem Pater sanctificavit, et misit in mundum.» J. 10, 36 ; et « nos efficimur justitia Dei in ipso. » 2 C. 5, 21. Solis est illustrare, calefacere, vivificare, purificare, laetificare. Domine ista mihi praesta.)

3. **Petitio : —**

Veni (« Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum. » Is. 45, 8) *et illumina* (L. 1, 79. « Tu illuminatio mea. » Ps. 26, 1.

Ipse via, veritas et vita. J. 14, 6 ; « Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. » J. 8, 12. « Lucerna ejus est Agnus. » Ap. 21, 23.)

sedentes in tenebris, (i. e. in ignorantia et privatione gratiae)

et umbra mortis. (Mors est peccati, alienationis a Deo, socordiae, mundanorum affectuum. Quid magis proprium aetati nostrae ? Viri periti tot viderunt et invenerunt, sed quod summum est, quamvis quodammodo cupiunt, non percipiunt. Oculi squamis sunt obducti).

318. Antiphona « O Rex gentium. »

i. Mente describe coetum grandem Christifidelium in terris et in coelo.

ii. Donum fidelitatis in Christum caput Ecclesiae studiose petas.

---

1. **Titulus : —**

O REX GENTIUM, (Is. 11. ortu humilis, — gratiis et donis septenariis plenissimus, — in corda hominum perspicacissimus, — erga humiles et simplices benignissimus, — fortissimus, quia « percutiet terram virga oris sui. » ib. 4 ; sanctissimus, — « et erit justitia cingulum lumborum ejus,et fides cinctorium renum ejus.» ib. 5 ;)

2. **Attributa : —**

et desideratus earum, (quem tot homines sancti adeo

diligunt, — qui nobis est carissimus et familiarissimus)

lapisque angularis, (« *lapis*, » quia fundamentum ; « lapis *vivus*, » quia Dominus vivus, et fons vitae omnis ; « lapis *angularis*, » quia firmissimo vinculo influxus sui, fundamenta et structuram Ecclesiae continet)

qui facis utraque unum : (Eph. 2, 14. i. e. Judaeos et gentes una fide sociat ;)

3. **Petitio** : —

Veni (« Da mercedem, Domine, sustinentibus te, » Eccli. 36, 18.)

et salva hominem, (« Consolabitur ergo Dominus Sion.. et ponet desertum ejus quasi delicias... Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. » Is. 51, 3.)

quem de limo formasti (« Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt.. Ego, ego ipse consolabor vos. etc. » Is. 51, 11 sqq.).

319. Antiphona « O Emmanuel. »

i. Christum cum sanctis suis in gloria coelesti mente repraesentabo.

ii. Reverentiae et amoris gratias petam.

---

1. **Titulus** : —

O EMMANUEL, (O nomen sublime ! O nomen amoris ! « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Is. 7, 14. « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus

est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus, *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* » Is. 9, 6. « Et requiescet super eum Spiritus Domini :.. et replebit eum spiritus timoris Domini. » Is. 11, 2. 3.)

2. **Attributa** : —

rex et legifer noster, (« Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. » Is. 33, 22.)

exspectatio gentium, (Gen. 49, 10. Quem ab initio gentes incipiebant expectare, — quem justi reverebantur, — qui futurus esse praenuntiabatur « reverentia gentium. »)

et Salvator earum : (« Propter Sion non tacebo,... donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. » Is. 62, 1.

« Ecce Salvator tuus veniet : ecce merces ejus cum eo. » ib. 11.

« Et vocabunt eos : Populus sanctus, redempti a Domino. » ib. 12.

« Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator. » Zach. 9, 9.)

3. **Petitio** : —

Veni (« Emitte Agnum dominatorem terrae. » Is. 16, 1. « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Is. 45, 8.)

ad salvandum nos (« Et sciet omnis caro quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. » Is. 49, 26.

« Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. » Is. 63, 1.)

DOMINE, DEUS NOSTER.

320. Christus jam jam advenit.

i. Nuntium Ecclesiae universalis auscultabo dicentem :
« Hodie scietis quia veniet Dominus : (Introitus) et mane videbitis gloriam ejus. » Exod. 16, 7.
ii. Rogabo divinum praesidium, ut ad adventum magni regis domum mentis et cordis valeas apte praeparare.

I. *Hodie scietis quia veniet Dominus, et salvabit nos :*
Hodie indesinenter parvulum expectamus ; socios habemus Simeonem et Annam, Zachariam et Elizabeth, Josephum et Mariam, angelos coelestes, Jesum ipsum in matris utero latentem.
Quicunque igitur Christum diligunt, ipsum hodie ardenter expectant.

II. *et mane videbitis gloriam ejus* :
Cras adveniet « desideratus, » « expectatio gentium, » « sapientia, adonai, et rex qui potestatem habet illimitatam misericordiae, salutis, gratiae. Quapropter : — *Sursum corda.* Da mihi, Domine, cor nobile, ut ad tantae bonitatis fastigium affectu convenienti valeam quadamtenus ascendere.
Dilata cor meum. Infunde amorem.

III. *Sanctificamini hodie* : (Josue 3, 5.)
a. accessu ad Deum, recessu a nugis ;
b. susceptione humili sacramenti reconciliationis ;
c. amore Dei, et conformitate ad divinam voluntatem :
et estote parati : ib. —
a. tranquilla cordis recollectione ;
b. laeta expectatione, et desiderio possidendi beneficia divina ;
c. spiritu gaudii et grati animi.

321. In vigilia nativitatis Domini [1].

i. Verba pronuntiabo Martyrologii : « Jesus Christus filius Dei nascitur in Bethlehem Judae. »
ii. Petam donum gaudii spiritualis.

I. Sonuit vox laetitiae in terra nostra, vox exsultationis et salutis in tabernaculis peccatorum.

Auditum est verbum bonum, verbum consolatorium, sermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione.

Jubilate ; obstupescite ; laudate.

O breve verbum de verbo abbreviato, sed coeleste suavitate refertum.

II. « *Nascitur.* » O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus, investigabilis angelis ipsis, admirabilis novitate. Conceptus virgineus, partus sine dolore, pudore vel corruptione. « Generationem ejus quis enarrabit ? » Is. 53. 8. Angelus nuntiat, virtus obumbrat Altissimi, supervenit Spiritus ; virgo credit, fide concipit virgo, parturit virgo, manet virgo. Nascitur Altissimi Filius, Deus de Deo.

III. Nascitur

1. *Jesus* cum salute (venit enim salvum facere quod perierat) ;
2. *Christus* cum unctione ; contritos corde sanat unctione misericordiae suae. « Sana me Domine, et sanabor ; salvum me fac, et salvus ero. » Jer. 17, 14.
3. *Filius* cum haereditate et gloria. Ad nos enim descendit, ut regni sui nos faceret cohaeredes.

---

1 S. Bernardus. Sermo I. in Vigilia Nativitatis Domini. II, 1706.

IV. « *In Bethlehem.* » Non in civitate regia,sed in oppidulo minimo. In coelis habuit gloriam, splendorem, divitias, sed ibi paupertas non inveniebatur ; in terris superabundabat, et nesciebat homo pretium ejus.

Bethlehem, « domus panis » Christus panis noster. Curabo ut etsi non digna, certe omni qua possum devotione suscipiam panem illum, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo.

V. « *Judae,* » cui facta est repromissio. Ex Juda venturus erat ille, qui erat expectatio gentium. Christus leo de tribu Juda.

Caput II. De Infantia Salvatoris.

322. Christus apparuit nobis (1).[1]

1. « Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit : et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio. » L. 2, 7.

2. Verba evangelistae reverenter accipe tanquam thesaurum pretiosissimum. Nuntium illud suscipe cum admiratione, amore, gratiarum actione.

3. Cogita Mariam et Josephum adorantes infantem ; deinde respice rudes simplicesque pastores, qui primi invitati fuerunt.

4. « Vade nunc et tu ad videndum Verbum pro te caro factum, et genibus flexis adora Dominum Deum tuum ; matrem ejus honora ; S. Josephum saluta.

5. Deinde osculare pedes pueri Jesu, et roga Dominam ut eum tibi porrigat. Accipe ergo eum ad te, et inter brachia retine. Intuearis faciem ejus diligenter ac reverenter deosculare, et delecteris in eo ex corde.

Confidenter haec facere potes, quia (i) pro salute eorum venit ad peccatores ; et (ii) cum eis humiliter conversatus est ; et tandem se eis in cibum dimisit.

Unde benignus Dominus patienter permittit pro tuo velle se tangi, nec imputabit praesumptioni, sed amori.

---

1. Ludov. de Saxonia, Vita Jesu Christi, c. ix, p. 44.

Semper tamen cum reverentia et timore hoc facias, quia Ipse Sanctus sanctorum est.

6. Post ea redde ipsum matri suae, et conspice studiose quam diligenter et sapienter eum lactet et gubernet, ac cetera obsequia ei faciat.

7. In his delectari, jucundari, et sedulo meditari memento, et quantum potes sta familiaris Dominae et puero Jesu, et intuearis faciem ejus saepe, in quem desiderant Angeli conspicere. Sed, ut dictum est, cum reverentia et timore... reputare enim te debes indignum in conversatione talium et tantorum. »

323. Canticum laudis Christi salvatoris (Is. 12.)

i. Repraesentabo mihi adventum Magni Regis diu desiderati, qui nobis est DEUS, et LEGIFER et SALVATOR.
ii. Fervidum gratitudinis sensum petam.

« Et dices in die illa : —
1. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me.

2. Ecce DEUS : SALVATOR MEUS,
Fiducialiter agam, et non timebo : quia fortitudo mea, — et laus mea Dominus, — et factus est mihi in salutem.

3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus SALVATORIS.
Et dicetis in die illa : —

4. Confitemini Domino, — et invocate nomen ejus : —
notas facite in populo adinventiones ejus :
mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

5. Cantate Domino quoniam *magnifice* fecit : annuntiate hoc in universa terra.

6. Exulta et lauda, habitatio Sion : quia MAGNUS IN MEDIO TUI SANCTUS ISRAEL.

324. Pia Jesu salutatio.

i. Stabulum nativitatis mente depinge.

ii. Pete ut diligas Salvatorem amore valido, supremo, et tenero.

Jesum saluta reverenter appellando eum nominibus suis gloriosis : —

1. O Sapientia. O Adonai. O Deus. O Radix Jesse. O Clavis David. O Oriens. O Emmanuel.

2. *O Rex gentium.*

« Ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator. » Zach. 9, 9.

« Dabo tibi gentes haereditatem tuam. » Ps. 2, 8.

« Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominantium est, et Rex regum. » Ap. 17, 14.

3. *Filius Dei* est.

« Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Ps. 2, 7.

« Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » M. 3, 17.

« Tu es Christus, Filius Dei vivi. » M. 16, 16.

« Deus Salvator noster. » Tit. 2, 11.

« Splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae. » Heb. 1, 3.

« Super omnia Deus benedictus in saecula. » R. 9, 5.

Verbum quod in principio erat apud Deum... quod

erat Deus.. quod in tempore « caro factum est. » J. 1.
« Ego sum primus et novissimus. » Ap. 1, 17.

4. Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Is. 9, 6.
« Sanctum.» « Dominus justus noster.» L. 1, 35 ; Jer. 23, 6.
« Cum autem apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei : » Tit. 3, 4.

5. *Filius hominis*. Lux vera. Lumen mundi. Ostium. Bonus pastor. Via. Veritas. Vita. Panis vitae.
« Nil canitur suavius ; nil auditur jucundius.
Nil cogitatur dulcius, quam JESUS DEI FILIUS. »

325. Cur venerit Christus.

i. Praesepe Domini iterum ob oculos mentis propone.
ii. A divino infante pete donum intellectus.

I. Jesus igitur in mundum hunc terrestrem venit, ut nobis sit : —
1. *Salvator*, ut delicta tollat, ut vulnera nostra sanet, ut vitam totam restauret. « Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Heb. 4, 16.
2. *Justitia*, ut per ipsum sanctificemur ; ut per ipsum et in ipso vivamus et crescamus. Non nostris itaque viribus, sed Christo in omnibus innitamur.
3. *Lux*, ut ignorantiae caliginem depellat ; ut plenitudine veritatis suae mentes nostras illuminet ; « Illuminabit te Christus. » Eph. 5, 14.
4. *Dux*, universo mundo imperat Christus ; viam

salutis auctoritate sua constituit ; ait enim : « Discite a me : sequere me : venite post me : ego sum via, veritas, et vita. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. » L. 10, 16 « Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. » J. 8, 12.

« Per tuas semitas, duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas. »

5. Venit insuper, ut *totus fiat nobis :*

« Parvulus.. natus est nobis, et filius datus est nobis. » Is. 9, 6.

« Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator. » Zach. 9, 9.

« Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : « Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Jesus. » L. 2, 10, 11

« Ecce in manibus meis descripsi te. » Is. 49, 16.

« Factus est nobis sapientia a Deo, et justificatio, et sanctificatio, et redemptio. » I C. 1, 30.

« Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. » Ap. 1, 5, 6.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. » Ap. 21, 3.

« Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare. » Heb. 2, 11.

II. Quid ego pro Christo meo feci ?

Gradus in opere salutis sunt : —

1. evitare peccatum ;
2. evitare negligentiam omnem ;
3. declinare imperfectiones ;
4. virtutes colere.

326. Nativitas Domini contemplata.

1. **Domicilium**. Bethlehem cum suis incolis et hospitibus. Stabulum vel specus obscura et incommoda.

2. **Adjuncta** : (temporis) Nox : « Dum medium silentium teneret omnia. »
   " (tempestatis) Frigus ;
   " (habitaculi) Defectus supellectilis, ciborum, et omnis commodi. Animalia porro bruta ibi reclusa fuerunt.

3. **Personae**. Infans divinus, Verbum caro factum. Maria immaculata, virgo perpetua, Mater Dei, — opus vere singulare divinae artis. Joseph, custos familiae sanctae, et sponsus dignus Maria, a Deo dotibus illis ornatus, quae patrem nutritium Filii sui decerent.

4. **Verba.** Joseph, Maria, et parvulus silent.

5. **Actiones.** Frustra *Joseph* et Maria quaesierant habitaculum conveniens, neque enim erat eis locus in diversorio. Abierunt tristes in stabulum seu specum quamdam naturalem prope oppidulum, pecorum et pastorum refugium. Media nocte *Maria* peperit Filium suum unigenitum, pannis eum involvit, et reclinavit in praesepio.

   Infantulum conspicio vagientem et lachrymas fundentem, dum interius se suasque poenas omnes in redemptionem nostram offert.

   Beata virgo sese prosternit ante Filium suum.

   Angeli invisibiliter circumstant, et factum obstupescentes admirantur.

   In Jesu, Maria et Joseph, video seu intelligo actus paupertatis, patientiae, humilitatis, sacrificii, caritatis.

327. Pastores vigilantes.

1. **Locus**. Prope vicum Bethlehem. Silent turbae et agri. Media nox est, et frigescit.

2. **Personae**.
Pastores (ut fertur) tres, pauperes, humilis valde conditionis, rudes.
Angelus, qui gaudium magnum nuntiavit.
Multitudo militiae coelestis, quae laudabat Dominum.

3. **Verba** : —
1. Angeli. «Nolite timere/: ecce enim evangelizo vobis/ gaudium magnum/, quod erit omni populo/ : quia natus est vobis hodie/ Salvator/, qui est Christus Dominus/ in civitate David/. Et hoc erit vobis signum/ ; invenietis infantem pannis involutum/, et positum in praesepio. » L. 2, 10-12.
Mel sugamus ex dulcissimis illis verbis ; nostra enim sunt omnia.
2. Multitudinis angelorum. « Gloria in altissimis Deo/, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. » ib. 14.
Nosmetipsos cum illis sociemus.
3. Pastorum. « Transeamus usque Bethlehem/ et videamus hoc verbum/ quod factum est/, quod Dominus ostendit nobis. » ib. 15.
Idem et nos faciamus, gaudentes, gratias agentes, admirantes, dolentes.

4. **Actiones** : —
1. Pastores in propriis praediis vigilabant, custodientes vigilias noctis super gregem suum.
2. Angelus Dei stetit juxta illos : gloria Dei circumfulsit illos.

3. Multitudo coelestis Deo cantabat.

5. **Notanda** : —

a. Angelus humilibus, pauperibus laborantibus sese manifestavit.

b. Pastores audiunt verba, exsequuntur monitum, veniunt festinantes.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

328. Quid invenerunt pastores ?

i. « Et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in praesepio. » L. 2, 16.

ii. Agnosco me in omnibus a Deo dependere, et gratiam orationis fructuosae humiliter petam.

In narratione S. Lucae haec sunt perpendenda : —

1. Summum praemium adepti sunt pastores ;

2. Deus bona elargitur pie et assidue quaerentibus ; in misera et foetida spelunca, invenerunt Mariam et Joseph maxima cum reverentia infanti servientes ;

3. Veritatem nuntii angelici agnoverunt, et illuminati sunt ut Christum natum crederent et adorarent, et Redemptori gratias agerent.

4. Jesus autem ex cathedra praesepii meipsum alloquitur, factis non verbis : —

a. Me docet quanti sit aestimanda rerum *paupertas*, quam ipse elegit ; rerum praeterea eventus ita disposuit, ut non modo paupertatem, sed et paupertatis incommoda et privationes plurimum persentiret dum nascebatur.

b. Me docet *humilitatem*. Potentes evitavit, — honorem fugit, — majestatem velavit, — sapientiam occultavit,

infans factus est ; dormit, vagit ut infans ; ut infans matris ubera sugere dignatus est ; ipse exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Phil. 2, 7.

c. Me docet *patientiam*. Pertulit opprobria facta in matrem gravidam, et in pium Joseph, foetorem bestiarum; speluncam pro domo habuit, stabulum ventis et pluviae patens ; praesepe durum pro lectulo, paleas pro strato, pannos pro fasciis et stragulo, frigidum noctis aërem pro camera calefacta.

329. De Christi nascentis paupertate.

i. Iterum ob oculos proponam locum nativitatis.
ii. Ut indies magis Christo similis evadam, enixe rogabo.

— —

I. **Locus.** Domus non fuit, nec tugurium, neque cubiculum, neque diversorium, sed stabulum, immo merum pecorum suffugium.

Cunabula praesepe ; lectulus stramina ; vestimenta et stragulum panni.

Ego delicatus miles tot rebus indigeo. Centena commoda ad manus habeo. Camera mea non tantum necessariis instruitur, sed et superfluis multis exornatur. Et forsan anima mea a simplicitate Salvatoris abhorret.

II. **Comitatus.** Humilis virgo, faber lignarius, rudes illi pastores, qui apti tantum fuerunt ad vigilias noctis servandas ; isti glorioso angeli ministerio initiati sunt. Bos denique et asinus.

III. **Penuriam** istam infans divinus distinctissime novit, persensitque, et liberrime acceptavit, immo et ordinavit.

Hoc suo exemplo stupendo non modo superfluorum carentiam et abnegationem honestavit, verum etiam necessariorum quorundam privationem commendavit.

Venit enim ut vinceret mundum, haud vero ut bona a mundo mutuaretur.

Venit ut duceret nos ad coelestia, non ut amorem mundanorum exemplo suo nos doceret.

Docet quod divitiae et commoda saeculi non sint comparanda cum thesauris haereditatis aeternae.

330. Christus manifestatur gentibus (Contemplatio).

1. **Locus.**
   a. Domus sive a S. Joseph conducta, sive in qua cum alia honesta quadam familia habitat.
   b. Jerusalem, quo primo venerunt Magi ad consulendum Herodem et sacerdotes.

2. **Personae.**
   Herodes, rex impius et crudelis.
   Magi, tres sapientes et religiosi viri, gentiles, reges vel reguli Arabici.
   Principes sacerdotum.
   Jesus parvulus. Maria mater ejus. S. Joseph.

3. **Verba** : —
   a. Non scripta, quibus 1. Magi, collocuti sunt inter se de Expectatione cunctarum gentium; quibus 2. principes sacerdotum acriter inter se disputabant de circumstantiis adventus Messiae mox venturi ; quibus 3. usi sunt inter se et cum divina prole Maria et Joseph.

b. *Scripta* : —

« Ubi est qui natus est rex Judaeorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum ». M. 2, 2.

Herodes inquirit de loco nativitatis

Sacerdotum responsio : « In Bethlehem Judae : sic enim scriptum est per prophetam : Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. » ib. 5, 6.

Herodes : « Ite, et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. » ib. 8.

Responsum datum est Magis in somnis « ne redirent ad Herodem. » ib. 12.

4. **Actiones** : —

a. Iter a Magis institutum, ipso fortasse nativitatis die.
b. Magorum inquisitio ab auctoritate competente circa locum nativitatis.
c. Perturbatio regis et urbis totius.
d. Herodis inquisitio a sacerdotibus.
e. Herodis suggestio dolosa.
f. Magorum discessus.
g. Apparitio stellae. « Ecce stella : » gaudium inde consequens.
h. Intrant domum, — inveniunt puerum cum matre, — adorant eum, munera offerunt tria.
i. Neglecto Herode per aliam viam in patriam redeunt. Affectus eliciantur fidei, — adorationis, — oblationis.

331. Christus manifestatur gentibus (2).

i. Imaginari studeas urbem sanctam, viam quae ducit ad oppidulum Bethlehemiticum, et domum ubi interim habitabat sancta familia.

ii. Gratiam efflagita roboris in fine supremo semper prosequendo inter obstacula vitae hujus.

I. *Procidentes adoraverunt eum.* M. 2, 11

Infanti summum honorem tanquam Deo praestabant. Venerant adorare eum, quia stellam ejus viderant. Illam enim instinctu divino intellexerunt indicium esse magni regis venturi.

Puerum itaque adoraverunt, non obstante indignitate habitaculi pauperrimi, matris simplici modestia, et omnis splendoris absentia.

Veritatem, non apparentias quaere et aestima. Veritates supremas, permanentes et constantes vitae religiosae ob oculos defixas retineas.

II. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. ib. 11. In quibus muneribus agnosce : —

a. Dona *optima* quae habebant in regione sua. Et nos pariter Deo optima nostra demus, — primitias temporis, laboris, possessionum.

Pertaedeat nos semper Deo aliquid offerre defectuosum, turpe, tritum, squalidum, vilis pretii, negligenter factum.

b. dona *significatione plena* :

α. aurum Regi, et ad significandam caritatem ;

β. thus Deo, quo etiam oratio designatur ;

γ. myrrha homini, qua mortificatio solet intelligi.

Non tantum Magis sed et tibi optima quaedam dona adsunt offerenda, — v. g. verus Christi amor, — fidelitas in orando, — liberalitas in mortificatione ; vel sunt et alia, quae ab hominibus generatim solent haberi aut ut pretiosa et cara : e. g. haec recreatio, haec lectio, aut ut difficulter vitanda, e. g. ista invidia, ista vanitas, superbia, amor sui, ista delectatio, ista voluntas propria. Quid Christi gratia paratus es abjicere ?

332. Magi dona Christo offerunt.

1. Sicut divinus infans primo simplicibus deinde doctis et potentibus se praebuit, ita omnibus sese exhibuit tamquam humilem radicem ex Jesse. Ab omnibus tamen cultum latriae acceptavit. In persona igitur Christi divinitas adoranda, in moribus humilitas nunquam satis admiranda.

   Ego vero in natura humili ac labili constitutus meam omni ex parte exiguitatem obscure percipio et aegre admitto.

2. Magi intrantes domum ubi puer erat, instinctu divino procidentes ex reverentia, fervore et affectu humili, puerum cultu latriae adoraverunt. Ego me ipsis adjungam.

   a. Quoties tamen inter orandum caput inclino vel genua flecto, quin horum actuum significationem advertam, aut Deum cogitem praesentem ?

   b. Quoties pariter actum cultus supremi forsan praesto ipsi Sanctissimo Sacramento, animo tamen et intentione absente, ita ut nullum eliciam actum formalem religionis ? « Medius autem vestri stetit, quem vos nescitis. » J. 1, 26.

3. Ex itinere longo et difficili Magi thesauros, exquisitos, pretiosos, regioni suae et statui congruos secum attulerunt.

Ubi vero thesauri mei ?

Apertis thesauris suis : Quid in manibus hodie offerendum teneo ? Thesauri quidem mei sunt virtutes, valida proposita, labores propter Deum suscepti, studiorum fructus, orationes ac spiritus religionis.

Obtulerunt ei munera : —

a. *aurum* : mundum, quo insinuatur intentionis puritas in Deum solum directae ; — pretiosum, quo significatur valor verae solidaeque virtutis praesertim caritatis ;

b. *thus* : exquisitissimum, quales sunt suaves odores orationis amore et perseverantia fervide factae ;

c. *myrrham*, qua intelligi potest animi constantia contra corruptiones, contra incitamenta mundana et contra vim exemplorum pravorum.

Caput III. De Passione Christi.

333. De passione Christi generatim.

i. Mente recolam Dominum Jesum in horto precantem.
ii. Gratiam petam passionem Salvatoris intime cognoscendi.

I. *Personae patientis altitudo* summa reverentia consideretur.

Christus fuit Verbum incarnatum, seu Dei ipsius in terris piissima apparentia, mundi universi Salvator, e coelo missus a Deo Patre,— omnium judex futurus, — Rex et victor ad dexteram Dei Patris regnaturus.

II. *Operis sublimitas* attenta mente perpendatur.

Innumera inter homines Jesus patravit mirabilia; bona fecit et docuit; plebem instruxit,dilexit,societate sua elevavit; evangelium pacis omnibus pariter rel quit; at vero in crucis altari sacratissimo complevit omnia, unde doloribus confectus ex patibulo pendens clamavit : « Consummatum est. »

Opus illud passionis et crucis horrendum fuit tormentis, stupendum ignominia, severissimum justitia, amore denique omnium captum superans, vincens, obruens.

« Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. » Heb. 10, 14.

III. *Haec inter meditandum teneantur* : —

1. Passio Domini recogitetur semper veluti *sensibus praesens*. Etenim sua efficacia, amore, sublimitate, omnia tempora praeterita et futura transcendit. Attendamus igitur sonitum verborum, clamores, ictus flagellorum ; facta oculis intueamur ; vulnera manibus reverenter palpemus.

« Jesu dulcis amor meus, ac si praesens sis accedo. »

2. Omnia tanquam *mea* et *mea causa facta*, proponantur. De Deo-homine agitur ; de divina persona quae omnibus adest. De apice divinorum operum sermo est ; de primogenito omnium creaturarum, cujus sunt omnia, et cujus est omnes vivificare, diligere, salvare. Adeoque cum fiducia verba adopto S. Pauli : « In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Gal. 2, 20.
3. Rerum eventus ut recens, immo ut *novus* agnoscatur. Hujusmodi enim est virtutis suae magnitudine, vi innovandi mentes, alliciendi affectum et mundandi animam.
4. Sit meditatio *affectiva*, non arida ; sit magis *practica* in opere, quam speculativa.

IV. « A malis te servabit, bona singula tibi dabit, in praesenti Dei gratia te ditabit, in futuro sua gloria te dotabit. »

334. De passione Christi (2).[1]

i. Verba Salvatoris mente ruminabo : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » J. 3, 16.
ii. Piissimum sensum in Christum pro me dire patientem enixe obsecrabo.

1 Secundum cl. Van Steenkiste, Comm. in Matt. pp. 955-6.

1. *Quis passus est ?* Filius Dei unigenitus, coelorum terraeque creator et rector, mundique lumen et judex.

2. *Quid passus est ?* Atrocia et inhumanissima. Sicut serpens in deserto, in patibulum crucis exaltatus est ad medelam peccatorum omnium.

« Potest considerari magnitudo doloris Christi patientis, ex hoc quod passio illa et dolor a Christo fuerunt assumpta voluntarie propter finem liberationis hominum a peccato ; et ideo tantam quantitatem doloris assumpsit, quae esset proportionata magnitudini fructus qui inde sequebatur. » S. Th. 3, q. 46, a. 6.

Neque sola potestate voluit nos redimere, sed *justitia* ; neque solum ex infinitate personae attendit meritum doloris, sed *quantum doloris* ejus sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem.

3. *Pro quibus* est passus ? Pro nobis, filiis, fratribus, servis ingratis, inimicis, — pro me.

4. *Quem in finem* passus est ? Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Hinc : —

a. peccata expiavit : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. » J. 1, 29.

b. infinitum charitatis suae erga nos excessum demonstravit, dum vel unicus ejus actus ad opus redemptionis sufficere potuisset ;

c. immensitate amoris sui homines ad se redamandum excitare cupivit ;

d. exemplum dedit plane mirabile —

α. tolerandi adversa ; a nobis majora non postulabit quam sustinuit ipse : « Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem : ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. » Heb. 12, 3.

β. sponte, fortiter ferendi mala : « Omnis autem disciplina, in praesenti quidem videtur non esse

gaudii, sed maeroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae. » ib. 11.

γ. exercendi mansuetitudinem, et injurias condonandi.

335. Christus in horto. [1]

Narratio Evangelica.

1. Revoca breviter eventus illius noctis in aeternum memorabilis, quando Christus cum discipulis in coenaculo sumpsit agnum paschalem, deinde pedes omnium humillime lavit, ac amantissime eos corpore et sanguine suo cibavit, hymno denique gratiarum actionis cantato, eos mirifica instructione recreavit et oratione sua sacerdotali confortavit : quibus peractis, exivit cum undecim per portam australem urbis sanctae ad vallem Josaphat versus hortum Gethsemane prope decimam horam noctis.

2. Venit in hortum villae, quae dicitur Gethsemane cum undecim apostolis.

3. Discipulos octo ad introitum reliquit, dicens : « Sedete hic, donec vadam illuc et orem ; orate ut non intretis in tentationem. »

4. Robustiores inter apostolos (qui futurae erant Ecclesiae columnae) Petrum, Jacobum (minorem) et Joannem secum deduxit.

5. Coepit contristari et moestus esse, pavere et taedere.

---

1 M. 26. 36-46 L 22,. 40-26

6. Ait illis : « Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. »

7. Et progressus pusillum genuflectit, prociditque in faciem suam orans :

« Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu. »

8. Rediit ut apostolos videret ; et invenit eos dormientes. Petro dixit :

« Simon dormis ? » Ad omnes autem : « Quid dormitis ; sic non potuistis una hora vigilare mecum ? Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. »

9. Secundo abiit et oravit, eundem sermonem dicens. Iterum rediit, et invenit eos dormientes ; erant enim oculi eorum gravati, et ignorabant quid responderent.

10. Tertio abiit, eandemque fecit orationem ; at vero « factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. » L. 22, 43. 44.

11. Venit angelus confortans eum.

12. Rediit, discipulos rursus invenit dormientes ; sed, ut evangelista dicit, « prae tristitia. »

13. Miti fortasse ironia dixit : « Dormite jam et requiescite. Deinde vero : « Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet. »

336. Christus in horto (Contemplatio).

1. **Locus.**

Vallis Josaphat, trans torrentem Cedron. Hortus, arbores, caverna.

2. **Adjuncta.**

Nox. Claritas lunae paschalis. Umbra densa. Sonus festivus ex urbe vicina. Mundi incuria dum Salvator opus solemne redemptionis inchoat.

3. **Personae**

Undecim apostoli, e quibus electi sunt Petrus, Jacobus et Joannes, ut Jesum ad orationis locum comitarentur. Jesus Salvator. Angelus a Deo missus.

4. **Verba.**

a. *ad omnes* : « Sedete hic, donec vadam illuc et orem. Orate ut non intretis in tentationem. »

b. *ad tres electos* : « Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, et vigilate mecum. »

c. *ad Patrem* : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu. »

d. *ad Petrum* : « Simon dormis ? Non potuisti una hora vigilare mecum ? »

e. *ad omnes* : « Quid dormitis ? Sic non potuistis una hora vigilare mecum ? Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. » Vigilate, et orate. Dormite jam, et requiescite. Venit hora : surgite eamus ; ecce appropinquat qui me tradet. »

5. **Actiones.**

Jesus apostolos suos ad villam deducit. Ex illis tres specialiter eligit. Preces fervidissimas effundit. Ter patitur tristissime ; ter redit ad socios suos dormien-

tes, eosque dulciter admonet. Consueta tamen misericordia eos excusat. Sudorem sanguinem patitur. Angelus illum confortat. Suos demum Jesus hortatur, ut alacres et audaces hostibus occurrerent.

337. Christus in horto.

TRISTITIAE MAGNITUDO.

i. Scenam mihi depingam ex praevia meditatione.
ii. Donum animi compatientis et gratissimi suppliciter exposcam.

Circa Christi in horto dolores haec mihi meditanda occurrunt :

I. *Causae tristitiae* : —
1. *Cruciatus instantes* —
   a. terribilissimi et acerbissimi ;
   b. distincte et plenissime cogniti ;
   c. sibi inferendi a populo electo ;
   d. mox a se subeundi, id est, illa ipsa nocte.
2. *Visio iniquitatum* universi generis humani.
3. Hominum foedissima crimina visa *tanquam sua* : « factus est pro nobis maledictum. » Gal. 3, 13.
4. *Passionis suae inutilitatem* quoad tot homines clare percepit.

   Vidit tot ingratos, tot negligentes, tot tepidos, tot perituros.

II. *Circumstantiae* : —
1. *Solitudo*. Socios habere voluit, sed dormierunt omnes.
2. Ingens doloris pondus quo *usque ad mortem* opprimebatur.

3. Constitutus est in horribili mentis *certamine*, seu in agonia.
4. Factus est sudor ejus sicut *guttae sanguinis* decurrentis in terram.

338. Christus in horto. [1]

Precatio sublimis.

i. Scenam orationis Domini mihi rursus depingam ex praeviis meditationibus.
ii. Bene orandi gratiam efflagitabo.

1. *Quid petiit Christus ?* Liberationem a morte terribili. « Transeat a me calix iste. »

2. *Quanam sub conditione ?* « Si possibile esset ; si haec esset Dei voluntas. » Illud autem petiit cum resignatione plena : « Verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua. »

3. *Quonam corporis situ* ? Genuflectendo, procidendo in terram super faciem suam.

4. *Quomodo* oravit Christus ? Eamdem petitionem repetendo prolixius et instantius per tres circiter horas, diro mentis et cordis certamine luctando, et usque ad profusionem sudoris sanguinei perseverando. Quum tandem dolor ad summum pervenisset, apparuit angelus de coelo confortans eum.

5. *Qualitates* orationis Christi.
   a. Humilis fuit et magna cum reverentia prolata.

1. Secundum cl. Van Steenkiste Comm. in Matt. p. 983.

b. *Fervens* animo, *pia* in Deum, *assidua*, et prae doloris augmento *prolixior*.

c. *Dei voluntati* omnimodo *consentanea*.

d. In loco *solitario* seorsim a quavis perturbatione externa.

e. Maxime *opportuna* ; occasione nimirum tristitiae summae ; « Tristatur aliquis vestrum ? oret. » Jac. 5, 3.

f. Conjuncta erat cum *corporis afflictione*, adeoque efficacior. « Qui orans jejunat, binas habet alas. Non enim oscitat, non expanditur, nec torpet orando, ut multi solent : sed est igne ardentior, et terra superior.. Nihil enim potentius homine probe orante. » S. Joan. Chrysos. in M. 17, 21, vol. VII, 654.

339. Christus in horto comprehenditur.

1. Venit Judas cum turba multa et militibus cum laternis, facibus, gladiis et fustibus, qui missi fuerant a summis sacerdotibus.

2. Judas, qui reliquos antecedebat, accessit ad Jesum, et osculatus est eum. Jesus osculum nefandum admisit, ut cor ejus forsitan emolliret, nec tamen osculum proditoris reddidit.

Deinde dixit : « Amice, ad quid venisti ? Juda, osculo Filium hominis tradis ? »

a. Jesus hanc discipuli sui proditionem cum tristitia jam anticipaverat. « Amen, amen dico vobis : quia unus ex vobis tradet me. » J. 13, 21. Prius in psalmo dictum erat : « Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset : abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero, homo unanimis,

dux meus, et notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Dei ambulavimus cum consensu. » Ps. 54, 13-15.

b. Cogita Magistri dulcedinem, patientiam, mansuetudinem.

c. Animadvertas avaritiae indolem horrendam, quae cor Judae siliceum reddidit.

3. Bonitate Domini nil motus, Judas ad turbam rediit. Jesus autem processit, et quaesivit ab eis : « Quem quaeritis ? »

Responderunt : « Jesum Nazarenum. » Quibus Jesus dixit : « Ego sum. »

Tunc divina perculsi potentia retrorsum abierunt, et ceciderunt in terram. Statim vero surgunt, et interroganti denuo Jesu « Quem quaeritis ? » audaces iterum responderunt : « Jesum Nazarenum. »

4. Jesus permittit ut in se manus injiciant ; sed pro apostolis rogat : « Sinite hos abire. »

5. Apostoli volunt magistrum gladio defendere. Et Petrus quidem abscindit auriculam Malchi, quam illico Jesus sanat.

6. Jesus exprobrat Judaeos : « Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me : quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. » M. 26, 55. Se tamen comprehendi, ligari, deduci sinit.

7. Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

Speciatim notabo Domini *potentiam* (in prostratione inimicorum, in sanatione auris, et forte in effectu verborum : « Sinite hos abire »), et *mansuetudinem* (erga Judam et turbam in verbis suavibus, quibus usus est, erga Malchum, aure sanata, et erga milites, cohibita infinita sua potestate).

340. Jesus apud Caipham.

1. Jesum ex horto ducunt primum ad Annam, magnae aestimationis virum, socrum Caiphae summi sacerdotis, ea mente ut vel trophaeum suum ostendant, vel viro adeo eminenti honorem praestent.
2. « Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. »
3. Coram Caipha et aliis quibusdam sistitur Jesus media nocte ; et fit examen praevium.
   a. Interrogatus Dominus a Caipha de discipulis, et de doctrina sua, tacet de discipulis ; de doctrina autem affirmat se nihil secreto docuisse.
   b. Respuit ineptam interrogationem dicens : « Quid me interrogas ? »
   c. Remittit pontificem ad « hos qui sciunt quae dixerim ego. »
   d. Tunc unus assistens dedit alapam Jesu, dicens : « Sic respondes Pontifici ? »
   Jesus autem respondit : « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me caedis ? »
   O mirabilis Dei benignitas et mansuetudo !
   e. Multi deinde testes falsi adducti sunt, quorum testimonium non erat conveniens.
   f. Duo tandem falsi testes testati sunt de dicto : « Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud. »
   Testimonium quidem falsum, sumptum ex ore testium sibi contradicentium.
   g Caiphas, surgens in medio, interponit : « Nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur ? »
   Jesus autem ob inanitatem testimonii tacet et nihil respondet.

h. Et princeps sacerdotum ait illi : « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. »

i. Jesus autem dixit illi : « Ego sum : et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli. »

j. Tunc prencips sacerdotum scindens vestimenta sua exclamavit :

« Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus ? »

k. Conclamaverunt omnes : « Reus est mortis. »

341. Contumeliae Christo in domo Caiphae illatae.[1]

Hic pensanda veniunt :

1. *Irreverentiae summi pontificis ;* videlicet : interrogatio praesumptiosa ; exprobratio Christi ob silentium ejus ; imputatio blasphemiae ; judicium sententiae capitalis.

2. *Alapa* a ministro data.

3. Omnimodae vexationes: Recendentibus judicibus aliisque, « viri qui tenebant illum » Jesum misere vexare incipiebant : —

a. saepius in sacrum vultum *expuebant* ;

b. *illuserunt* ei : —

α. velantes faciem ejus ;

β. percutiebant eum pugnis (in dorso) ;

γ. palmas in faciem dederunt ;

c. singulari in Christum indignitate puerorum more ludebant :

« Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit. »

d. « *Alia multa* blasphemantes dicebant in eum : » contumelias, irrisiones, jocos, convicia, ineptias, facetias, spurcitias.

1. Secundum cl. Van Steenkiste, In Matt , Q. 591 p. 1041.

Tunc ad litteram impletum est illud prophetae : « Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. » Is. 50, 6. « Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce, homo, quantum valeas, et quantum debeas ; et dum tantam redemptionis tuae perspicis dignitatem,ipse tibi indicito peccandi pudorem. » Inter op. S. Aug. in App. S. 153. M. 5, 2042.

4. Pie nunc contemplabor virtutum illustria exempla, quae Salvator mihi imitanda reliquit. Haec autem praesertim notanda occurrunt :

Humiliatio (saturatur opprobriis).

Patientia (non aperuit os suum).

Mansuetudo (licet immania sacrilegia in ipsum commissa fuerint, nullum signum potentiae suae vel majestatis edidit).

Dolores istos pro me Patri *offerebat*.

Orabat dum vexabant et torquebant ipsum.

342. Petri negatio trina.

Petrus negat se Jesum novisse :

1. *Locus et occasio.*

Venit Petrus in atrium domus pontificis ; et ad ignem in medio accensum stabat cum servis et ministris calefaciens se, quia nox frigida erat.

2. *Prima negatio.*

Accessit ancilla ostiaria, quae rogante Joanne, admiserat Petrum ; et cum eum intuita esset, dixit :

« Et hic (digito eum indicans) cum illo erat. »

« Mulier, » dixit Petrus « non novi illum. »

« Numquid et tu ex discipulis es hominis istius ? »

« Non sum. »

« Et tu cum Jesu Galilaeo eras. »

« Neque scio, neque novi quid dicas, » respondit Petrus.

Gallus deinde cantavit primum.

3. *Altera negatio.*

Post primam istam negationem apostolus tristis petiit externam portam vestibuli ; sed, ecce, vir aliquis, ancilla ostiaria, et alia quaedam adorti sunt illum. Nihil tamen iis respondit, sed ad ignem cum iis reversus est. Ibi denuo ut discipulus Christi accusabatur, et iterum cum juramento (Testis est mihi Deus) protestatus est se non novisse hominem.

4. *Tertia negatio.*

Post unam circiter horam venit quidam et dixit : « Vere tu ex illis es, nam Galilaeus es. » Petrus vero siluit.

Sed instabat pertinax accusator, « Nonne ego te vidi in horto cum illo ? »

Tunc misere coactus Petrus mentitus est inquiens, « Nescio quid dicis. »

Omnes tandem simul confirmant accusationem. « Galilaeus es, nam et loquela tua manifestum te facit. » Tunc Petrus coepit detestari, et jurare, « quia non novisset hominem. »

5. Gallus iterum cantavit. Sed conversus Dominus respexit Petrum, qui recordatus est verbi quod dixerat : « Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. »

Et egressus foras, flevit amare.

343. Petri poenitentia.

1. Et conversus Dominus respexit Petrum. Petrus in oculis magistri plura legit : —
   a. *tristitiam* de misera sua inconstantia ;
   b. *amorem* inextinguibilem ;
   c. *voluntatem condonandi* promptissimam.
   Jesus ipsum oculis respexit, sed interius cor gratiis ditavit. « Egressus foras, » — peccandi occasione relicta, — sibi amplius non confidens, « flevit amare. »

2. *Causae lapsus.*
   a. Temeraria confidentia in propriis viribus. « Ipse prae ceteris professus erat fidelitatem et constantiam (« Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor »).
   b. Praeviam orationem in horto neglexerat. Tepor in eum irrepserat ; « sequebatur Dominum a longe. »
   c. Absque ratione sufficienti sese periculo tentationis exposuit; curiositate quadam amori admixta venerat, ut videret finem. Cum inimicis garrientibus diu mansit.

3. *Dotes poenitentiae.*
   a. Supernaturalis fuit, ex gratia magistri miserentis.
   b. Prompta ; viso Domino, statim poenituit.
   c. Generosa ; « flevit amare. »
   d. Efficax ; magna inde facta est immutatio in indole Petri. Et per totam vitam, laboribus, humilitate, amore, contritione delicta reparare studuit.

4. Deus illum lapsum *permisit* : —
   a. ut Petrus propriam nosset infirmitatem, et ut aliorum miserias compati validius posset ;
   b. ut nos haberemus exemplum insigne poenitentiae,

et ut inde disceremus fiduciam, seu ut intelligeremus desperandum nobis non esse unquam, neque propter propriam infirmitatem, neque propter peccata.

344. Jesus a Synedrio traditur Pilato.

1. Ut factus esset dies (dies illa magna redemptionis nostrae, quando ex scelere pessimo collatum est nobis bonum pretiosissimum), mane convenit Synedrium (summi sacerdotes, scribae et seniores), ut Jesum morti traderent.

2. Jesus coram tribunal vinctus ducitur ; vinculis pro forma exuitur. Salvatorem contemplabor post noctem horrendam, nunc solitarium, lassum, sputis foedatum.

3. Renovatur judicium nocte praeterita latum.

Quaerunt omnes : —

« Si tu es Christus, dic nobis. » Dolosa profecto interrogatio ; cui reponit Jesus :

« Si vobis dixero, non credetis mihi : si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. » (Iterum ergo dignitatem suam aperte declarat).

Dixerunt autem omnes : « Tu ergo es Filius Dei ? » (Recte verba Domini intellexerunt ; lumen videntur quaerere, non ut credant sed ut condemnent.)

Respondit Magister : « Vos dicitis, quia ego sum. »

Audita hac indubitabili professione divinitatis, conclamaverunt :

« Quid adhuc desideramus testimonium ? ipsi enim audivimus de ore ejus. »

Quibus dictis Synedrium statim surrexit, quin rursus sententiam pronuntiaret. Denuo vincitur Jesus, qui —

4. ad Pilatum defertur ; quia voluerunt ipsum morti tradere, et simul odium tanti flagitii in alios transferre.
Voluerunt praeterea Jesum tradere infamiae crucis.

5. Judas deinde intelligens Jesum morte periturum esse, poenitentia actus, nefarium pretium sanguinis sacerdotibus retulit dicens : « Peccavi, tradens sanguinem justum. »
At illi dixerunt : « Quid ad nos ? tu videris. » Et projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit.

6. Potestas Dei fert indignissima: Christus loquitur verba plena majestatis : mansuetudo cohibet justitiam Dei.

345. Jesus coram Pilato sistitur.

1. E domo Caiphae Jesus educitur vinctus et cum ignominia tanquam homo criminosus ; « et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. » L. 23, 1.

2. Ductus fuit Jesus in praetorium, in quod Judaei noluerunt introire.

3. Pilatus itaque, ut morem eis gereret, foras exivit et quaesivit :
« Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ?
Responderunt et dixerunt ei : « Si non esset hic *malefactor*, non tibi tradidissemus eum. »
Dixit ergo eis Pilatus : « Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. »
Dixerunt ergo Judaei Pilato : « Nobis non licet interficere quemquam. Iste vero *: subvertit gentem, — prohibet dari tributa Caesari, — dicit se regem esse.* »

4. Pilatus tunc ad Jesum redit, ut de munere suo regio illum interrogaret.

« Tu es rex Judaeorum ? » quaesivit praeses.

Christus autem primo quaestionem declinavit dicens : « A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me ? »

Explicat deinde Salvator dicens : « Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis : nunc autem regnum meum non est hinc. »

Pilatus iterum rogat : « Ergo rex es tu ? »

Jesus tandem aperte respondit : « Tu dicis quia rex sum ego. »

Rursus docet praesidem regnum suum esse spirituale : « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate audit vocem meam. »

Pilatus sensu fortasse sceptico reponit : « Quid est veritas ? » Sed responsum attendere noluit.

5. Pilatus statim exivit ad sacerdotes et turbam, atque Christi innocentiam declaravit. « Ego nullam invenio in eo causam. »

Judaei vero Christum instantius accusant.

6. Sistit igitur Pilatus Jesum coram accusatoribus, qui denuo instaurant accusationes. Jesus autem nihil respondit eis.

Ait Pilatus : « Non audis quanta adversum te dicunt testimonia ? »

Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur praeses vehementer.

7. At Judaei invalescebant, dicentes : « Commovet populum, docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc. »

Audito Galilaeae nomine, Pilatus remisit Jesum ad Herodem, qui erat Hierosolymae illis diebus.

Ex Christo disce silentium, et mansuetudinem : ex Pilato autem ingens periculum respectus humani.

346. Jesus ab Herode spernitur.

1. Herodem (Herodis magni filium) intueamur, impudicum, crudelem, astutum,mundanum, Christo inimicum.

2. Herodes de adventu Christi gavisus est valde, quia prodigia nonnulla et hominem celeberrimum videre cupiebat. Ideoque interrogabat eum multis sermonibus ; eique vero Jesus nihil respondit.

3. Instabant tamen accusatores (principes nempe sacerdotum et scribae) ; denuntiabatur Jesus ut malefactor, seductor populi rebellis, potestatis politicae usurpator, blasphemus. Ipse autem accusatoribus nihil reposuit.

4. Sprevit igitur eum Herodes cum exercitu suo, i. e. militibus et pedissequis adstantibus. Jesum reputaverunt semi-fatuum, et « illuserunt eum indutum veste alba. » Ita Herodes Pilato placere voluit remittendo Jesum, et Judaeis illudendo ei. Jesus vero contemptum studiosissime sibi illatum subire non recusavit, ac vestem ignominiosam patienter tulit ; opprobria mitis sustinuit.

Contemplabor Salvatoris humiliationem profundam, patientiam immobilem, silentium admirandum. Herodi impudico, curioso, non credenti, superbo, responsum nullum praebuit.

Inimicis infensissimis non restitit. Quot et quanta ex magistro meo hic addiscenda clarescunt ?

a. An ego affecto homines celebriores, ditiores, notabiliores ?

b. An aliorum de me meisque curiositati obtemperandum censeo ?

c. An contra accusatores me nimis sollicite defendere studeo ?

d. Ego opprobria vehementer timeo, odi et arceo. Verumtamen adeo contrarie Christus se gerebat.

347. Jesus Barabbae posthabetur.

1. Pilatus denuo convocat proceres Judaeorum una cum plebe, eisque innocentiam Jesu, jam ex praevia sua interrogatione publica et ex ipsius Herodis opinione notam, aperte declarat, additque : « Emendatum (de quo delicto ?) ergo (inepta et impia consequentia) illum dimittam » (ecce nunc fructus tristissimi respectus humani).

2. Interim tamen Jesum eripere conatur dando Judaeis optionem eligendi inter infamem latronem et Jesum : « Quem vultis vobis dimittam, Barabbam (hominem quidem vobis maxime invisum), an Jesum qui dicitur Christus ? »

   Inter duos, latronem insignem, et Jesum innocentem et beneficum, coarctat eligendi potestatem, eisque aliquid temporis ad deliberandum concedit.

3. Tunc uxor Pilati mittit ad ipsum, dicens : « Nihil tibi et justo illi. » Pilatus vero et hoc monitum negligit.

4. Seniores concitant populum, ut petant Barabbam. « Tolle hunc, » clamant, « et dimitte nobis Barabbam. »

5. Iterum nititur praeses Jesum liberare : « Quid ergo

vultis faciam regi Judaeorum ? » (misera judicis interrogatio). Conclamant omnes : « Crucifigatur. » (Quanta heic mentium mutatio post paucos tantum dies !)

« Quid enim mali fecit ? » rogat Pilatus. Nunc igitur tertio declarat innocentiam Jesu. Sed magis magisque clamant : « Crucifigatur. »

6. « Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis. »

Et respondens universus populus, dixit : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. »

7. Et volens populo satisfacere, dimittit illis Barabbam, Jesum autem tradit carnificibus flagellandum.

8. Hinc notanda : — infelix debilitas respectus humani : — vilitas favoris popularis : — pessima electio populi : — summa ignominia, qua Jesus cum Barabba proponitur, et latroni ab ipso populo electo posthabetur.

348. Jesus flagellis caeditur.

1. *Locus.* Cubiculum quoddam praetorio vicinum, vel ipsum praetorium.

2. *Poena.* Flagellatio ipsa saeva fuit et crudelissima poena, quae more Romanorum actroci inhumanitate solebat infligi. Flagris nudabantur ossa ; verberibus arteriae et venae aperiebantur ; sub horribili flagello reorum plerique deficiebant, et non pauci interierunt.

3. *Instrumentum.* Horrenda ista flagella, quorum erat corpora coedere, secare et dilacerare, lora fuerunt, quibus haud raro stellulae metallicae infixae erant.

4. *Numerus verberantium.* Probabiliter plures erant ; et maxime quia flagellationis istius scopus fuit Jesum reducere ad statum miserabilem, ut Judaeorum saevitia aspectu ejus tristissimo satiaretur.

5. Jesus, vestibus saltem ad lumbos spoliatus, ad parvam columnam ligabatur, ita ut curvato dorso totum flagrorum pondus exciperet. Et dum caedebatur, pectus etiam loris dilacerabatur.

6. Poena ista, temporibus illis, crudelissime solebat infligi, absque ullo humanitatis sensu. Servorum porro propria fuit. Inflicta nunc fuit ab iisdem saevis militibus, qui diabolico instinctu, instituebant scenam illam lachrymabilem coronationis spineae, quae praescripta illis non fuit.

7. Jesus, ob cognitionem suam sensibilem perfectam, clarissimam infamiae perceptionem, et organismum suum delicatum, cruciatum hunc vividissime persensit.

8. Vere de illo dici potuit : « non est ei species neque decor. » Is. 53, 2 ; et « supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. » Ps. 128, 3.

Haec omnia facta esse videntur, ut carnis purissimae cruciatu plane horrendo impudicitiarum nostrarum peccaminosa voluptas expiaretur.

Jesus frater, Dominus Deus talia ac tanta pro me pertulit.

a. An ego nihil habeo quod pro magistro perferam ?

b. An firmissime et absolute statui ut omnem semper, non dicam impuritatem, sed impuritatis umbram et suspicionem vitem ?

c. An forsan mollia soleo prosequi, et dulcia, et commoda, et quaecunque sensibus placent ?

d. An paratus sum aliquid vere difficile, et quia est difficile, voluntarie et generose magistro in sacrificium offerre ?

349. Affectus amantis.

i. « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores » Ps, 128, 3,
ii. Petam fidem perspicacem et amorem intensum.

In corde ejus, qui Christum patientem intuetur, sequentes sponte erumpent affectus : —

1. *Compassio* pro dolore. Ad agoniam accedit violentia comprehensionis, fatigatio processus in domo Caiphae, fastidium vilium conviciarum, vexatio contumeliarum, dolor ignobilium alaparum, lassitudo noctis insomnis, novi examinis taedium et opprobria coram Synedrio ; corpus tandem dirissime caeditur flagellis ; caput spinis crudeliter torquetur.

2. *Reverentia* pro ignominia. Jesus habetur ut malefactor, rebellis, usurpator civilis principatus, blasphemus in Deum, imbecillis, servus, criminosus. Plebeiis clamoribus accusatur, a sacerdote invido et praeside infideli superbe examinatur, injuste judicatur judex supremus, impiissima blasphemia condemnatur. Rex est, sed sine honore, sine comitatu, sine defensoribus. Homo est sine socio, feris obsessus. Vermis est, et non homo.

3. *Adoratio* sanguinis sacratissimi hinc et inde sparsi. Contemplabor rivulos rubentis sanguinis per latera Christi decurrentes in terram ; sanguis ille Dei est, pretium redemptionis, valoris infiniti. Illum adorabo.

4. *Amor* ob amorem. « Cernis ut in toto corpore sculptus amor. »

Quid in nobis peccatoribus vidit Jesus, quo motus

acerbissima illa supplicia libens acceperit ? Vidit voluntatem boni capacem, animam ad aeternam cum Deo societatem destinatam.

5. *Fiducia* circa misericordiam. Si enim Christus tot atrocia subierit ad tollenda peccata, quantum erit ejus indulgendi desiderium, quanta misericordiae dulcedo in venia elargienda.

6. *Protestatio* evitandi peccatum, illudque in aliis, quantum potuero, impediendi.

350. De virtutibus Christi flagellati.

1. *Fortitudo*

« O virum infractum animo, qui nec precem nec lacrymam fudit, » nec gemitum nec vocem edidit ; tamquam Rex dolorum immobilis constitit.

2. *Patientia.*

Tulit enim Jesus acerbissima quaeque silens, immo sua sponte et gaudens.

3. *Mansuetudo.*

Nihil enim reddidit, dum facile et juste reddere potuit.

En via Magistri mei ; fortis ille et constans, mala libenter tolerat, dira sine responso accipit. Ego vero discipulum ejus me esse profiteor, qui tamen contraria agere soleo.

4. *Amor nostri.*

« Amor tuus et iniquitas nostra sic te imbecillem fecerunt. » S. Bonaventura. Tantum etenim nobis exhibuit amorem, ut universos a sceleribus carnalibus foedissimis innumerisque redimeret. Vulneribus suis

vulnera nostra mortalia sanare voluit. Ejus enim livore, docente propheta, sanati sumus.

5. *Amoris magnitudo* ex miseriae magnitudine merito dijudicatur. Major enim iste fuit omni suo dolore et cruciatu, quia horum causa exstitit. Juvenis fuit Jesus, corporis pulcher specie, et sensu verecundus. Sed eheu, nunc « non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum... et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. » Is. 53, 2-4.

'Concidit eum (Dominus) vulnere super vulnus'. Job 16, 15

351. Suaves affectus in Christum patientem.

Jesu, dulcis amor meus, (bonum super omnia mihi delectabile)

Ac si praesens sis, accedo : (cum reverentia et fiducia)

Te comtemplor cum affectu, (tenero, generoso, gratissimo)

Tuorum memor vulnerum, (numeri, doloris, valoris, amoris).

O quam nudum hic te cerno,

Vulneratum et distentum, (Ecce livor et plaga tumens, et ossa dinumerata !)

Inquinatum, involutum

In hoc sacrato tegmine (Ita et corpus meum sacratur contactu Corporis Christi).

Salve **caput** *cruentatum* (alapa, palmis, arundine)

Spinis, cujus dulcis vultus (Filii scilicet Dei et Mariae)
Immutavit suum florem, (non habuit speciem neque decorem)
Quem coeli tremit curia (ab hominibus tamen spretus est).
Salve **latus** *Salvatoris,* (quo transfixo Cor vulneratum est)
Salve, mitis apertura, (asylum peccatorum et amantium)
Super rosam rubicunda, (fulget sanguine salvifico)
Medela salutifera (redemptio copiosissima qua ultimas sanguinis guttulas effudit).
Manus *sanctae, vos avete,* (manus beneficae, misericordes)
Diris clavis perforatae: (O crudelitas ! O ingratitudo !)
Ne repellas me Salvator (cui nomini nihil denegabitur)
De tuis sanctis **pedibus** (ad quos me prosterno ut misericordiam et amorem consequar).

352. Christus spinis coronatur.

1. Postquam dirissimam illam Christus subiisset flagellationem, ipse vestes se induit, deinde a militibus in atrium praetorii ducitur. Milites (Romani, alienigenae, rudes, duri stipendiarii) convocaverunt totam suam cohortem (socios ibi commorantes), quod quidem gratuito prorsus fecerunt ad spectaculum quoddam grandius, et ad illusionem turpiorem.

2. Milites iterum eum pallio exuerunt.

3. Deinde induerunt eum *insignia regis*:
   a. *Chlamydem coccineam* (detritam) circumdederunt ei (pro pallio regio).
   b. *Coronam* plectentes de spinis (longis, rigidis, acutis,

in formam fere pilei contextis) posuerunt super caput ejus. Asperrima fuit, et ineptissime accommodata, adeoque hinc et inde mobilis. Spinae crudelissime pupugerunt caput, verticem, frontem, latera capitis et aures. Ex motu denuo renovata sunt vulnera.

c. *Arundinem* tandem posuerunt in dextera ejus (arundo erat fortior et longior, — pro sceptro).

4. Universi adstantes *illuserunt* salvatori :

a. Genu flexo ante eum, incipiebant salutare eum, illumque deridebant (repetitis vicibus) dicentes : « Ave rex Judaeorum. »

b. Dabant ei alapas (cum baculis), et acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus (haec sane pro osculo fidelitatis).

c. Et conspuebant in eum (ecce munera oblata), quo nihil vilius. « Regem orbis terrarum videns contumelias patientem, et omnia ferentem silentio, imitare. » Chrysos. ?

5. Quare voluit Magister hanc subire torturam ? Ut pro omnibus delictis abunde satisfaceret, et nominatim pro peccatis, quae cogitando commissa sunt.

Quid a me tanta patiendi generositas exposcit ? Illud nobis insinuat S. Bernardus : « Egredimini et videte regem Salamonem in disdemate, quo coronavit eum mater sua... Vobis ergo dicimus, filiae Sion, animae saeculares, debiles, delicatae filiae, et non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi... Egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitutis carnalis concupiscentia ad libertatem spiritualis intelligentiae. » Sermo. II, in festo Epiph. Vol. II, 1786.

353. Christus rex spinis coronatus illuditur.

1. In hoc cruciatu consideretur *doloris intensitas*. Spinae durae et complures tenerrimum verticem, frontem, tempora, aures atrociter dilacerant; carnem perforant, nervos vulnerant, venas aperiunt.

Capilli, vultus, collum sanguine madent.

2. Christus Rex coeli, mundi, hominum *rebus* illuditur — throno, pallio, sceptro, corona. *Verbis* pariter inhonoratur. « Tu scis (apud prophetam clamat) improperium meum et confusionem meam. » Ps. 68, 20. Qua de re monet S. Athanasius diabolos ipsos homines ad torquendum salvatorem instigasse. « Dominum vero humanis armis diabolicam turmam insequi. (Diabolus) Judaeos scilicet movit ut conspirationem struerent, Pilatum ut damnaret, milites ut ipsi illuderent, ignarus se ea omnia adversum sese moliri. Sed etiam tum cum spoliaretur (Christus), latebat hominibus victoria. » De passione et cruce, n. 15, Vol. II, p. 92.

3. Ingenti flagrorum dolori succedit coronationis *humiliatio*.

Caro Salvatoris, ex virgine assumpta, ob amorem nostri jam saeviter cruciata est; nunc vero propriissima ejus dignitas regalis ignoratur, illuditur, spernitur, contemnitur. « Tradetur enim gentibus et illudetur. » L. 18, 32. « Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis et moverunt caput. » Ps. 21, 8.

4. « Egredimini et videte.. regem in diademate : » auream ipse non voluit coronam, nec lauream, nec roseam, sed spineam, — spineam in hoc mundo suscepit, coronam gloriae in futuro recepturus. Talis corona totius

vitae suae indoli accommodata est. Quapropter et ego, si coronam coelestem gestare cupio, coronam in terris spineam non debeo recusare. « Non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo. »

« Tuam coronam adoramus Domine : tuam gloriosam recolimus passionem. » (Off. festi)

354. Jesus coronatus populo ostenditur.

1. Pilatus jubet ut Jesus, ad summam nunc redactus miseriam, populo ostendatur. Primus igitur iste solus egreditur, turbamque voce tristi alloquitur : « Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. »

(Miserrimum hunc virum commiseratione vestrae exhibeo : et quidem ego ipsum innocentissimum esse judicavi).

2. Deinde educit Salvatorem : « Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum. » O triste spectaculum, dignum quod lachrymis deploretur sanguineis ! Vide Salvatorem infamia aspersum, dejectum, lassum, infirmissimum, cruore foedatum ; cogita dolores capitis, dorsi flagellati, horrorem foetidorum sputorum.

3. Pilatus sensu misericordiae commotus, turbae Jesum monstrat, clamans, « Ecce homo. » Imbellis est, innocens, innocuus, humiliatus, sufficienter correptus, nullatenus formidandus. Profecto nunc dimittendus est.

4. Populus, viso horrendo spectaculo, humanitatis instinctu forte perculsus fuisset, sed statim scelestissimi sacerdotum principes, eorumque ministri voces e

medio attollunt, clamantes : « Crucifige, crucifige eum. »

5. Pilatus indignabundus reponit : « Accipite eum vos et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. »

Retorquet autem populus : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. »

Hoc de Filio Dei audito magis magisque timet Pilatus. Recordatur enim monitum uxoris, et mirabilia, quae de Christo audiverat. Praeterea, virum de supernis oriundum occidere non audet.

Sed in quid tandem non labitur debilitas animi ? quid non valet respectus humanus ? quid porro non audebit invidia ?

Conspice mitissimum Jesum, qui ut spectamen populo exhibetur, nec aperit os suum.

355. Pilati interrogatio ultima et sententia.

1. Ingravescente nunc praesidis timore angebatur de Christi ortu divino. Horruit enim incidere in manus Dei omnia videntis propter sententiam evidenter injustam et impiam. Reduxit itaque Jesum in praetorium, eumque denuo judicialiter interrogavit.

« Unde es tu ? » quaesivit Pilatus.

Sed quia pluries jam a praeside innocens declaratus fuit, et quia abunde jam in examine praevio idipsum de se declaraverat, Jesus responsum non dedit ei.

Tunc non sine acerbitate subjunxit Pilatus : « Mihi non loqueris ? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te ? »

Respondit Jesus : « Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea

qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. » Qua responsione Salvator flagitium Pilati benigne voluit diminuere.

2. «Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum.» J. 19, 12.
Prius timuerat Synedrium ; nunc vero longe magis accusatum metuit.

3. Iterum miser et ignavis praeses ad populum accessit, et omni conatu eis persuadere tentavit, ut accusatum dimitterent ; immo eis aperte declaravit se liberaturum esse Jesum. At vero, diabolica profecto astutia, Judaei clamaverunt, dicentes : « Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris : omnis enim qui se regem facit contradicit Caesari. »
Pilatus nunc pavere coepit, ne Caesari de crimine laesae majestatis denuntiaretur.

4. Et cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum : et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos.
Erat autem parasceve paschae, hora quasi sexta, et dicit Judaeis : « Ecce rex vester. »
Illi autem clamabant : « Tolle, tolle, crucifige eum. »
Dicit illis Pilatus : « Regem vestrum crucifigam ? »
Responderunt pontifices : « Non habemus regem, nisi Caesarem. » J. 19, 13-15.

5. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : « Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis. »
Et respondens universus populus, dixit : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. » M. 27, 24-25.

6. Invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.
Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant :

Jesum autem vero tradidit voluntati eorum. L. 23,23-25.

In istis recogites et defleas indolem Pilati debilissimam ac injustissimam ; fructus tristes invidiae ; scelus nefandum condemnationis.

356. De Christi innocentia.

i. « Vos autem sanctum et justum negastis. » Act. 3, 14.
ii. Magnum reverentiae sensum obnixe petam.

I. Christus Jesus fuit Sanctum Dei, Filius dilectionis paternae, sanctificatus a Patre, Sanctus sanctorum, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, Agnus immaculatus, qui ' iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore ejus. ' Is. 53, 9.

II. Accusatus tamen fuit tamquam malefactor, seductor populi, docens secreto, templi destructor, blasphemus, Samaritanus, diabolum habens, et ' qui Filium Dei se fecerit. ' J. 19, 7.

Inimici eum per invidiam arcesserunt, ut eum morti traderent. Falsos testes subduxerunt, ac mitem ejus defensionem accipere vel perpendere stulte et injuste recusaverunt.

III. Pilatus vero Christum pluries insontem aperte declaravit.

1. Peracto examine dixit : « Ego nullam invenio in eo causam. » J. 18, 38.
2. Reverso deinde Jesu ab Herode, dixit ad plebem : « Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. » L. 23, 14.

3. Quando populus, instigantibus sacerdotibus, Barabbam dimitti postulaverat, et strepitu ingenti clamaverat : « Crucifigatur ; » judex stupens Jesum innocentem ter declaravit, dicens : « Quid enim mali fecit ? » M. 27, 23. « At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis : Quid enim mali fecit ? » Mc. 15, 13, 14. « At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste ? nullam causam mortis invenio in eo. » L. 21, 22.
4. Sed qua nefanda judicii perversitate judex eum, quem innocentem declarat, ad dira flagellationis tormenta adjudicet ! « Corripiam (i. e. flagellis caedam) ergo illum, et dimittam. » L. 23. 22.
5. Quando lavit manus, ut se purgaret impio suo flagitio, dixit : « Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis. » M. 27, 24.
6. Jesum tandem flagellatum spinisque coronatum et veste purpurea indutum, turbae ostendit dicens : « Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. » J. 19, 4.
7. Ululantibus inimicis acerbe recusavit onus proferendi capitis sententiam, dicens : « Accipite eum vos et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. » J. 19, 6.
8. Jesum ipsum allocutus, Pilatus iterum conatus est eum dimittere. J. 19, 12.
9. Alio demum facto conamine Jesum eripiendi, non minus ignavus quam reluctatus invitusque « tradidit eis illum ut crucifigeretur. » J. 19. 16.

IV. Innocentiam Christi pariter professi sunt Judas, Herodes, uxor Pilati, pius latro, centurio, milites et turba statim post mortem Jesu.

357. De intinere ad supplicium.

« Jesum vero (Pilatus) tradidit voluntati eorum. » L. 23, 25.

« Susceperunt autem (Judaei) Jesum, et eduxerunt. » J. 19, 16.

---

1. Prolata sententia judicis iniquissimi, crux infabre paratur ex rudi et obvio ligno. Jesus maximo erga homines amore instrumentum victoriae et redemptionis amplectitur. « Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem Golgotha. » J. 19, 17.

« Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit. »

Extra urbem ad supplicii locum summa difficultate pergit Jesus, fune ligatus, cruce onustus, dolore et debilitate confractus. « *Exeamus igitur ad eum extra castra* (fideles monitis, exemplo dociles, piis intenti actibus, amorem amori rependentes), *improperium ejus portantes* (crucem nostram quotidianam patienter et cum gaudio accipientes, et vestigiis Jesu instantes). Heb. 13, 13.

2. Milites quatuor *carnifices* cum centurione Jesum ducunt e praetorio. Comitantur *latrones* cum carnificibus. « Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. » L. 23, 32 ; *alii milites* ad ordinem servandum ; *proceres quidem Judaeorum,* et *turba magna* cum mulieribus ; *piae* denique *mulieres e Galilaea.*

3. Onere crucis oppressus Jesus cito in terram dejicitur. « Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa : et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. » L. 23, 26.

4. Beatissima et dolorosissima sua Mater ei obviam occurrit.

5. Incedit tristissima illa processio ; Jesus perpetuo vacillat, quem milites nunc trahunt, nunc sustentant.

6. Pia mulier, ut refert traditio, velo suo sacratissimum Christi vultum abstergit.

7. Conversus ad mulieres plangentes et lamentantes, dixit illis Jesus : « Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent : Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus ; Cadite super nos ; et collibus : Operite nos. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet ? » L. 23, 27-31.

8. Bis lignum crucis infame Christo restitutum est : bis pariter pondere ejus crudeliter oppressus in terram corruit.

358. Salvator crucifigitur.

« Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum : et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. » L. 23, 33.

« Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente... repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis. » Heb. 9, 15.

1. Ad Golgotha cum perventum esset, milites dederunt Jesu (ut mos erat ex miserationis instinctu) vinum myrrhatum, quod tamen ob immixtionem fellis ex inhumanitate Judaeorum putidum factum erat. Mitis autem Salvator potum non recusavit, sed cum gustasset, noluit bibere. De malevola ista crudelitate jam conquestus erat in sermone prophetico : « Dederunt in escam meam fel : » Ps. 68, 22.

2. Jesum deinde vestibus spoliaverunt. Inde novus dolor horrendus, quo vulnera flagellationis atrociter sunt aperta, et corpus denuo recenti sanguine maduit.

3. Manus et pedes diris clavis cruci sunt confixi.

4. Quis dicet Agni immaculati verecundiam propter nuditatem publicam ? Quis comprehendet ignominiam crucifixi coram turba circumstante, et irridentibus inimicis ?

Servorum et latronum supplicio tandem affectus est. Quae poena apud Judaeos usu recepta non fuit, dum Romanis vel nomen ipsum crucis maxime fuit invisum.

5. Quis siccis oculis Salvatoris cogitabit dolores ? Flagellorum et spinarum cruciatus non mitescit ; vires penitus sunt confractae ; situs corporis distortus, distentus, immobilis ; manus et pedes perforati sunt in partibus summe complexis et delicatissimis, ubi plures conveniunt venae, musculi, nervi et ossa. Ex manibus pedibusque pondus corporis magna ex parte pendebat ; vehemens vulnerum dolor ; levamen nullum.

Ignis plagarum invalescebat ; febris victimam consummabat ; dorsum flagris dilaceratum duro ligno adhaesit ; os, lingua et guttur siti cruciabantur intolerabili ; plaga omnis novo semper cruore suffundebatur ; tardabat dissolutionis accessus.

O heroicum patiendi amorem ! Quid amplius potuis-

set facere Deus, ut amorem suum probaret ? Quid peccatorum malitiam nefandam vividius manifestare posset ?

359. Verba Jesu morientis.

1. Quando humi dejectus clavis affigebatur cruci, dicebat Jesus : —

« *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* » L. 23, 34.

Sequebatur : —

a. Crucifixio latronum : « Cum sceleratis reputatus est. » Is. 53, 12.

b. Impositio tituli : « Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : **Hic est Jesus rex judaeorum.** » M. 27, 37.

c. Divisio vestium in quatuor partes : « unicuique militi partem. »

d. Sors de tunica inconsutili : « Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. » J. 19, 23.

e. « Et (milites) sedentes servabant eum. » M. 27, 36.

f. Irrisiones :

α. populi ; praetereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes : « Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas : salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce. » M. 27, 39. 40.

β. sacerdotum ; qui illudentes eum dicebant : « Alios salvos fecit : seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. » ib. 42.

γ. militum ; qui illudebant ei dicentes : « Si tu es rex Judaeorum, salvum te fac. » L. 23, 37.

δ. latronis ; qui blasphemabat eum, dicens : « Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. » L. 23, 39.

2. Gratia superna tandem impulsus, unus latronum se ad Jesum convertit, rogans : « Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. » ib. 42.

Et dixit illi Jesus : « *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* » ib. 43.

3. Pia ac maerens Virgo Mater cum discipulo dilecto cruci abstabat.

Dicit Jesus Matri suae : « *Mulier, ecce filius tuus.* »

Deinde dicit discipulo : « *Ecce mater tua.* » J. 19, 26, 27.

4. Doloribus corporis addita fuit ingens spiritus afflictio, ita ut Filius hominis penitus derelictus videretur ab ipso Patre, qui eum ad opus suum miserat. Jesus enim post longam agoniam tandem exclamavit : « *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? » M. 27, 46.

5. Oris cruciatum acerbissimum nobis revelavit Jesus, dum horrendo sitis tormento confectus voce humana clamavit : « *Sitio.* » J. 19, 28 ; quod jam psaltes praenuntiaverat verbis istis : « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis : et in pulverem mortis deduxisti me. » Ps. 21, 16. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto (i. e. vino acerbo pro militibus posito), et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant : « Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. » M. 27. 48-9.

6. Sacrificium divinum ad finem vergit, Opus Christi perfectum erat ; adimpletae prophetiae. Signum mortis suae, ipse vitae ac mortis arbiter dedit, dicens : « *Consummatum est.* » J. 19, 30.

7. Ordinem tandem supremum adimplevit, vitam Patri, unde exiverat, restituens : « Et clamans voce magna Jesus ait : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* » L. 23, 46.

Et haec dicens expiravit.

Sensa compassionis, reverentiae, grati animi, amoris, detestationis peccati, ex imo corde proferamus.

360. Passionis conspectus brevis.

« Abscissus est de terra viventium : propter scelus populi mei percussi eum. » Is. 53, 8.

' Deus salutem humani generis in ligno Crucis constituit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. '

« Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. » 1 C. 2, 2.

---

1. *Praeludium amoris.*

Postquam Jesus cum discipulis agnum paschalem affabilissime manducaverat, pedes eorum lavit in testimonium humilitatis et fraternae dilectionis. Missam primam celebravit, discipulos ad ordinem sacerdotii evexit, cibo et potu Corporis et Sanguinis sui eos refecit, eosque omnes ad perfectionis apicem sublimi hortatione vocavit. Tandem hymno dicto, in hortum Gethsemane cum eis exivit.

2. *Oratio.* Christus nunc maestus, pavidus, et scelerum humanorum onere oppressus, apostolos monuit, solus ac perseveranter oravit, ab angelo confortatus est.

3. Traditus ab apostolo, a turba ut malefactor deductus est.

4. *Processus apud Caipham.*

a. Examen coram Synedrio ; falsi testes ; alapa ; Jesus Filium Dei se esse professus est, tamquam blasphemiae reus est denuntiatus.

b. Contumeliae ; ludibria ; sputa.

c. Trina Petri negatio et poenitentia.

d. Christus coram Synedrio summo mane iterum accusatus, et iterum damnatus est. Pilato praesidi civili traditus est.

5. *Processus apud Pilatum.*

a. Quadruplex accusatio, — malefactoris, seductoris populi, prohibentis dare tributa Caesari, usurpatoris.

b. Innocens omnium esse declaratus est Jesus.

c. Ad Herodem missus est. Impii regis curiositas ; accusationes ; irrisiones ; silentium Jesu ; Pilato remissus est.

d. Barabbae posthabitus est. Clamabat populus : « Tolle hunc. Crucifigatur. »

e. Saevissime flagellatus est ; spinis coronatus est ; lusus sequebatur indignissimus et crudelis.

f. Populo ostenditur, dicente praeside : « Ecce homo. »

g. Suprema mortis causa adducta a Judaeis : « Quia Filium Dei se fecit. »

h. Ultimo a Pilato de divina sua origine examinatus est.

6. *Morte condemnatus* est, et Judaeorum traditus voluntati.

7. *Sententiae executio.*

Bajulavit sibi crucem : cruci confixus est. Suavissima verba moriens protulit.

Exempla mirifica dedit patientiae, mansuetudinis, amoris, misericordiae.

361. Corpus Domini sepelitur.

« Et erit sepulchrum ejus gloriosum. » Is. 11, 10.

Mortuo Jesu, « contumeliis cruciatibusque summis jam succedent plurima et quasi continua honoris decorisque testimonia, nempe prodigia in natura muta, mirabilis quorumdam adstantium conversio ad fidem, sanguinis et aquae e latere Jesu profluvium miraculosum, sepultura Christi honestissima et vere splendida, maxime vero Resurrectio ejusdem et Ascensio gloriosissimae. » Cl. Van Steenkiste, Com. in Matt, p. 1305.

---

1. Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum), venit Joseph ab Arimathaea, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Mc. 15, 42-3.

2. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset.

   Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

   Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. ib. 44-5.

3. Joseph emit sindonem pretiosam et fascias ad corpus honorifice sepeliendum.

4. Accessit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloës, quasi libras centum.

5. Joseph et Nicodemus, famulis suis adjuvantibus, corpus de cruce deposuerunt, illudque beatissima Mater super genua recepit. Plorantes adstiterunt Joannes, Maria Magdalena, et aliae piae mulieres.

6. Corpus reverenter laverunt, et sanguinem absterserunt ; sindone deinde illud involverunt, totumque corpus ligaverunt fasciis perlongis, quae aromatibus pulverulentis aspersae fuerunt. Sudarium denique capiti imposuerunt.

7. Corpus Salvatoris cum summa reverentia ita compositum ad hortum vicinum detulerunt, ubi erat monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Sepulchrum totum odoramentis adsperserunt, et in eo corpus posuerunt. Et advolverunt saxum magnum ad ostium monumenti, et abierunt. M. 27, 60.

8. Erat autem ibi Maria Magdalena, et altera Maria, sedentes contra sepulchrum. ib. 61.

De Christi sepultura honorifica gaudebo ; gaudebo pariter quod finis tandem factus sit laboris, doloris, et infamiae.

362. De Christi patientis exemplo.

i. « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. » 1 P. 2, 21.

ii. « O salutis sempiternae Dux et auctor inclyte. » Off. Pret. Sang.

---

1. EXEMPLUM OBEDIENTIAE.

a. « Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. » J. 14, 31.

b. In agonia positus dixit : « Non mea voluntas, sed tua fiat. » L. 22, 42.

c. « Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Phil. 2, 8.

d. « Sicut ovis ad occisionem ducetur. » Is. 53, 7.

c. In morte ipsa exclamavit : « Consummatum est. » J. 19, 30.

2. EXEMPLUM HUMILITATIS.

a. Ex infamia et derelictione, qua Jesus evasit homo cui non erat species neque decor, despectus, et novissimus virorum, vir dolorum, et sciens infirmitatem : et « quasi absconditus vultus ejus et despectus. » Is. 53, 2. 3.

b. « Factus sum sicut homo sine adjutorio. » Ps. 87, 5.
« Inter mortuos projecerunt me. » (Breviarium).

c. Nominatim recolantur : — ignominia flagellationis, diabolicus contemptus regiae Christi dignitatis in coronatione et cultu irrisorio, indignissima illa et sinistra comparatio cum Barabba, summus ille infamiae gradus, quo inter latrones crucifigebatur, ipsa denique horrenda crucifixio.

3. EXEMPLUM CONSTANTIAE.

a. Mortem amarissimam non declinavit, sed quaesivit. « Surgite, eamus : ecce appropinquat qui me tradet.» M. 26, 46, 2.

b. Ignominiam, acerbitatem, stadia singula passionis vivide praescivit, et saepius praenuntiavit ; omnia tandem usque ad minima peregit.

c. Passionem vehementer desiderabat : « Baptismo autem habeo baptizari : et quomodo coarctor usquedum perficiatur ? » L. 12, 50.
« Salvatoris infirma nos, qui Christi sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari dignum est et salubre et honorificum. » Anselmus, Med. ix, Op. p. 217.

363. De Christi patientis exemplo (2).

i. « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » J. 12, 32.

ii. « Sana animam meam, quia peccavi tibi. Fac ergo opus tuum, pie Jesu, et salva me. » S. Anselmus, Med. XII, in fine.

---

1. EXEMPLUM JUSTITIAE.

Quia constituit Deus immensum peccatorum debitum pretio longe majore extinguere, « Christus, ex charitate et obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis :

a. propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur ;

b. propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vitae Dei et hominis ;

c. propter generalitatem passionis, et magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis. » S. Th. 3, q. 48, a. 2.

2. EXEMPLUM PATIENTIAE.

Semel tantum in passione Dominus suos persecutores redarguit, quando nimirum primam contumeliam atrocissimam a servo summi pontificis accepit. Quoad reliquas injurias et cruciatus, ne verbum quidem protulit. « Jesu patientissime, miserere nobis. »

3. EXEMPLUM MISERICORDIAE.

a. Erga Judam proditorem, cui nec amica verba, nec osculum negavit.

b. Erga Malchum, cujus auriculam sanavit.
c. Erga Annam et Caipham, sacerdotes pessimos contra quos ne verbum quidem protulit.
d. Erga discipulos, pro quibus rogavit, ut ex horto abire permitterentur.
e. Erga Herodem, virum mundanum, luxuriosum et curiosum, quem non increpavit.
f. Erga Pilatum, virum ethnicum, alienigenam, judicem injustum, qui sententiam iniquissimam pronuntiavit, cui tamen mirifice Jesus acquievit.
g. Erga carnifices, pro quibus aperte oravit.
h. Erga latrones, quorum uni, poenitenter roganti, statim promisit paradisum.
i. Erga beatissimam Virginem et S. Joannem, quos humanissime allocutus est.

Passionem Christi « fac in hac vita quotidianum panem et victum, et viaticum tuum. » S. Anselm., Med. xi, post medium.

« Fac me quaerere te, quaesitum invenire te, tentum possidere, ut tu solus dulcescas mihi, sapias et placeas. » ib. xii, post medium.

364. Horarium dominicae passionis.

Feria iv... Judas, mercator pessimus, pactum de Magistro suo tradendo cum Judaeis init.

Feria v.... *Vespere.*

7. 0. Manducatio agni paschalis. Coena communis.

Lotio pedum discipulorum. Institutio Sacratissimi Sacramenti. Judas discedit.

Christus alloquitur apostolos.

	10. 0	Discessus in hortum Gethsemane.
	10. 30	Oratio in horto.
	11. 30.	Jesus comprehenditur. Fugiunt discipuli.
	12. 0	Christus Annae ostenditur.
Feria vi.	12. 30	Praevium examen coram Caïpha.
	1. 30	Traditur Jesus ministris custodiendus, a quibus illuditur et alapis caeditur.
	2. 30	Petri prima et altera negatio.
	4. 0	Petri tertia negatio. Jesus a ministris, qui eum custodia tenebant, iterum illuditur, multisque modis misere vexatur.
	6. 0	Jesus coram Synedrio iterum adducitur.
	7. 0	Jesus traditur Pilato. Judas laqueo se suspendit.
	8. 0	Jesus mittitur ad Herodem.
	9. 0	Ab Herode ad Pilatum remittitur Jesus.
	9. 30.	Electio Barabbae ; rejicitur Jesus.
	10. 0	Jesus flagellis caeditur, et spinis coronatur.
	11. 0.	Pilatus Jesus populo ostendit, dicens : « Ecce homo. »
	11. 30.	Salvator, crucem portans, pergit ad Calvariae collem.
	12. 0.	Cruci affigitur.
	3. 0.	In cruce nostri omnium amore moritur.
	4. 0.	Pilatus donat corpus Jesu Joseph ab Arimathaea.
	5. 0.	Corpus cum reverentia et honore deponitur. Depositio, et sepultura.
Sabbato.	5. 0.	p. m. Sepulchrum militum custodia munitur.

365. Pia salutatio Christi patientis [1].

Adoro, laudo, et glorifico te, Domine Jesu Christe ; benedico, et gratias ago tibi, Fili Dei vivi, cujus membra dignissima pro mea salute nimium fuerunt afflicta : ego illa pro tui honore et amore saluto.

Salvete immaculati pedes Domini mei, pro me fatigati et clavis perforati.

Salvete venerabilia genua, pro me ad orationem flexa, et saepe lassata.

Salve floridissimum pectus, pro me livoribus et plagis deformatum.

Salve sacratissimum latus, pro me lancea confossum.

Salve amantissimum, benignissimum, atque melitissimum cor pro me vulneratum...

Salve sanctissimum dorsum, pro me flagris conscissum, et sanguine rubricatum.

Salvete dulcissima carissimaque brachia, pro me in cruce extensa.

Salvete delicatae manus, pro me crudeliter clavis transfixae.

Salvete nitidissimi humeri, pro me pondere crucis gravati et confracti....

Salve os et guttur suavissimum, pro me felle et aceto potatum.

Salve gratiosissima facies, pro me putentibus sputis foedata, et duris alapis caesa

Salvete benignissimae aures, pro me contumeliis oneratae.

Salvete beatissimi oculi, pro me lacrymis perfusi.

---

1. Ex Institutione Spirit. Lud. Blosii, Append. III, n. vi.

Salve venerandum caput, pro me spinis coronatum, sauciatum, atque arundine percussum.

Saluto, clementissime Jesu, totum corpus tuum, pro me flagellatum, dilaceratum, crucifixum, mortuum et sepultum.

Saluto Sanguinem tuum pretiosissimum, pro me prorsus effusum.

Saluto nobilissimam animam tuam, pro me contristatam et angustiatam.

Amabilis Jesu, sanctifica, quaeso, per sacratissima membra tua, omnia membra mea : et dele omnes peccatorum maculas, quas eisdem abutendo unquam contraxi.

366. De Christi cruce tollenda [1].

Sed si bene facientes patienter sustinetis, (Adversariorum tolerantia non solum ut poena proponitur, verum etiam ut purificatio et exaltatio spiritus.)

haec est gratia apud Deum (meritum seu praemii dignitas).

In hoc enim vocati estis : (Promisit Christus futuras persecutiones et odia ; tales voluit discipulos, qui essent crucis amatores ; sed crucem ipse prior sanctificavit et portabilem reddidit. « Pro ipso pati dulce est et mori lucrum. » S. Basilius, Ep. 18, in fine. Vol. v, p. 137.)

quia et Christus (innocens, optimus, dux et legifer noster)

passus est (inediam, labores, contradictiones aemulationes, calumnias, irrisiones, ingratitudinem, saevos mortis dolores pertulit)

pro nobis, (servis, infimis, quos e nihilo vocavit)

vobis (mihi, sociis meis, bonis omnibus et malis suum legavit exemplum benedictum ;)

---

1. P. 2, 20. 21.

relinquens exemplum (in principiis doctrinae suae, — in vitae totius indole perfecta) : (« Omnis actio, omnisque sermo Servatoris nostri Jesu Christi, pietatis ac virtutis regula est. Quapropter pietate ac virtute nobis veluti in quadam imagine depictis, etiam naturam humanam assumpsit, ut unusquisque ad eam respicientes, pro viribus archetypum imitaremur. Nam eam ob causam corpus nostrum gerit, ut et nos illius vivendi rationem, quoad ejus fieri potest, exprimamus. » S. Basil, Const. Mon., c. 1, init. vol. iv, p. 767.)

ut sequamini vestigia ejus (Haerendi nullus locus. Finis Christi est, ut nos ipsum ducem comitemur. Eum tantum respicere, vel laudare, vel admirari, nihil valet, nihil nos juvat.

Vestigia ejus sunt clara et aperta, rubro signata sanguine. « Christianus est qui non aspernatur viam Christi, sed vult illam sequi per passiones similes. Noli per aliam viam velle ire quam per ipsam, qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via ». Alvarez de Paz.

Christus totum solvit pretium redemptionis, sed eo pacto ut nos quoque aliquid pateremur.

« Qui (i. e. S. Paulus) nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia. » Coloss. 1, 24).

Caput IV. De Christi Triumpho Glorioso.

367. Christus resurgit.

1. Piae mulieres ante solis ortum ex Bethania pergunt ad monumentum cum aromatibus et unguentis copiosis, quae paraverant, ut corpus Jesu tandem plenius condirent. Ad monumentum pertingunt orto jam sole. Mc. 16, 1. 2.

2. In via colloquebantur ad invicem : « Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? » ib. 3. Nihil noverunt de militibus custodibus, vel de signato lapide.

3. Interim corpus Jesu resuscitatum ex clauso sepulchro prodit.

4. « Et ecce terraemotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo : et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.

   Erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimentum ejus sicut nix.

   Prae timore autem ejus exterriti sunt custudes, et facti sunt velut mortui. »M. 28, 2-5.

   In civitatem postea cucurrerunt custodes, ut rem nuntiarent principibus.

5. Veniunt deinde mulieres, et vident revolutum lapidem. At Maria Magdalena, quum viderit monumentum vacuum, statim sola discessit, et festinavit ad domum Petri et Joannis, dicens : « Tulerunt Dominum de

monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. » J. 20, 2.

Reliquae mulieres manent in vestibulo sepulchri, et subito apparent eis duo angeli. Mulieres timebant, et declinabant vultum in terram.

Quibus dixerunt angeli : « Quid quaeritis viventem cum mortuis ?

Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens: quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere. »

Mulieres tunc recordatae sunt verborum ejus. L. 24, 4-8.

6. « Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. » M. 28. 8. Nemini vero rem dixerunt nisi discipulis : « nuntiaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus. » Mc. 16, 8 ; L. 24, 9.

368. Discipuli ad sepulchrum.

1. « Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus (Joannes), et venerunt ad monumentum.

Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. » J. 20, 3-4.

2. Joannes « se inclinavit, et vidit linteamina posita, non tamen introivit.

Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit posita linteamina, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.

Tunc et Joannes introivit, et vidit et credidit.

Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. » ib. 5-9.

3. Quibus dictis perpendantur : —

a. *Locus*. Tumulus Dei-hominis prope ad locum sacrificii, quo peracto, universus mundus restauratus est.

b. *Adjuncta*. Sepulchrum vacuum ; linteamina posita ; sudarium separatim involutum in alio loco.

c. *Actiones* : —

α. Nuntio accepto, currunt apostoli sancto curiositatis ardore (in iis enim quae spectabant Magistrum suum toti erant).

β. Humilitas Joannis, qui sinit Petrum primum intrare.

γ. Mentis admiratio, et cordis perturbatio de corpore remoto.

δ. Cura Evangelistae, qui minutiora quaecunque fideliter refert.

ε. Confessio illa candida quod non sciebant scripturam, quanquam Christus resurrectionem suam expresse praedixerat.

ϙ. Fides qua uterque credidit verbum Christi impletum fuisse, ipsumque vere resurrexisse.

369. De apparitione Christi facta matri suae benedictae.

1. Quemadmodum benignissimus Jesus ipso resurrectionis die visione corporali recreavit Petrum, Joannem, Mariam Magdalenam et ceteras pias mulieres, quae cruci adstiterant, ita omnino arbitrandum videtur ipsum filium piissimum Beatam suam Matrem omnium primam visitasse.

Et mihi etiam, si fidelis fuero, benigne sese ostendet.

2. Contemplabor Mariam in domo sua solitariam, afflictam, sed plenam fide et spe resurrectionis. Ipsa animo tranquillo divini Filii sui visitationem expectat.

Hinc discam et ego longanimitatem in patiendo, et fiduciam Domini mei.

3. Apparet subito Jesus in cubiculo matris, aspectu gloriosus, splendore coruscans, et matrem salutat. Maria ipsum reveretur et amplectitur. Intuetur caput honorabile, vultum speciosum, manus olim sanguine stillantes, nunc impassibiles et gloriosas.

Cum Maria vehementer gaudebo.

4. Verba auscultabo hujus piissimi colloquii : —
   1. Christus gratias Mariae refert de compassione et societate sua in passione.
   2. Maria gratulatur Salvatori de triumpho immortali, ac de amore suo praeter omnem mensuram, de fructu abundanti redemptionis, de opere suo consummato, de gloria quae crucis ignominiam illico subsecuta est.

5. Christus Mariam solatus est; ipsamque roboravit. Maria summum patiendi valorem intellexit ; novo cordis ardore cupit et ipsa usque ad mortem alia pati, ut magis magisque generosam in affectu amoris et fidelitatis se exhiberet.

370. Jesus sese manifestat Mariae Magdalenae [1].

1. Maria secuta est discipulos ad sepulchrum, ac ipsis recedentibus, in vestibulo monumenti, plorans remansit.

2. Inclinavit se et prospexit in cubiculum interius, ubi

1. J. 20, 11-17.

vidit duos angelos in vestibus albis (non fulgentibus), sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.

3. Egressi sunt angeli et dixerunt : « Mulier, quid ploras ? »

Respondit Maria : » Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. »

4. Deinde conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, quem tamen non agnovit.

Dixit ei Jesus : « Mulier. » (Observa primum Christi verbum dictum fuisse ad sexum debiliorem et magis fidelem ac pium).

« Quid ploras ? » (Verbum miserationis.)

« Quem quaeris ? » (Benigna interrogatio.)

Magdalena, existimans quia hortulanus esset, respondit : « Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam. » (Notetur amoris vehementia, et mens in uno praeoccupata.)

5. Iterum Maria tumulum respexit. Jesus autem eam nomine proprio appellavit : « Maria. » Ipsa nunc vocem agnovit, et statim conversa dixit : « Rabboni. »

Ad genua Jesu procubuit, et pedes ejus osculata est. Jesus perfervidam illam animae effusionem benigne reprehendit, dicens : « Noli me tangere. » (Adhuc enim in terris conspiciar.)

« Nondum enim ascendi ad Patrem meum : » (nunc quidem non plene, sed in coelo cum Christo frueris divino amore spiritualiter.)

« Vade autem ad fratres meos : » (Nuntiam suam ipsam constituit.) et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. »

6. Venit igitur Maria Magdalene annuntians discipulis : « Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi. »

371. Christus piis mulieribus sese ostendit [1].

1. Piae mulieres nuntium angelicum ad apostolos detulerant, et deinceps reversi sunt ad sepulchrum.

2. *Et ecce Jesus* (suavis aspectu, cum signis quibusdam gloriae suae ornatus)
occurrit (apparet eis qui ipsum inquirunt : « Fideliter currentibus occurrit Christus, ut quod fide crediderant, agnoscerent visu. « S. Pet. Chrysol., Sermo 80, p. 123.)
illis, (i. e. Mariae Jacobi (Minoris) seu Cleophae, sorori beatae Mariae virginis, et Salome (matri S. Joannis), et Joannae, uxori Chusae, fratris S. Josephi)
dicens : Avete (salutatio benignitatis plena : « Occurrit ut Dominus, salutat ut parens : affectu animat, servat timore : salutat ut per amorem serviant, non fugiant per terrorem. « S. Petri Chrysol., l. c.)
Illae autem accesserunt, (fiducialiter et peramanter)
et tenuerunt pedes ejus, (ex verecundia, reverentia, et humilitate)
et adoraverunt eum (Nosmetipsos cum mulieribus consociemus).
Tunc ait illis Jesus : Nolite timere : (Nam tremebundae accesserant.)
ite, nuntiate fratribus meis (fratribus: nomen plane dignum tanto Magistro et Salvatore ; non dedignatur eos ut fratres nunc nominare, quando brevi ingressurus est vitam cœlestem : « Resurgens a mortuis, Christus resumpsit hominem, non reliquit : vocat

---

1. M. 28, 8-10.

ergo fratres, quos corporis sui fecit esse germanos : vocat fratres, quos benignus haeres sibi praestitit cohaeredes. » S. Petr. l. c.)

ut eant in Galilaeam, (ibi enim modo solemniori sese manifestaturus erat)

ibi me videbunt (Et nos sequamur monita, quae Jesus vel per se vel per alios suos ministros nobis communicat ; et tandem nos pariter ipsum videbimus).

372. Christus apparet Simoni [1].

i. Contemplemur Petrum in domo sua, flentem, orantem, mirantem de omnibus quae nuper acciderant.

ii. Petamus ut Jesus nos etiam visitatione interna dulciter recreare dignetur.

I. Juvenis angelicus pias mulieres ita monuit : « Dicite discipulis ejus et Petro. »

1. Attenditur *honoris gradus* inter discipulos. Quanto magis ego agnoscere revererique debeo gradus sive ordinis sive auctoritatis Dei dispositione constitutos.
2. Confertur *gratia propria* apostolorum principi. Fiduciam exinde Domini capiam.
3. Non tantum Christus comiter *dissimulat lapsum* principis apostolorum, verum etiam ad eum ceteris priorem accedit, veniam benignitate sua ostensurus. « O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus. » Sap. 12, 1.

II. Duo discipuli sociis annuntiaverunt : « Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. »

---

1. L. 24, 34.

Non apparuit primum Joanni, qui cruci fidelis adstiterat, qui tanquam filius beatae Matri commendatus fuerat, et qui tantopere a Magistro dilectus fuerat, sed Petro, praesumptioso, infideli, fugitivo. Sed Petrus, qui primus Christi divinitatem confessus est, primus meruit videre Dominum resuscitatum.

III. Quando Jesus Petro apparuit, crimen trinae negationis non est recordatus. Petrum alloquitur salutatione paschali : « Pax tibi; » eique benedicit, eumque benigne complectitur et consolatur.

Pie contemplabor Christi splendorem, affabilitatem, misericordiam. In Petro respiciam humilitatem, poenitentiam, fiduciam, gratum animum, devotionem renovatam. Petrus pronus in terram Jesum adorat.

373. Jesus apparet duobus discipulis in via [1]

1. Duo discipuli, auditis omnibus, quae mulieres, Petrus et Joannes de vacuo sepulchro narraverant, perturbati sunt et dejecti, atque solatii causa iter Emmaus versus instituerunt.

2. In via loquuntur ad invicem de iis omnibus, quae acciderant : de Christo, de passione ejus et de fama resurrectionis.

3. Jesus appropinquat eisque se adjungit, et quaerit de quibus loquerentur : « Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes ? » Sed « Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent. »

4. Respondent se loqui de Jesu, de passione et morte

1. L. 24, 13-35.

ejus, de rumore a mulieribus aliisque sparso Christum resurrexisse, angelosque apparuisse, et de magna spe, quam olim foverunt de Christo.

Aperiunt etiam suam tristitiam et abjectionem animi.

5. Reponit autem Jesus : « O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae ! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » Deinde pergit illis exponere sacra eloquia, quae de ipso erant.

6. Coëgerunt Jesum,« qui finxit se longius ire », ut cum iis in castello coenaret, quibus benigne annuit.

7. Dum recumberet, accepit panem, benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.

8. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum in fractione panis ; et ipse evanuit ex oculis eorum.

9. In Jerusalem reversi discipulos adierunt, narraverunt ea quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

374. Christus discipulis in via loquitur [1].

i. Eventus in praecedenti meditatione considerati revocentur.
ii. Gratiam rogemus Christum cognoscendi et amandi.

---

1. *Tristis* erant discipuli. « Nos omnino sperabamus quia ipse esset redempturus Israel : et nunc super haec omnia, tertia dies est hodie quod haec facta sunt. »

Ex defectu spei oriuntur tristitia et desolatio. « Lae-

1. L. 24, 21-5.

tentur omnes,qui sperant in te,in aeternum exaltabunt: et habitabis in eis. » Ps. 5, 12.

2. Manent tamen *in Dei praesentia*, et dum de divinis confabulantur, Christus sub specie peregrini se iis adjungit. Bonus et benignus pastor venit, ut dubitantes illustret et roboret, ut tristes consoletur, ut mercedem beatae suae visionis iis retribuat, qui de vita sua et sacratissima passione sermocinantur. Tria ista ad instructionem meam data sunt.

3. *Eos blande alloquitur*. Aliud mihi documentum notandum quoad mores meos erga socios. Quaerit de sermonibus et de tristitia. Omnibus omnia se facit.

4. Difficultates suas, tristitias, dubia illi *candide aperiunt* (de Jesu Nazareno, de ejus morte et de sperata resurrectione, de dictis mulierum, de sepulchro quod a discipulis repertum est vacuum).

An ego in oratione, difficultates meas, dubia, anxietates Christo magistro aperiam ?

An, ut decet et interdum necesse est, iis ducibus ac superioribus utor, quos Christus nominavit sui ministros, mei autem directores ?

An cor lapideum vel mutum habeo ? An suspicione, vilipensione superiorum indulgeo ? An iis nihil credo ? seu, ut aiunt, nullam vel dimidiatam eorum fiduciam habeo ?

375. Christus cum discipulis in castello [1].

Et appropinquaverunt castello quo ibant: et finxit se longius ire (ut daret eis occasionem exercendi virtutes benignitatis et hospitalitatis).

1. L. 24, 28-31.

Et coegerunt illum, (En virtutis gradus intensior. Et nos libenter accipiamus quaslibet occasiones virtutes exercendi, praesertim obedientiam, humilitatem, mansuetudinem, affabilitatem et benignitatem.)

dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies (Insignis haec est charitas erga ignotum peregrinum : quanto magis oportet nos sodales nostros considerare, attendere quibus indigeant, quae velint, quid illis prosit, quid noceat.

Praeterea : Jesus rogari immo cogi desiderat. An ego illum rogo enixe, ex toto corde, pie, frequenter, humiliter et de rebus determinatis ?).

Intravit cum illis (Annuit postulationibus. Offerunt ei locum primum, eique ministrant. Quomodo recipio ego eumdem Christum Dominum in sacra synaxi ?).

Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis (O suavitas benigna ! Discipulis illis, sicut et apostolis, solemne dilectionis suae pignus impertitur. Nonne et idem mihi concedere solet ?).

Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : (An oculi mei aperti sunt, ut Dominum in sublimi Missae sacrificio cognoscam ? An carnem Christi percipio in sacra communione ? Si non : quaenam hujus caecitatis ratio ? Nonne quia sine sufficienti praeparatione sive proxima sive remota ad sacram mensam accessi ?)

et ipse evanuit ex oculis eorum (Saepius Christi praesentiam percipimus signis et symbolis quam percellenti aliqua illustratione. Fide frequentius quam sensu dulcedinem Domini degustamus. Visionem suam in terris nobis nunquam promisit, sed fidem et spem et per omnia charitatem).

376. Christus apostolis, absente Thoma, apparet. [1]

i. In mentem revocabo apparitiones jam factas Mariae, mulieribus, Petro, duobus discipulis.
ii. Dei in suos providentiam admirabor.

---

1. Vespere, recumbentibus undecim in coenaculo, venit Jesus, januis clausis : —

2. *Ingressus* : —
   a. Stetit in medio, dixitque : « Pax vobis. Ego sum ; nolite timere. » Putabant enim se spiritum videre.
   b. Inquirit humaniter : « Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra ? »
   c. Animos eorum erigit: « Videte manus meas, et pedes, et latus, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. » L. 24, 38-40.
   d. Aliud quoque praestitit signum : « Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus prae gaudio, dixit ; Habetis hic aliquid, quod manducetur ?
   At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. » Observabo diligenter Christum manducare cibum pauperum. Ille sacerdotum doctor et exemplar ; isti primi sacerdotes missionarii.
   « Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. » L. 24, 41-43.

3. *Exprobratio* : exprobravit *incredulitatem*, quod mulieribus et Petro renuntiantibus, et ipsi praedicenti nolue-

---

1. J. 20, 19-24.

rant credere, — et *duritiam* cordis. Indociles, hebetes, sceptici fuerant. Quam suaviter tamen Christus cum iis se gessit.

4. Stupefacti sunt prae admiratione (« *mirantibus prae gaudio* » rei adeo insolitae et mirabilis, resurrectionis scilicet Christi secundum prophetiam suam).

5. Benigne reprehendit discipulorum infidelitatem.

« O stulti, et tardi corde !... Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? »

O viam Christi regiam ! Doce me, Domine, viam patientiae accipere, ac vere diligere.

377. Christus poenitentiae sacramentum instituit. [1]

Scenam denuo mente reproducam, ubi Christus die resurrectionis apostolis apparuit.

Me sociabo apostolis, laetis de magistri triumpho, securis in fide resurrectionis, gaudentibus de visis Domini cicatricibus, quae fidem et fiduciam in eis mirifice auxerunt

---

1. *Dixit ergo eis iterum* : (Quis est qui loquitur ? quanta dicendorum certitudine ? quam suavi de ovibus suis providentia ? quanto dilectionis studio erga peccatores ?)

Pax vobis. (Haec Christi perennis salutatio, qua novum suum mandatum de amore fratrum exsequitur et illustrat. Pacem meam relinquo vobis.. pacem meam do vobis. Haec est, docente apostolo, « Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum. » Phil. 4, 7.

Perfunde, Domine, cor meum pacis tuae dono gratissimo).

---

1. J. 20, 22-23.

2. *Sicut misit me Pater,* (O missio Deo vere digna, qua summa imis juncta sunt ! Sic Deus dilexit mundum, ut daret divinum Filium, unigenitum et sibi coaequalem, ut homines dilectione et gratia traherentur ad ipsum. Haec norma sublimis missionis apostolicae.) *et ego* (Deus de Deo) *mitto vos* (apostolos, legatos, deputatos, vicarios, cum missione quae ad summa pertinet, homines nempe perducendos efficaciter ad finem suum supremum, cum auctoritate sese ingerendi in rebus stricte divinis ; non quidem propter mundana, opes, honores, at vero ut vitam animis docendis, ducendis et salvandis impendant).

3. *Haec cum dixisset,* (i. e. indolem propriam ministrorum Ecclesiae, et nominatim sacerdotis missionarii cum declarasset) *insufflavit* : (communicando potentissimum Spiritum Dei) *et dixit eis* : *Accipite Spiritum sanctum* : (Novo nunc titulo, et potestatis inauditae collatione, Spiritum sanctum Dei possederunt ad animas intime sanctificandas.)

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : *et quorum retinueritis, retenta sunt.* (Qualis et quanta haec potestas hominibus concessa, quae animas peccatrices tingerent rubescente Christi sanguine. Nunc reapse divina tetigi, vel saltem futurus sum legatus Dei sanctissimi ad opus tremendum vitae spiritualis elargiendae. Quanta me decet sanctitudo, cui non vasa Dei, sed Dei sanguinis mysterium manibus meis administare tribuetur !)

378. Christus apostolis, praesente Thoma, apparet [1].

Circa hanc Magistri apparitionem perpendenda praecipue veniunt duo : —

I. Thomae incredulitas.

1. Audita narratione eorum qui angelos viderant, Thomas credere noluit. Ea, quae ab omnibus testibus dicta fuerant, visa sunt illi sicut deliramenta. A fratribus forsan secesserat solus, tristis, perturbatus, adeoque privilegium amisit Christum conspiciendi ipso resurrectionis die.

Hinc discam a fratrum meorum consortio nunquam recedere.

2. Discipuli narraverunt Thomae apparitionem quam viderant ipsi : *Vidimus Dominum*. At vero pertinaciter reposuit Thomas : *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

Infidelitatem, heu ! sequuntur praesumptio, pervicacia, scandalum. Peccatum post se et alia trahere solet. « Verum mala ejus contumacia cessit in nostram utilitatem. Nam, ut Cyrillus dicit, existimo singulari Dei providentia infidelitatem ad tempus extitisse discipuli, ut per certam ejus fidem nos quoque posteri indubitanter crederemus carnem illam quae in ligno pependit mortemque pertulit vivificatam esse a Patre per Filium. » Knabenbauer in h. l.

---

1. J. 20, 23-9.

II. Thomae conversio.

1. *Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus : et Thomas cum eis.*

   Venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio, et (eos benigne salutans) *dixit : Pax vobis.* (Singula mente pia percurram.)

2. *Deinde dicit Thomae* (ceteros digniores magisque fideles praetermittens, alloquitur apostolum incredulum) : *Infer digitum tuum huc* (Dulci clementia verba ipsa apostoli praesumptiosa assumit ;) *et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum,* (Reprehensio vere paterna. Discipulo incredulo plus concessit quam ceteris, quia invitavit eum ad singula palpanda vulnera. Summa egit misericordia,ea ipsa enim quae praesumptiose postulaverat Jesus fieri permisit.

   Hinc discamus Magistri nostri suavitatem tenerrimam, inde vero modum, quo tractandi sunt tristes, pertinaces et increduli. Tales enim instruendi sunt in spiritu lenitatis).

   Et noli esse incredulus, sed fidelis.

3. *Respondit Thomas, et dixit* ei : *Dominus meus et Deus meus* (Cum profundo fidei affectu verba haec apostoli poenitentis pluries repetamus).

4. *Dixit ei Jesus : Quia vidisti me Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt* (Corde docili hoc Salvatoris monitum accipiamus).

379. Apparitio Christi in littore maris [1].

1. Apostoli secundum Christi monitum abierunt in Galilaeam, ibique labori, non otio sese dederunt.

2. *Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic* :

3. Aderant septem ex discipulis : Petrus, filii Zebedaei, Thomas, Nathanael, et alii duo. Simul piscari voluerunt, et nocte ista nihil prendiderunt.

4. Summo mane dum redibant, *stetit Jesus in littore* (suis semper benigne providens) : *non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est* (quod et nobis frequenter accidere solet).

5. *Dixit ergo eis Jesus* : *Pueri* (verbum intimae familiaritatis) *numquid pulmentarium habetis ? Responderunt ei* : *Non.*

Dicit eis : *mittite in dexteram navigii rete* (littus versus, ubi rari solent esse pisces) ; *et invenietis.*

Miserunt ergo (non pertinaces sed dociles) : *et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium* (Stupendum et generosum miraculum).

6. *Dixit ergo discipulus ille* (Joannes nempe, virgo, attentior, perspicacior, magis amans) *quem diligebat Jesus, Petro* : *Dominus est.*

Simon Petrus (promptissimus et fervidus) *cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se* (*erat enim nudus, et misit se in mare.*

Reliqui discipuli *navigio venerunt* (*non enim longe*

---

1. J. 21. 1-14.

erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), *trahentes rete piscium*, (et navim applicuerunt).

7. Christus interim refectionem providerat. *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.*

(Eosque rogavit ut de recenti captura aliquid afferrent.) *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit* (igitur statim) *Simon Petrus,et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.*

8. *Dicit eis Jesus : Venite, prandete.* (Venerunt quidem ; sed) *nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es ? scientes quia Dominus est* (Pio nempe timore tenebantur Domini, quem resuscitatum jam bene cognoverunt ; et de inopinata apparitione nolebant curiose inquirere).(More boni hospitis —) *Venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter* (Benigne cibos ipse distribuit ; suaviter colloquebatur ; serviles operariorum labores sua praesentia visibili consecravit. Hoc suo agendi modo nos docuit Magister non esse festinandum ad opera majora, nisi rite, decenter, cum cura et attentione hujus nostrae conditionis vel levissima negotia fiant).

380. Christus Petro confert primatum, ejusque martyrium praedicit [1].

Ob oculos iterum proponam ea, quae in littore maris Tiberiadis acciderant. Salvator apparet, apostolis redeuntibus ex piscatione infructuosa ; jubet rete mitti in aquis brevibus, unde ingens piscium multitudo capta est. Deinde cum discipulis affabiliter loquitur et prandet.

1. J. 21, 15-22.

1. Jesus deinde coram reliquis Petrum singulariter allocutus est, ut ab eo reparationem quamdam infidelitatis suae eliceret, et professionem, qua proxime praepararetur ad nobile munus gubernandi Ecclesiam totam provocaret.

2. *Dicit Simoni Petro Jesus* : *Simon Joannis, diligis me plus his ?* quam interrogationem Petrus partim declinans modeste dicit : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.*
Dicit ei : *Pasce agnos meos.*
Dicit ei iterum : *Simon Joannis diligis me ?*
Ait illi : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te* (Sit apostolorum princeps exemplo mihi humilitatis, poenitentiae, et professionis amoris sinceri).
Dicit ei : *Pasce agnos meos.*
Dicit ei tertio : *Simon Joannis, amas me ? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me ? et dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis quia amo te.*
Dixit ei : *Pasce oves meas.*

3. Quid si Dominus me de amore meo interrogaret ? An auderem ad divinam ejus de me scientiam appellare ?
Et Petrus quidem minus videtur attendere ad supremam sibi collatam dignitatem pascendi universum gregem Christi, quam ad tenerrimam Magistri sui exprobrationem.

4. « Ter interrogat et ter eadem imperat, ut ostendat quanti faciat ovium curam et hoc maximum esse amoris erga se argumentum (Chr.) ; ter Christus tam cognitam, tam exploratam Petri caritatem examinat ; quantum igitur momentum ponat in caritate pastoris animarum. » Knabenbauer in h. l.
Si vicarius Christi debet amore omnes excellere, sic quivis vir apostolicus eadem ratione omnes quos pascit in amore Christi debet superare.

5. *Amen, amen dico tibi : cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas* (in cruce), *et alius te cinget* (cruci ligabit), *et ducet quo non vis* (A quo scilicet abhorret natura, i. e. ad mortem. Ita et mihi praeparabuntur labores, contradictiones, paupertas ; et vita ipsa dabitur ad animas Christo lucrandas). Et cum hoc respondisset, dixit ei : *Sequere me.* Et cum Petrus rogasset Dominum de sorte Joannis, Salvator idipsum respondit : *Tu me sequere.*

381. Christus apparet in monte Galilaeae [1].

1. *Undecim autem discipuli* (i. e. saltem apostoli) *abierunt in Galilaeam,* (Ubi notandum venit ipsos secessisse a turba et negotiis urbis principalis. Praeterea « in Galilaea elegerat Christus apostolos viros ex Galilaea (Juda, uti videtur, excepto) ; in Galilaea potissimum eos docuerit ; in Galilaea se resurgentem cum iis conversari velle significaverat, ibidem eos omnium gentium doctores fieri jubet. » Knabenbauer in. h. l.) *in montem ubi constituerat illis Jesus* (Illuc igitur ex obedientia convenerant. Erat fortasse idem mons ubi Jesus de octo beatitudinibus sermonem habuerat, et ubi transfiguratus fuerat).

2. *Et videntes eum* (perspicaci mentis intuitu intelligentes quis esset) *adoraverunt : quidam autem dubitaverunt,* (timebant ne deciperentur). *Et accedens Jesus* (Mentes illuminavit ; dubia sustulit. Ita in anxietatibus, in dubiis, in tentationibus accedamus ad Jesum mentis recollectione, visitatione SS. Sacramenti, et susceptione sacrae communionis.) *locutus est eis, dicens :*

---

1. M. 28, 16-20.

3. *Data est mihi* (Christo ut homini, — inchoative in ipsa incarnatione, et complete post resurrectionem : — ut redemptori, quia propter obedientiam et passionem « Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum. » Phil. 2, 9. 10 ; — vel etiam ut capiti Ecclesiae : « Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. » Ps. 2, 8.)

omnis potestas in coelo et in terra (Fidem Christi ejusdemque regni universi renovemus ; potentiam ejus revereamur ; actum subjectionis erga Christi vicarium in terris eliciamus).

4. *Euntes ergo docete* (Facite discipulos verbo praedicationis. Eadem et mihi suo tempore auctoritate Ecclesiae dicentur. Hinc officium onerosum interim addiscendi Ecclesiae doctrinas in tota sua amplitudine, cum assiduo studio, amore, ardore. Hinc etiam officium eas ita imbibendi, ut apte et fructuose eas gentibus hujus nostri temporis possim annuntiare.)

omnes gentes, (universam creaturam, omnem animam redemptam sanguine Christi) : *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* : (Hunc ritum solemnis instaurationis et consecrationis maxime semper aestimemus.)

docenres (ministerio verbi et exemplo) *eos servare* (huc spectant doctrinae morales et asceticae) *omnia* (absit quidem ut vel negligentia, vel socordia nostra, idem semper in instructionibus nostris repetamus, et sine praeparatione, peritia, scientia muneris nostri, genti fastidiosae proponamus altissimam revelationis institutionem, vel sublimes leges et indolem vitae christianae sanctioris) *quaecumque mandavi vobis* : (praedicamus doctrinas quae ex Christo sunt non ex nobis :) *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad*

consummationem saeculi. (Quid significat haec promissi sive hodie v. g. circa praesentiam Christi sacramenta lem, circa operationes gratiae internae, sive decurs saeculorum in auxilio indesinenter et opportune praes tito Ecclesiae ?)

382. De omnibus simul apparitionibus.

1. « Ad *veritatem* autem resurrectionis manifestandam sufficit quod pluries (Christus eis (discipulis) appa ruit, et cum eis familiariter est locutus, et comedit e bibit, et se eis palpandum praebuit. »

2. « Ad *gloriam* autem resurgentis manifestandam noluit continuo conversari cum eis... ne videretur ac talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat. » S. Th. 3, q. 55, a. 3.

3. *Consolationem* autem de continua sui praesentia eis in alia vita repromisit : » Iterum videbo vos, et gaude bit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. J. 16, 22 ; et S. Th. ib. ad 1.

4. Loca apparitionum mihi repraesentabo, quae sunt, — domus Mariae, hortus sepulchri, domus Petri, via Emmautana, coenaculum, littus maris Tiberiadis, mons Galilaeae, mons Oliveti.

5. *Apostolis praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis,* (Argumenta illa sunt certa testi monia de resurrectione scilicet : apparitiones, verba prolata, palpatio vulnerum, comestiones.) *per dies quadraginta apparens eis,* (id est : quater ipso resurrec tionis die, semel post dies octo, et saltem quater post modum ; plures forte fuerunt apparitiones quarum

nulla mentio in scripturis : « Crebra enim erat ejus cum eis conversatio, priusquam ascendisset in coelum : et hoc ad consolationem ipsorum. » Apud S. Th. l. c. ad 3).

et loquens de regno Dei (videlicet : de Ecclesiae constitutione, propagatione, hierarchia, sacramentis, virtutibus). Act. 1, 3.

6. Apparitiones factae sunt : —

a. beatissimae virginae Mariae, quando matrem Christus reveretur ;

b. Mariae Magdalenae, quando ostendit se amanter quaerenti Magistrum ;

c. piis mulieribus, quibus ut fidelibus se manifestat ;

d. Simoni ; se magnanimum ostendit apostolorum principi ;

e. duobus discipulis, quibus (licet nobis ignotis) benignissime apparet ad eos illuminandos et consolandos ;

f. apostolorum coetui electo (Thoma absente) se revelat, et sacramentum poenitentiae instituit ;

g. Thomae una cum ceteris apostolis, cum quo incredulo clementissime agit Dominus ;

h. in littore maris Tiberiadis, ubi affabilem suis se praebet ; a Petro petit amoris professionem, cui deinde confert primatum ;

i. in monte Galilaei, ubi dat missionem solemnem, et perennem sui praesentiam promittit.

j. Jacobi minori, quia fuit dilectus, virgo, cognatus, et magnae auctoritatis apud Judaeos.

k. discipulis aliisque in coenaculo ante ascensionem.

383. Verba Christi de ascensione sua.

1. Turbae ascensionem suam praenuntiavit tamquam potentiae suae certum indicium.

Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius. J. 6, 63.

In testimonium potestatis suae divinae, et veritatis promissionis eucharisticae, testimonium propheticum inclytae suae ascensionis adduxit. Coelestem suam originem et futurum in coelum reditum uno conjunxit eloquio, ut ostenderet se esse panem vivum, qui de coelo descendisset. Dat panem coelestem, quia de coelo venit ; de coelo venit, quia paulo post illuc est visibiliter reversurus.

2. Pharisaeorum ministris dixit : *Adhuc modicum tempus vobiscum sum ; et vado ad eum qui me misit.* J. 7, 33.

Christus ortum suum et potestatem declarat. Christus coelum constanter respicit. Plenam in eo fiduciam habeamus ; ad Christum in coelis regnantem suspiremus.

3. Ad apostolos plura de discessu suo familiari sermone explicavit.

a. In domo Patris mei mansiones multae sunt : si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. J. 14, 2. (Coelum vobis aperiam ; auxilia superna per saeculorum decursum super vos et omnes perfundam).

b. Vado, et venio ad vos (Brevi quidem abeo. Sed in die supremo accipiam vos ad meipsum).

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem ; quia Pater major me est.

Et nunc dixi vobis priusquam fiat : ut cum factum fuerit, credatis. J. 14, 28, 29.

c. Modicum, et jam non videbitis me : (in passione et descensu ad inferos, vel post ascensionem ;) *et iterum modicum, et videbitis me* : (post resurrectionem suam, vel in die judicii supremi :) *quia vado ad Patrem,*. J. 16, 16.

d. A te (Deo Patre) *exivi... Tu me misisti... ad te venio.* J. 17, 8-11.

e. Expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. J. 16, 7.

4. Mariae Magdalenae pulchra de ascensione aperuit : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* J. 20, 17.

384. Apparitio Christi ultima.

1. Reversis apostolis Jerosolymam, Christus illis in coenaculo apparuit, cum eis convescebat, eosque benigna conversatione reficiebat.

2. Oracula, quae de ipso erant, exposuit : *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum,* (in vita mortali) *quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me* (et nominatim ea quae saepius ipse eis praenuntiavit de sua passione et resurrectione).

3. Dedit eis clavem scripturarum : *Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat —*

a. Christum pati (v. g. « Corpus meum dedi percutientibus. » Is. 50, 6) :

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

b. Christum *resurgere a mortuis tertia die* (« Quoniam non derelinques animam meam in inferno. » Ps. 15, 10) :

c. *et praedicari in nomine meo ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes,* (« In TE benedicentur universae cognationes terrae. « Gen. 12, 3) *incipientibus ab Ierosolyma* (tamquam ex centro regni Dei).

Vos autem testes estis horum (Huc sane spectat missio nostra ; homines e tenebris eripere, a peccatis solvere, et ad gratiam et mercedem Salvatoris nostri perducere).

4. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos* :
vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. L. 24, 44-9.

5. *Quaerentibus autem discipulis de gente Israelitica restituenda, respondit : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate.* (Quibus inter alia docemur ne solliciti simus de operum nostrorum eventu, vel de cursu providentiae divinae. Haec Deo relinquenda sunt. Illa praestemus, quae ex nostra pendent potestate). Act. 1, 7.

6. Promissa dedit —

a. salutis : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* M. 16, 16.

b. miraculorum : *Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur : —*

daemones ejicient : linguis loquentur novis : serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super aegros manus imponent, et bene habebunt. Mc. ib. 17-18.

c. praesentiae suae perennis : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* M. 28, 20.

385. Christi gloriosa ascensio.

Breviter in mentem revocabo ea, quae die ascensionis jam evenerant : scilicet, apparitionem Christi, refectionem in coenaculo, instructionem magistri de prophetiis nunc impletis, de missione Spiritus sancti, de futuris miraculis, atque monitum de mora facienda Hierosolymis donec induerentur virtute ex alto.

---

1. *Eduxit autem eos foras* (apostolos, discipulos, beatissimam virginem, pias mulieres Galilaeas) *in Bethaniam* (i. e. versus Bethaniam ; constitit tamen in vertice montis Oliveti. Recogitabo paucis eventus praeclarissimos, qui occurrerant in hac regione, resuscitationem Lazari, processionem palmarum, frequentia Christi itinera infra hebdomadam passionis, agoniam et apprehensionem in horto).

2. *Et elevatis manibus suis* (more sacerdotum in lege veteri) *benedixit eis* (ut censeri potest, facie conversa ad plagam cœli septentrio-occidentalem : i. e. ad gentes ethnicas. « Fecit ut pater qui moriens aut longe non rediturus abiens filiis benedicit » Mald.).

   Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. (Quales certe fuerunt affectus, lachrymae, salutationes, et ultima verba piae illius multitudinis ! Qualia ac quanta gaudia, gratulationes curiae cœlestis, dum Rex ingrediebatur regnum suum !) L. 24, 51-2.

3. *Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum ? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic*

veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Act. 1, 10, 11.

4. *Tunc reversi sunt in Ierosolymam, a monte qui dicitur Oliveti, qui est juxta Ierusalem, sabbati habens iter.* ib. 12.

Et ipsi adorantes (summa moti reverentia erga Dominum suum triumphatorem), *regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno* (fiducia in Deum, consolatione de victoria, animo parato ad opus Christi viriliter faciendum); *erant semper in templo* (i. e. assidue, quotidie horis congruis et ad orationem destinatis. Knabenbauer), *laudantes et benedicentes Deum. Amen.* L. 24, 52. 53.

386. Quare Christus ascendit [1].

i. Gloriosum ascensionis spectaculum menti revocemus. Christus apparet in coenaculo, suos alloquitur, ipsis tantum visibilis egreditur ad montem Olivarum, manu divina benedicit illis, ab eis recedit, in coelum fertur, apparent statim nuntii angelici.

ii. « Concede... ut qui... redemptorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus.» (Oratio festi).

Ipsa ascensio Christi in coelum, qua corporalem suam praesentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis quam praesentia corporalis fuisset.

Primo quidem, propter fidei augmentum, quae est de non visis. Unde ipse Dominus dicit.. « Beati qui non viderunt, et crediderunt.. » J. 20, 29.

---

1. S. Th. 3, q. 57, a. 1 ad 3.

Secundo, ad spei sublevationem. Per hoc enim quod Christus humanam naturam assumptam in coelo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi. Unde de Christo capite nostro dicitur : « Ascendet enim pandens iter ante eos (scl. filios Israel). » Mich. 2, 13.

Tertio, ad erigendum caritatis affectum in coelestia. Unde dicit Apostolus : « Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quae sursum sunt sapite, non quae super terram. » Col. 3, 1. Ne simus toti absorpti rebus, studiis, negotiis terrenis ; sed oculos, mentem, desideria convertamus ad divina, nimirum ad opera gratiae, ad Christum, Deum, aeternitatem.

Quibus addi possunt sequentia, quae alias ascensionis rationes indicant : nimirum

Ut mitteretur Spiritus sanctus. « Expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos. » J. 16, 7. Quia Spiritus sanctus est amor nos in coelestia rapiens. S. Th. l. c.

Ut reverentia nostra in Christum augeatur, dum eum non ut hominem terrenum aestimamus, sed tantum ut Deum-hominem, orbis universi redemptorem, doctorem cœlestem, auctorem gratiae et salutis ; atque ut tali, vivimus et servimus illi. « Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc non novimus. » 2 C. 5, 16.

387. Suaves affectus erga Christum triumphantem [1].

« Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum : et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est

1. Hymnus ad Matutinum in festo Ascensionis.

Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem...
et omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum. Amen. » Ap. 5, 11-13.

---

1. *Rex, redemptor, victor salutatur* :

Aeterne Rex altissime,
Redemptor et fidelium,
Cui mors perempta detulit
Summae triumphum gloriae :

2. *Universorum rex constitutus, thronum ascendit* :

Ascendis orbes siderum,
Quo te vocabat coelitus
Collata, non humanitus,
Rerum potestas omnium :

3. *Creaturae omnes eum adorant* :

Ut trina rerum machina
Coelestium, terrestrium,
Et inferorum condita,
Flectat genu jam subdita.

4. *Stupent spiritus coelestes* :

Tremunt videntes angeli
Versam vicem mortalium :
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus, Dei caro.

5. *Verum hominis gaudium.*

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens Olympo praemium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

6. Supplex obsecratio.

Hinc Te precantes quaesumus
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleva
Ad Te superna gratia.
Ut cum repente coeperis
Clarere nube Judicis,
Poenas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

388. Apostoli in coenaculo [1].

1. Reversi sunt apostoli cum discipulis et piis mulieribus a monte Oliveti, ubi Christus ascenderat, et introierunt in coenaculum.

2. Erant omnes (apostoli, discipuli, beata Maria virgo, piae mulieres et fratres Jesu) perseverantes unanimiter in oratione.(Hinc discendum quomodo recipienda sint dona Dei specialia).

3. *In diebus illis exsurrexit Petrus* (promptus semper ad officium implendum) *in medio fratrum, (erat autem turba hominum simul fere centum viginti ;)* ut ante omnia incumberet operi surrogandi apostolum in locum Judae traditoris. (Hic admirabor vigilantiam de bono nascentis Ecclesiae, et animi celsitudinem, qua, tanquam Christi vicarius, defectui in collegio apostolico, quod Christus ipse fundaverat, quamprimum supplere studet.)

De Judae lapsu, et infelici interitu verba fecit. Mo-

---

1. Act. 1, 12-26.

nitum dedit qualis debeat esse is, qui loco Judae substituendus esset. *Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* (Postulabatur nempe vir maturus judicio, cui Jesus notissimus esset, qui bene ab illo fuisset edoctus, viri qui testis idoneus totius vitae Salvatoris foret. Haec ad vocationem et officia mea diligenter applicabo.

4. *Et* (ex communi consilio) *statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus* (fratrem Jacobi, et consobrinum Christi), *et Matthiam. Et orantes dixerunt* (oratione communi): *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et apostolatus* (In his perpende quid primi discipuli de vocatione ad apostolatum sentirent).

Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis.

In istis notandae sunt: — 1. *fiducia*, qua apostolis ad mundum convertendum duodenarium collegium sufficit; 2. *difficultas* dignoscendi vocationem apostolicam; nam ad interna spectat, Deo soli cognita; 3. *pax*, quae secuta est electionem; Matthias enim non exultavit, nec Joseph animo dejectus est, nec minus ferventer evangelium Christi praedicabat, nec minus fortiter pro ipso postea passus est.

389. De adventu Spiritus Sancti [1].

1. Praeclaro Spiritus sancti adventu discipuli re et potestate plene constituti sunt apostoli ; initiati sunt formaliter ad opus Christi ex integro perficiendum, scilicet ad mundum universum reducendum ad Deum.

Hoc saltem secundum partem aliquam munus futurum est seminaristae. Ego igitur imaginatione me collocabo inter primos apostolos. Ea quae occurrebant die illo in aeternum memorabili videbo, et auscultabo.

2. *Et cum complerentur dies Pentecostes*, (Pentecostes festum institutum fuerat a/ in memoriam legis in monte Sinai datae ; hoc igitur recurrente anniversario, lex nova plene promulgata est : et b/ in gratiarum actionem pro novis frugibus ; ita primitiae praedicationis evangelicae fuerunt tria millia hominum hoc ipso die conversorum.)

3. *erant omnes* (apostoli aliique numero circiter centum viginti) *pariter in eodem loco* (i. e. in coenaculo). (Hic notabo concordiam fraternam, et unionem in oratione.)

Et factus est repente (Grandis et efficax de coelo adventus. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia : « Spiritus ubi vult spirat. » J. 3, 8.)

de coelo sonus, (Signum erat Spiritus praesentis, et etiam in symbolum accipiendum illius, quod jam prophetice dictum erat : « In omnem terram exivit sonus eorum. » Ps. 18, 5. « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. » Ps. 28, 4.)

tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit

---

1. Act. 2, 1-4.

totam domum ubi erant sedentes (In quo procul dubio cernes signum praesentiae et actionis divinae externum, certum atque palpabile.)

Et apparuerunt illis dispertitae linguae (Aliud signum Spiritus sancti descendentis. Symbolum hae linguae fuerunt muneris praedicandi, seu testimonii viva voce reddendi : praemonstrare etiam videbantur donum miraculosum linguarum.)

tamquam ignis, (Hoc symbolum revocat dictum : « Deus tuus ignis consumens est. » Deut. 4, 24. Ignis subtilitas et efficacia ardorem apostoli, et aciem penetrandi in mysteria divina non obscure menti objiciebat.)

seditque supra singulos eorum : (Singulos et omnes hoc modo tamquam primos ecclesiae doctores insigniverunt. Symbola ista externa indicia fuerunt admirandae instaurationis in mentibus et cordibus discipulorum per copiosissimam gratiae immissionem productae.)

4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*, (singuli communem mensuram apostoli receperunt ; ac simul alii aliam donorum copiam acceperunt, secundum diversam praeparationis mensuram, vel diversam in singulis Dei providentiam ;)

et coeperunt loqui variis linguis, (ipsi apostoli aliqua sibi ipsis nova lingua pro diversitate auditorum suorum usi sunt)

prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

390. De adventu Spiritus sancti 2.

i. Paucis memoria reproducam eventus Pentecostes, qui sunt : oratio et expectatio discipulorum : repentina apparentia signorum, soni nempe vehementis, et linguarum dispertitarum, ac tandem miraculum, quo facile et quidem grandiore quodam sermone elocuti sunt magnalia Dei
ii. Enixe gratiam Spiritus efflagitabo.

Tria potissimum ad instructionem nostram considerari possunt :

I. Adventus et opera Spiritus sancti :
1. miraculosa soni vehementis productio, et manifestatio linguarum ;
2. collatio, singulis facta, donorum, seu charismatum insignium, et nominatim linguarum ;
3. Praedicatio Christi ab apostolis statim incoepta ;
4. miraculum linguarum, quo *stupebant omnes, et mirabantur, dicentes* :

Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilaei sunt, et quomodo nos ...

audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus ?...

Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem, dicentes :

Quidnam vult hoc esse ?

Alii autem irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt isti. Act 2, 7-13.

II. Evangelium primo praedicatum :
1. ab apostolis omnibus, qui sese in multitudinem confertam insinuabant ;

2. deinde a Petro : *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis :* et déclaratis primo mirabilibus operibus Spiritus sancti, *praedicat Jesum Nazaraenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis : Hunc definito consilio, et praescientia Dei, per manus iniquorum affligentes interemistis : Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni...*

His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt... Quid faciemus, viri fratres ?

Respondit Petrus : —

a. *poenitentiam agite,*

b. *et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi* (i. e. in ejus fide, professione, virtute, meritis, imitatione, amore, servitio);

c. *et accipietis donum Spiritus sancti.*

d. *Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.*

Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens : Salvamini a generatione ista prava. Ib, 14-40.

III. Mores neo-conversorum :

Erant perseverantes in doctrina apostolorum, — in sacra communione corporis Domini (qua maxime induimus Christum), — in mutua beneficentia, — in oratione communi in templo, — cum exaltatione animi (in omnibus, quantum fieri potest, devitemus quamlibet animi perturbationem et tristitiam), — et cordis simplicitate (sine dolo, malitia, invidia, et cum sincera et pura intentione) ; quae simplicitas et cordis exultatio ex vitae sanctitate, et conversationis suavitate et benignitate ortum duxerunt. ib. 42-46.

391. De operatione Spiritus Sancti in die pentecostes.

1. Apostoli pie orantes in coenaculo promissum Spiritum expectant : charismatibus extraordinariis tanquam testes primarii revelationis divinae, et fundatores Ecclesiae sunt corroborati.

   Spiritus Dei non solum dona dedit coelestia, verum et ipse velata majestate in eos descendit.

2. « Jam enim fructus illi colligendi erant, quos Christi doctrina et passio seminaverat. Adventu Spiritus sancti induuntur apostoli virtute ex alto, promulgatur nova lex in sermone Petri, solemni modo Ecclesia existit et manifestatur statim tanquam universalis. Est itaque hic dies nascentis Ecclesiae ; iterum quasi Spiritus sanctus fertur super aquas, ut ex elementis efformet novum mundum » Knabenbauer in Act. 2, 4).

3. Descendit igitur Spiritus veritatis et sanctitatis :
   a. in *omnes communiter* tanquam in Ecclesiam nascentem : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.» Act. 2, 7.
   b. in beatissimam virginem *Mariam*, cui fideles universi jam sunt concrediti, cujus erat nascentis Ecclesiae primordia fovere, illuminare, et propellere ;
   c. in *apostolos* : —
      α. in quatuor Christi familiarissimos, — *Petrum*, apostolorum principem, vicarium Christi, qui nunc conversus, illustratus, fervore repletus, gravis et constans effectus, dux est et robur ceterorum ; — *Jacobum majorem*, qui igne apostolico inflammatus, nunc robustior, et magis adhuc fidelis evasit, — *Joannem*, evangelistam a Domino dilec-

tum, qui ex dono amoris speciali, majore sanctitate ornatus est, altiorique coelestium perspicacitate dotatus, — *Andream*, crucis amatorem insignem ;

β. in ceteros : *Philippum*, excultum et ingenuum, qui habet nunc dotes suas naturales elevatas, transformatasque,— *Bartholomaeum*, a Christo olim tantopere commendatum, qui pari modo a Spiritu locupletatus est, — *Matthaeum*, qui adeo prompte et generose Magistrum est secutus, ita largifluo dono auctus est gratiae, — *Thomam*, qui tanta dulcedine a Domino tractatus, nunc speciali fidei robore ditatus est, — *Jacobum*, Justum, qui nunc justior, suavior, et constantior factus est, — *Judam*, cognatum Salvatoris, qui gratia fit Christo intimior et propior, — *Simonem Chananaeum*, qui ex fervente evadit ferventior, *Matthiam*, qui tamquam ab ipso Spiritu sancto electus, copiose meruit illustrari.

4. *Discipuli* omnes suo licet inferiori dono repleti sunt.

5. *Mulieres* tandem piae gratiis convenientibus pariter insignitae sunt.

392. Pia Spiritus sancti invocatio.

« Spiritus Dei ferebatur super aquas. » Gen. 1, 2.

Oculis mentis intueare operatorium Dei Spiritum in ipso exordio universi.

« Spiritus Domini replevit orbem terrarum. » Sap. 1, 7.

Cogita stupendos gratiae effectus in ipsis eloquiis sacris, in cordibus piorum, in universa congregatione justorum, in Ecclesia sive nunc sive per saecula praeterita.

Veni Creator Spiritus :

Reverere divinitatem Spriritus sancti coequalis cum Patre ac Filio.

Perpende doctrinam scripturarum, quae proponunt opera gratiae tanquam « novas creaturas. »

« Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt : ecce facta sunt omnia nova. » 2 C. 5, 17.

« In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura. » Gal. 6, 15. Hinc orare monemur ita :

« Cor mundum crea in me Deus : » Ps. 50, 12 ; et alibi : « Emittes spiritum tuum, et creabuntur. » Ps. 103, 30. Dicitur tandem : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. » Eph. 4, 24.

Mentes tuorum visita : —

1. eas elevando ad statum filiorum adoptivum ;
2. eas illuminando : — auferendo nempe tenebras, et mentis dissipationem, et elargiendo visionis aciem ;
   « Illustra faciem tuam super servum tuum. » Ps. 30, 17.
   « Tu illuminas lucernam meam. » Ps. 17, 29.
   « Deus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus : illuminatos oculos cordis vestri. » Eph. 1, 17, 18.
3. movendo nos suis inspirationibus ;
4. consolando nos : « Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domini, quam abscondisti timentibus te ! » Ps. 30, 20.

Imple superna gratia :

Imple totum hominem, mentem et voluntatem ;

gratia, — i. e. favore, auxilio, lumine, motu suavi ;

superna, i. e. dentur dona plane divina, novae scilicet creaturae sensum exsuperantes.

Quae tu creasti pectora.

Ipse nos et fecit et ornavit. Sed post lapsum, nascitur homo sine ornamentis gratiae. Ipse nunc nos recreat, elevat, et constituit amicos, cives sanctorum, domesticos Dei.

393. Pia salutatio Spiritus sancti.

Prima stropha hymni « Veni Creator » lente repetatur, et unicuique voci paullulum immoretur affectus.

Qui diceris Paraclitus :

Advocatus est pro nobis apud Patrem, nos adjuvat in difficultatibus, hortatur in debilitate, sed praesertim in vitae hujus tristitiis nos consolatur.

« Deus totius consolationis. » 2 C. 1, 3. « Ecclesia.. consolatione sancti Spiritus replebatur. » Act. 9,31.

« Non relinquam vos orphanos. » J. 14, 18.

« Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. » J. 14, 16.

Altissimi donum Dei:

1. Donum est increatum. « Unus Deus Pater, unus unigenitus, Dominus noster Jesus Christus, et unus Spiritus, donum in omnibus. » S. Hilarius. Amor est primum donorum ; Spiritus sanctus est aeternus et substantialis amor, seu donum Patris et Filii : ex illo aeterno amore omnes nostrae gratiae effluxerunt.

Spiritui sancto speciali ratione convenit appellatio *amoris procedentis,* et respectu nostri saepe dicitur *virtus sanctificatrix,* Unde secundum proprietatem personalitatis ejus, Spiritui maxime convenit, ut no-

bis donetur ad complendum et consecrandum opus Christi.

2. Donum est creatum : — cujus elementa seu partes sunt, — creatio, sanctificatio, virtutes atque auxilia (dona scilicet septem Spiritus sancti) : « Accipietis donum Spiritus sancti. » Act. 2, 38.

Fons vivus, (aquarum nempe, quae sunt gratiae Spiritus ; « Flumina fluent (gratiarum) de ventre ejus (de ipsa anima, quae repleta est donis Spiritus sancti) aquae vivae » (i. e. gratiae vivificae) perpetuo salientes in vitam aeternam. J. 7, 38-9 :)

Ignis : spiritus subtilissimus, purissimus et efficacissimus ; spiritus zeli, et promptitudinis. « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur. L. 12, 49.

Caritas : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.» R. 5, 5. Fructus Spiritus sancti, charitas in Deum et proximum.

Et spiritalis unctio.

« Vos unctionem habetis a Sancto »

« Unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. » 2 C. 1, 21-2.

Caput V. De Sacratissimo Corde Jesu.

394. De cultu sacratissimo Cordis.

i. Transfixionem Cordis Jesu crucifixi nobis repraesentemus :

« Unus militus lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. » J. 19, 34.

ii. Gratiam cognoscendi et diligendi Jesum supplices petamus.

I. Objectum *materiale* cultus hujus est Cor verum et physicum Salvatoris, animatum, hypostatice unitum Verbo divino, dignum cultu stricte divino, fons vitae humanae in Christo, et affectuum praesertim amoris vehementis in nos confratres suos.

« Vides Cor meum, cor illud tanto hominum amore succensum ? »

« Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum : bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. » (Ex Missa.)

Cor sacratissimum adoremus ; Jesum propter humanitatem et benignitatem laudemus ; gratias ei agamus, quod cor nostro simile habere, et cum omnibus fratribus cummunicare voluerit.

II. Cultus hujus objectum *praecipuum*.

Cor Jesu non est colendum tantummodo ut est pars

praecipua corporis adorabilis, sed ut est sedes amoris immensi Filii Dei, qui

a. naturam nostram assumpsit ;

b. mortem amarissimam subiit ;

c. nobiscum in eucharistia ad finem usque manere statuit ;

d. neque ab hac amoris testificatione ob humana praevisa scelera impeditus est.

III. Rationes devotionis et festi sunt : —

a. tributum amoris solvendum ipsi fonti amoris in sacratissimo Sacramento, quod est Cor Christi et totus Christus ;

b. humanae ingratitudinis reparatio.

Exhibeamus igitur amorem *appretiativum*, quo ipsum, ut Magistrum et Redemptorem propter infinitam suam dignitatem vere diligamus, — amorem *redamationis*, quo amorem pro amore fideliter, constanter et ferventer rependamus, — amorem tandem *poenitentiae*, quo delicta et negligentias nostras nunquam obliviscamur.

395. Dignitas sacratissimi Cordis.

i. In mentem revoca scenam transfigurationis. M. 17.

ii. Summam postula reverentiam erga Cor Jesu. « Laetetur cor meum ut timeat nomen tuum. » Ps. 85, 11.

I. Cor Christi divinum est. « Sacratissimum Cor Jesu est cultu divino adorandum, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est. »

Veritati isti sublimi hoc responde suspirio : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Ps. 85, 3.

II. Inter omnes corporis partes, cor *magis sanctitatem participat* :

1. In sanctis affectibus animae Christi suo modo ac proprie *cooperatur*.
2. Excellentiores Spiritus sancti *dona* in cordibus sanctorum praecipua quadam ratione (quoad affectus sensibiles) recipiuntur et immorantur : — v. g. dulcedo, angustiae, gemitus. (Exempla revoca S. Francisci Xaverii, S. Philippi Nerei, S. Gertrudis.)

   Si haec vera sunt de sanctis, quanto magis de Sancto sanctorum.
3. In corde sedes sensibilis Spiritus sancti exsistit. « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Rom. 5, 5.
4. In corde solo Christus se praesentem sensibiliter reddit : « Misit (Deus) Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem « Abba, Pater. » Gal. 4, 6.
5. In persona Christi dicimus in Officio Festi : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam. »
6. Amore cordis sui Christus nobiscum permanenter habitat, ut rursus in Officio Festi audimus : « Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. »

   Ipsum igitur quam maxime revereamur. In Corde Jesu delectemur : —

   Quis non amantem redamet ?...
   Et Corde in isto seligat
   Aeterna tabernacula ?

396. Cor Jesu amoris symbolum.

i. Ob oculos mentis proponam mihi Jesum Cor suum pandentem S. Margaritae Mariae.
ii. Petam ut amore digno respondere valeam amori Christi.

I. Amoris et affectuum signum et sedes est cor.

Ita Cor Jesu signum et sedes est amoris Dei Redemptoris. Cor igitur est conprincipium immensi in nos amoris Christi.

« Quae igitur res seu in coelis, seu in terris cogitabilis est sanctior, dulcior, amabilior ? »

II. Cor illud amantissimum nobis pandit : —

1. amoris affectum plane divinum ;
2. beneficia redemptionis universis et singulis collata ; dona nempe omni auro pretiosiora, immo omnem aestimationem superantia ;
3. voluntatem generosissimam labores et dolores omnium causa tolerandi.

III. Cor Salvatoris tanquam reliquiam omnium sacratissimam in ecclesia quadam servari cogitabo. Quot ex omni mundi plaga concurrerent homines, ut carnem illam adorandam salutarent et colerent ? Cor autem quod veneramur, jam vivit, et iisdem ictibus pergit pulsari, quibus in infantia, in adulta aetate, in praedicatione publica, in agonia, in cruce.

IV. Cogitabo Verbum divinum, quod naturam humanam benigne assumpsit, ut vere et humano modo nostra omnia perferret, et ut nos nostro ipso corde tanquam fratres diligeret.

Cogitare enitar *affectus* quibus *excitabatur* in praesepio, in docendo, in patiendo, in dolorose praevidendo hominum infidelitatem, populorum duritiam, peccata nostra, socordiam tot fidelium, et ignaviam et negligentiam plurium, quos favore speciali honoravit.

397. Cor Jesu amoris symbolum (2).

i. Recordare simplex Gedeonis postulatum: « Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me. » Jud. 6, 17.

ii. Reminiscere pariter benignam Christi jussionem : *Videte palpate : affer manum ; mitte in latus meum.*

iii. Gaude et gratias age, quod Deus tam suaviter sese moribus nostris et mentibus accommodet.

---

1. Cor Jesu pie colendum tanquam amoris symbolum nobis suprema *auctoritate* exhibetur —
   1. Ecclesiae, quae cultum cordis Christi recepit, sancivit, fovit et magnopere commendavit ;
   2. Ipsius Christi Jesu, qui (ut pie teneri licet) venerandum Cor suum peramanter nobis colendum proposuit, dicens : « Ecce Cor meum, cor illud tanto amore hominum succensum. » Cf. cl. H. Nix, Cult. SS. Cordis Jesu, p. 11.

II. Hujus symboli *convenientia* singularis perpendatur.

Invisibilis Deus, qui lucem inhabitat inaccessibilem, multiplici modo se corporeis suis creaturis revelare et manifestare dignatus est : nimirum —

1. protoparentibus in paradiso ;
2. patriarchis in visionibus angelorum ;
3. prophetis in variis signis evidentibus ;
4. in prodigiis factis coram universo populo ;

5. in Filio suo incarnato : « Novissime diebus istis, locutus est nobis in Filio. » Heb. 1, 2.
6. in Ecclesia, quae tanquam civitas supra montem collocata est ;
7. in sacramentis, ut signis materialibus gratiae spiritualis ; ita Cor suum denique moderno hoc tempore ut dilectionis symbolum adorandum et amandum obtulit.

III. Cor enim naturale est symbolum affectuum, et organum eorum praecipue manifestativum, prout ostendit usus et omnium gentium, et sacrarum Scripturarum, et Ecclesiae : « Concaluit cor meum intra me. » Ps. 38, 4.

« Lava a malitia cor tuum. » Jer. 4, 14.

« Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris. »

1. Physice cor praecipue motibus affectionum pulsatur, dolore scilicet, amore, teneritudine. Et quod verum est de natura nostra generatim, id etiam de Christo dicendum, qui « per omnia nobis similis est factus absque peccato. »
2. Plurimi sancti in corde affectus supernaturales passi et miracula experti sunt.
3. Sicut sanguis redemptionis quam maxime a fidelibus honoratur, ita Cor Christi fons fuit sacrificalis unde sanguis pro nobis profluxit.
4. Cor Christi speciali vulnere transfixum fuit.

398. Qualis sit caritas Cordis Christi.

« Ego et Pater unum sumus. » J. 10, 30.

« Et ecce vox de coelis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » M. 3, 17.

« Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. » J. 15, 9.

I. Si charitas Christi spectatur, ut dicunt, remote seu secundum naturam ejus divinam et aeternam, est caritas ipsa Dei *increata*, qua unigenitus Patris humanam suscepit naturam. « Amor coëgit te tuus mortale corpus sumere. »

Mirificus ille amor traxit ipsum, ut de coelis in terras veniret, carnem nostram indueret, viveret nobiscum, doceret nos, pateretur, immo et moreretur, ut e morte nos eriperet et ad sui amorem suaviter redemptos impelleret.

II. Si vero consideretur proxime et velut proprie, seu secundum naturam Christi Salvatoris in carne nostra viventis, charitas haec *humana* fulget : —

1. *In mysterio crucis*. Etenim totam passionis acerbitatem ex amoris abundantia liberrimo consilio assumpsit. Effussisimam et vere divinam erga nos beneficentiam ostendere voluit, ut copiosissimo profluvio sanguinis universa peccata nostra centies milliesque abluerentur.

2. *In Sacramento amoris*, quo suos in finem dilexit ; i. e. summo opere, vel ad finem usque signa dilectionis protraxit, et dilectionis extremum affectum exhibuit.

Amorem nostrum mutuum compellere voluit. « Hoc facite in meam commemorationem. » L. 22, 19.

Unionem intimam nobiscum inire cupiit. » Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in manet, et ego in illo. » J. 6, 57.

Voluit tandem ut per ipsum vivamus : « et qui manducat me, et ipse vivet propter me. » ib. 58.

3. *In tota vita sua*, in qua praecipue caritas manifestatur : —

a. in exemplo vitae absconditae, humilitatis, paupertatis, patientiae ;

b. in benignitate, misericordia, affabilitate, quam omnibus exhibuit ;

c. in parabolarum suavitate et humanitate ;

d. in Ecclesiae institutione, qua cum electis suis filiis manet per omnes temporum vicissitudines usque ad rerum consummationem, et qua ceteros ad ovile suum securum et tranquillum benigne invitat.

III. Christi caritas *creata et increata* in una sociatae sunt persona divina, ita ut verba et gestus et operationes vere sint Dei-hominis.

Christum Deum adoremus, loquentem audiamus, amantem redamemus.

399. Cordis Christi perfecta caritas.

i. Quantum tibi possibile fuerit, mente humili ac tremebunda conscendas ad contemplandam aeternam Dei pacem, majestatem et pulchritudinem ; ac Spiritum illum divinum te semper vereque dilexisse memor esto.

ii. Cum fiducia respice vultum benignum Salvatoris dicentis : « Et animam meam pono pro ovibus meis. » J. 10, 15.

iii. Ad Cordis Christi penetralia sacra confugias.

---

1. Christi caritas secundum divinam ejus naturam nulla mensura est aestimanda, nam *infinita* prorsus est ; adeoque super omnia nobis adoranda et diligenda.

2. In Christo autem si humanae voluntatis proprius amor attenditur, hic etiam in ordine suo *supremus* dicitur et est, ceterorumque dilectionem omnem excedit.

Etenim 1. Cor amans Christi hominis unitur substantialiter Verbo Dei sanctissimo: 2.splendide fuit ornatum gratia sanctificante, virtutibusque infusis, ac praeser-

tim caritate superna, utpote gratiarum omnium principali.

Merito quidem ad dilectionis istius excellentiam illustrandam adduci possunt verba de Christo prolata :

« Ut sit in omnibus principatum tenens. » Col. 1, 18.

« Plenus gratiae et veritatis. » J. 1, 14.

« De ejus plenitudine nos omnes accepimus. » ib. 16.

Amoris sui praestantiam ipse nobis testatus est dictis praeclaris : « Majorem hac dilectionem nemo habet. » J. 15, 13.

« Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. » ib. 9.

3. *Universos* amplectitur caritas summa Dei Salvatoris :

« Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. » 2 C. 5, 15.

« Venite ad me OMNES. » M. 11, 28.

Venit ut salvetur mundus per ipsum.» J. 3, 17.

4. Loca omnia et tempora comprehendit :

« In caritate perpetua dilexi te. » Jer. 31, 3.

« Jesus Christus heri, et hodie : ipse et in saecula » Heb. 13, 8.

Caritas quidem nulla impeditur difficultate, irreverentia non repellitur, contemptu vel negligentia non extinguitur.

5. Modum omnem transcendit : hinc S. Paulus de ea loquens dicit : « ut possitis... scire.. supereminentem scientiae caritatem Christi. » Eph. 3, 19. Inde pariter dictum : « Caritas... Christi urget nos.» 2, C. 5, 14.

400. Amor Jesu splendet [1].

« In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum » 1 J. 4, 9.

I. Cultus sacratissimi Cordis est cultus amoris, qui in redamatione et reparatione praesertim exhibetur.

Festum porro SS. Cordis in peculiari aliquo mysterio recolendo non versatur, sed est aliarum potius solemnitatum, quibus varia celebrentur mysteria, tanquam compendium.

« Per festum Cordis Jesu, non solum repraesentatur aliqua gratia peculiaris, sed *fons ipse gratiarum*, quantus est. Non mysterium aliquod singulare recolitur, sed omnium mysteriorum principium contemplandum et adorandum proponitur. » 1 c.

II. Principium istud ob oculos attentius ponam: quae Deus nostri causa agit, ea agit unice propter amorem : *Sic Deus dilexit..; in hoc apparuit charitas Dei in nobis..; prior dilexit..; quum inimici essemus..; majorem charitatem nemo habet..; sicut Pater dilexit me, et ego vos : in finem dilexit eos* : *manete* (dicit) *in dilectione mea.*

III. *Amoris* impulsu Christus praenuntiatus est in vetere testamento, descendit de coelis in uterum virginis, gestatus est, ad Elizabeth portatus, natus, pauperibus annuntiatus, circumcisus, in Aegyptum deductus, reductus Nazareth, ubi diu latuit, parentibus subditus.

IV. *Amore* pariter actus baptizatus est, jejunavit, regiones

---

1. Secundum cl. Nix, Op. cit. pp. 51, 53.

Palaestinae peragravit, turbas docuit, morbos innumeros curavit, aliaque complura miracula patravit ; discipulos elegit, eorum pedes lavit, corpus suum et sanguinem dedit illis, mortem crudelem subiit.

Vere dilexit me, et tradidit semetipsum propter me.

Resurrexit ob justificationem et consolationem nostram, et ne derelinqueret nos orphanos, misit Spiritum sanctum Paraclitum, ut opera sua perficiat ; ad dexteram Patris sedet ad interpellandum pro nobis. Nobiscum tamen manet usque in finem saeculorum. Dedit ministros, et cum ministris suis intime et indesinenter agit « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi : Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. » Eph. 4, 12. 13.

401. De amore erga Cor Jesu.

1. In eum finem Ecclesia festum SS. Cordis instituit, et devotionem erga illud multipliciter promovit, ut amorem nostrum erga Cor vivum Salvatoris accenderet.
   a. « Praecipuum objectum hujus devotionis est *amor immensus Filii Dei*, qui ex eo pro hominibus ad mortem subeundam perductus est, et ad se eisdem in cibum praebendum sacramento eucharistico, absque eo quod mortalium ingratitudo, contemptus, injuriae et opprobria, quae ipse in eodem sacramento recepturus erat usque ad finem mundi, impedierint, quin quotidie iisdem opprobriis exponeretur in testificationem sui immensi amoris. » P. Croiset in Disp. sub Innocentio Papa XII. Nilles. p. 79
   b. « Clemens Papa XIII, festum in honorem Sanctissimi Cordis Jesu cum Officio et Missa nonnullis Eccle-

siis cclebrare permisit, ad immensum divini hujus Cordis *caritatem recolendam* : »

c. Pius IX (anno 1856) hoc festum et ad universam Ecclesiam extendit et ad altiorem ritum evexit « nova cupiens praebere incitamenta fidelibus ad *amandum, redamandum, amplectendum* vulneratum Cor ejus, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Cf. cl. Nix. p. 25.

Certe Salvator nihil potius habet quam ut amoris ignis, quo Cor suum conflagravit, in hominum animis eliciatur :.. mutuum a nobis amorem quasi mercedem exigit caritatis suae. Hinc a S. Sede approbatae fuerunt societates cum titulo « *Cordis Jesu et perpetui amoris ejusdem.* » Nilles. p. 81.

An sincere studeo Jesum intimius cognoscere (orando, meditando, legendo, studia mea rite et magno animo persolvendo), ut ipsum possim vehementer diligere ?

An zelum, spiritum, sensum Christi habeo ?

2. Oravit Dominus ut regnum Dei adveniret. Hujus regni Rex est Christus ; regnabit ipse in domo Jacob in aeternum. Non terras sed animas cupit ; non opum sed cordium oblationes desiderat. Unum tandem cupit, nempe *amari*. Amor servat mandata ; amor exercet consilia ; amor generosus est ; amor Magistro affectu flagrante adhaeret.

Quid est amare, nisi amatum cognoscere, saepe cogitare, non offendere, affectu prosequi, illi bene velle et benedicere, non debita tantum solvere, sed et indebita, et opera ac dona praestare generosa ?

3. « Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. » 1 J. 4, 19.

Hujus amoris inclytum signum est Cor amantissimi Dei Salvatoris.

« Si amare piget, saltem nunc *redamare* non pigeat. » S. Aug.

‘ Vide quo modo, immo quod sine modo a nobis Deus amari meruerit, qui prior ipse dilexit nos tantus et tantum, et gratis, tantillos et tales. Quis itaque tam durus et tam inhumanus, qui Cor Salvatoris contemplans amore nostri incensum.. non redamet, totoque corde complectatur ? ’

402. De redamatione sacratissimi Cordis Jesu.

i. « Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit. » Ps. 68, 21.

ii. « Studeant omnes christiani amantissimum Cor illud, quantum possunt, redamare. » Leo XIII. Jun. 28. 1899.

iii. Ut ad mentem Domini plenius perspiciendam perveniam, efflagitabo.

In cultu sacratissimi Cordis Jesu eminet amor ; non utique qualiscunque, sed talis qui corde grato amorem rependit amore. Quae quidem redamatio multiplex esse potest ac debet : —

1. Erga *proprium naturae nostrae bonum ;* etenim nobis contulit fidem, gratiam, redemptionem, sacramenta, haereditatem in coelis, vocationem ad sacerdotii munus honorabile.

2. Erga *amicum* carissimum et fidelissimum. Nam in se dignissimus est, et me magnopere diligit ; cor meum captare cupit et vinculo amoris sibi adstringere.

Nec unquam sinistre de me sentit, nec unquam me deseret ; nec recusat petentem, nec abjicit poenitentem, nec contemnit debilem, nec spernit peccantem, quia omnes sunt ejus possessio. « Christus heri, et hodie : ipse et in saecula. » Heb. 13, 8. « Amicus fidelis,

medicamentum vitae et immortalitatis. » Eccli. 6, 16.

Oportet igitur amicum illum Salvatorem Jesum saepe recolere, et maximi facere ; necesse est sane cum ipso sentire, in ipso delectari, ejus observare mandata et consilia suscipere. Demum quod sua interest, et nostra interesse debet.

3. Erga sanctissimum *Eucharistiae* sacramentum. Oportet enim fide viva suscipere et apprehendere majestatem Dei-hominis in tabernaculo latentem, — reverentia familiari colloqui cum Salvatore nostro ibi commorante, — efficere seu saltem conari ut tota vita nostra vertatur circa Christum nobiscum manentem sive in reali ac permanenti praesentia SS. Sacramenti, sive in solemniori cultu ejusdem, sive in eorum omnium suavi et frequenti memoria.

4. In cura et studio culpas vitandi. « Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » 1 J. 3, 18. Enitamur itaque sincere velle potius mori, quam graviter in Christum delinquere ; ac desiderare saltem malle mori, quam deliberatum peccatum veniale admittere.

403. De redamatione sacratissimi Cordis Jesu.

i. « Improperium expectavit cor meum, et miseriam. » Ps. 68, 21.

ii. Actum aliquem reparationis fervidum hodie perficiam.

Sacratissimo Cordi Jesu multiplici modo actus reparationis exhibere poterimus :

1. Studio in virtutibus *proficiendi*, praecipue in obedientia, sui ipsius abnegatione, diligentia, mansuetudine, caritate.

2. *In officiis nostris diurnis*, ut ea omnia (quatenus sunt secundum Dei voluntatem) propter Deum faciamus, et quantum possumus, modo optimo. Officia autem praecipua sunt ista : —
   a. cultus divini (ad quem perficiendum specialiter deputati sumus) ;
   b. studii ecclesiastici (propter pietatem erga Dominum scientiarum, propter honorem ministerio debitum, et propter salutem animarum) ;
   c. disciplinae (hac enim quam maxime instituitur et formatur vir spiritualis),
   d. sociabilitatis, et laboris cujusdam manualis (in quibus, dum fiunt, generali saltem mentis nisu Deum spectemus).

3. *amore crucis* : —
   a. ea nempe quae Christus nobis suo exemplo ostendit, nostra studiose et peramanter faciendo ;
   b. tanquam principium firmiter statuendo non esse sibi in quibuslibet etiam licitis indulgendum ;
   c. in praxi etiam aliquid sibi regulariter denegando.

4. perenni ac profundo sensu *grati animi*.

404. Quonam praesertim modo diligi oporteat Cor Jesu ?

i. Imaginatione mihi proponam Jesum quando « exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. » L. 6, 12.

ii. Ut mihi concedatur sensus Christi fiducialiter petam.

---

1. Specialis propriaque erga Cor Jesu devotio nec servorum est, nec simpliciter fidelium, sed familiarium Jesu, eorum nempe, quorum amor magis ardet.

Nos igitur, qui inter amatores Jesu adscribi cupimus, scire oportet profunda Cordis Christi, gustare quam suave sit, et magistrum ut confratrem vera dilectione amplecti.

2. Actus amantis sunt quidem omnia opera officii sui necessarii ; hinc qui haberi velit ut socius Christi, obedientiam, honorem debitum et observantiam adamussim praestabit. « Fili, serva mandata mea et vives. » Prov. 7, 2.

3. Sed amanti non sufficit illud tantum reddidisse, ad quod ex stricto jure aut facere aut omittere obstringitur; cupit enim ex propriis, ex arbitrio, ex animo magno et generoso aliquid dare. « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. » Ps. 118, 32.

4. In alto igitur perfectionis apice mandata Domini exsequetur ; v. g. non solum non irascetur cum fratre, sed mansuetudinem Christi imitabitur ; humilitatem magistri in moribus et affectu reproducere studebit ; spiritum crucis induet, quem verbo et exemplo docuit Christus.

5. Consilia dominica studiose et fideliter sequetur ; nimirum :

a. paupertatem spiritus, quem ante omnia Jesus benedictione coelesti sacravit ;

b. obedientiam ad normam quam tradidit Christus ;

c. vitam corde, ore et opere castam.

6. Dona colet Spiritus sancti. Quaenam sint ? an ego illa indui desidero

7. Fructus ejusdem Spiritus Dei colligere sataget.

« Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas...

Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. » Gal. 5, 22-5.

405. Quid Christo amanti debeamus ?

« In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. » J. 4, 10.

«Deus autem... propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos,. convivificavit nos in Christo. » Eph 2, 4.

« Quis prior dedit ei, et retribuetur ei ? » R. 11. 35.

I. Deus rerum cunctarum origo nihil nobis unquam debet, ita neque Christus fons amoris, misericordiae et gratiarum quidquam discipulis debere potest.

Bona innumera super omnem hominis cogitationem Christus mundo largitus est, at solo amoris affectu praeclaro.

Nos autem quid nisi amorem retribuendum habemus?

II. Multiplici quidem jure Christus nos possedit :

1. Titulo *creationis* ; in ipso enim condita sunt universa visibilia, invisibilia, spiritus cœlestes ; omnia per ipsum et in ipso creata sunt ; et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant. Col. 1, 15. 17.
2. Titulo *paternae donationis* ; ipsum enim Pater constituit haeredem universorum. Heb. 1, 2. « Omnia (dicit Christus) mihi tradita sunt a Patre meo. » L. 10, 22.
3. Titulo *gloriae* : « Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : Christus autem Dei. » 1 C. 3, 22.

III. Quot et quanta sunt, quae Christo in acceptis sunt referenda ?

1. *Fides* : « Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum. » Heb. 12, 2.

2. *Gratia* : ipse nobis fons aquae salientis in vitam aeternam ; ipse vites, nos palmites ; de plenitudine Christi nos omnes accepimus.
3. *Gloria* : ipsius enim est suis dare vitam aeternam.

Ipse voluntaria sui oblatione opus redemptionis consummavit.

Ipse mirabili passionis excessu copiosam omnibus meruit satisfactionem.

A clementia et meritis Salvatoris poenitens excluditur nullus.

IV. Ex Christo *capite Ecclesiae* gratiae perennes in membra defluunt. « Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. » Eph. 4, 7. Ipsi pariter sunt adscribenda quaecunque collata sunt « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » Eph. 4, 12.

V. Tanquam dilectionis fastigium legavit nobis Corpus et Sanguinem in sacratissima Eucharistia, « qua divitias divini sui erga homines amoris velut effudit. » C. Trid., s. xiii, c. 2. (cf. plura. Cultus SS. Cordis Jesu, Nix, p. 44 sqq.)

406. De vero in Christum amore.

i. « Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » 1 J. 3, 18.

ii. A datore summo bonorum omnium donum amoris sinceri supplex obsecrabo.

I. Amoris objectum proprium, quod in Christo complectimur, duplex esse constat : —

1. Ipsa *Dei bonitas* immensa, et pulchritudo infinita,

quae exiguitatem parvitatemque nostram adeo excedit, ut in conspectu illius omnes nos tanquam nihilum merito reputemur. Illa enim nos et reliquas creaturas omnes ex non-esse ad esse sola voce eduxit, in natura jam recepta continuo sustinet, et cuilibet creaturarum actioni cooperatur ; ab ipsa pariter dimanant dotes naturales omnes, ac dona quaevis supernaturalia.

2. *Bonitas* inexhausta *SS.Cordis* Salvatoris, qui divitias teneritudinis ostendit indesinenter et peramanter in tota vita humana, in institutione SS. Eucharistiae, in passione, et in longanimitate, qua hominum negligentias atque crimina pius tolerat.

II. Hujus amoris sinceri proprietates quaedam perpendendae sunt ; —

1. Doctrinis fidei praesertim innititur ; iis nempe quibus docemur de Dei majestate, altitudine, justitia, mansuetudine, misericordia, beneficentia et dilectione incomprehensibili.
2. In reverentia seu spiritu adorationis radicatur. « Diliges Dominum Deum tuum, » qui tamen nunquam non est Deus, nunquam minor est Deo, a quo summae suae majestatis attributum sejungi nunquam potest. « Initium sapientiae timor Domini. » Et quando Dominus apparuit Moysi, sic ipsum monuit : « Ne appropies huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est. » Ex. 3, 5.
3. Amor iste bonitatis supernae triplex fovit odium : —
   a. *peccatum* quodlibet odio habet : « Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est : et in hoc veritas non est. » 1 J. 2, 4.
   b. *mundum* odio habet : « Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. » 1 J. 2, 15.
   c. odium *sui* nutrit per spiritum poenitentiae :

« Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. » L. 9, 24.

III. Sensum amoris operibus probemus ; sincerus enim amor —

1. servat mandata : « Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. » J. 14, 21.
2. servat sermones : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit. ib. » 23.
3. diligit fratres : « Et hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. » 1 J. 4, 21.

407. De amplexu Cordis Christi Jesu.

« Praebe, fili mi, cor tuum mihi. » Prov. 23, 26 Cor enim ad cor loquitur.

« Osculetur me osculo oris sui. » Cant. 1, 1.

Cor Jesu amore amplectimur : —

1. In sacrosancto *Missae* sacrificio, ubi amor crucis actu positivo renovatur. « Amor meus crucifixus est. »

Ibi opus redemptionis actione sacrifica instauratur denuo : « Mortem Domini annuntiabitis. »

Ex Corde Salvatoris sacrificium Deo Patri offertur : « Hoc est corpus meum : hic est calix sanguinis mei. »

Amor cordis Jesu ipsum de novo constituit victimam. Qualis meus affectus, reverentia, dilectio et fervor in missa audienda ?

2. In sacra *communione*.

Amoris excessu singulari se nobis communicat reali et physica substantiae unione, et nobiscum aliquantisper commoratur. « Deliciae meæ, esse cum filiis hominum. » Prov. 8, 31.

Amor nullus intimior, suavior, plenior, validior quam amor Christi nobis seipsum dantis.

An omni qua valeo dilectione Dominum meum recipio ? An frequentius adhuc communicare desidero ? An sollicita cura praeparatus ad Dominum meum accedo ?

3. In *visitando Christo* sub velamine SS. Eucharistiae commorante.

Cor Jesu penes nos manet, nobiscum domicilium habet. Nos expectat, recipit, audit, amat, consolatur.

An privatim Dominum in Eucharistia visitare soleo ? An totis viribus pio cum illo colloquio tempore visitationis publicae incumbo ?

4. In *benedictione* Sanctissimi, ubi sacrum corpus velatum ostenditur ut a suis adoretur, laudetur, et ametur.

5. In oratione communi, et affectu perenni.

Cor enim nostrum ad Cor Jesu ardente orationis affectu jungitur. Saepissime igitur, prece brevi et ignita, ad Cor Jesu aspirabo, scilicet in munere fungendo, in tribulatione, in tentatione.

408. De reparationis cultu Cordi Jesu praestando.

i. Mente finge Christi apparitionem a S. Margarita Maria habitam.

ii. Gratiam pete spiritus reparationis.

I. Cum amoris cultu quem Salvator tantopere a suis efflagitabat, arcte nectitur studium reparandi injurias, quas Cor Jesu ab hominibus patitur. Immo docente Leone XIII, « Praecipuus... hujus cultus finis est, ut ingrati animi crimen tot hominibus commune debitis

obsequii, amoris et pietatis officiis expietur et Deus per Sanctissimum Cor Jesu humano generi placetur. » Litt. 28 Junii 1889.

Hinc perpendendum : —

1. quod Cor Jesu flagrante in nos affectu amoris succendatur ;
2. quod ex alia parte *a*. tantus sit neglectus, irreverentia, frigus eorum, qui Deo sunt dicati ; *b*. tot ab hominibus quotidie committantur peccata, tot deflenda sint sacrilegia, tot sint blasphemiae in Deum ejusque Christum, Sacratissimum altaris sacramentum et religionem ;
3. quod exinde veri amatores Jesu omni studio et affectu conabuntur voluntaria sua expiatione reparare ingentes constantesque injurias in ipsum illatas. Illud vero praestabunt

a Christo amoris vicem ferventer reddendo ;

b. illum orando perseveranter, adorando, laudando, eique fideliter serviendo ;

c. Christo Deo pro injuriis satisfaciendo.

« Studeant omnes Christiani amantissimum Cor illud, quantum possunt redamare ; studeant idem in tanta temporum iniquitate non modo neglectu, sed injuriis etiam et nequioribus quotidie ausibus lacessitum, supplici atque humili obsecratione lenire ; studeant scelera pietate, maledicta piis laudibus, contemptum amore rependere. » Leo XIII. Litt. cit.

409. De reparationis cultu Cordi Jesu praestando (2).

1. Reparationis principium est communicatio bonorum inter amicos. « In amore amicitiae amans est in amato, in quantum reputat bona vel mala amici sicut sua, et voluntatem amici sicut suam, ut quasi ipse in suo amico videatur bona vel mala pati, et affici. » S. Th., 1, 2, q. 28, a. 2. « Amor amicitiae quaerit bonum amici : unde quando est intensus,facit hominem moveri contra omne illud quod repugnat boni amici ; et secundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando si quae dicuntur vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. » ib. a. 4.

2. Bonum unicum quod Deus Verbum ab hominibus quaerit est amor. Quoties vero unico isto bono defraudatur et privatur ? Igitur necesse profecto est ut omnes, qui Christum diligunt, cum eo contristentur, et pro modulo suo defectum amoris supplere nitantur.

3. Christus id efflagitat : « Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni. » Ps. 68, 21.

   In revelatione facta S. Margaritae Mariae, Jesus hinc amorem suum ostendit, illinc vero hominum ingratitudines, irreverentias, sacrilegia, frigus et contemptum exhibet. « Itaque, » pergit Salvator, « a te requiro, ut (pii fideles)... injurias Cordi meo inflictas, violati honoris expiatione resarciant. » Nix, Cult. SS. Cordis, p. 87.

4. Quomodo reparatio exhibenda ?
   a. Actus bonos eliciendo : —
      α. fervidos ;
      β. contrarios injuriis SS. Cordi illatis —

i. adorationis pro neglectu,
ii. reverentiae pro levitate,
iii. laudis pro blasphemiis,
iv. amoris pro contemptu et odio,
v. servitii solliciti pro tepore.

b. Cultum divinum pro viribus promovendo, ut reparetur cultus absentia in tot catholicis, haereticis, apostatis, infidelibus ;

c. Crucem nostram laete bajulando, dolores voluntarie accipiendo, ut reparetur odium crucis Christi, et iniquitas, qua voluptas loco virtutis toties quaeritur.

410. De cultu sacratissimi Cordis Jesu.

Ethnicorum erat vitam ducere a principiis et oratione discordem.

Hinc rogat S. Augustinus : « Quae igitur causa est, nisi stultitia errorque miserabilis, ut... religione colas, quem imitari nolis, cum religionis summa sit imitari quem colis ? » De Civ. Dei, viii, 17, n. 2.

Et si cum Christo familiares esse velimus, immo si et simplices discipuli, mores ejus adoptare opus est : « Animarum similitudo... similibus moribus confit.» S. Aug., De Genesi ad litt, lib imp, n. 59. M. 3, 243.

Proinde si mores mei a moribus Christi sint dissimiles, neque amator neque cultor sum ejus.

In vita autem Christi istae praelucent virtutes :

1. *Amor Dei*, qui affectu et opere ostenditur :

a. *affectu* : « Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » Heb. 10, 9.

« Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant

te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » J. 17, 3.

b. opere : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor. » J. 5, 17.

« Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. » J. 17, 4.

2. *Amor hominum*, quo suos nondum creatos ab aeterno elegit dilexitque ; dum inimici essemus amor ejus non frigescebat, immo ideo quia genus nostrum misere peccaverat lapsumque fuerat, adventu suo mirabili dilexit illud ; dilexit, accepta conditione nostra servili, dilexit,verbo doctrinae salutaris, dilexit,assumendo nos in fratres, donando corpus et sanguinem, saluberrima sacramenta instituendo, dilexit, supremo redemptionis beneficio, missione Spiritus sancti, constitutione Ecclesiae,summa et continua in singulos gratiarum largitate.

3. *Mansuetudo* : quae virtus tanquam Magistro singulariter propria discipulis imitanda proponitur : « Discite a me, quia mitis sum. » M. 11, 29. Quam mitis fuit Dominus in nativitate, in fuga in Aegyptum, erga parentes suos, discipulos populumque, ac praesertim in horrenda passionis suae ignominia !

4. *Obedientia*. Legem enim studiose implevit ; et tanquam summa vitae absconditae refertur quod « erat subditus illis. » L. 2, 51. Et qui venit non ut faceret voluntatem propriam sed voluntatem Patris, factus est « obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Phil. 2, 8.

5. *Sui-abnegatio*. Elegit enim incommoda vitae pauperis, ignobilitatem conditionis inferioris, cibum simplicem et frugalem, duritiem artis fabrilis, lassitudinem vitae pastoralis, jejunii parcitatem, atrocia passionis tormenta.

6. *Humilitas* : quid enim humilius fingi potest tota vita Christi ?

411. De Cordis Christi passionibus.

i. Oculis meis proponam Magistrum in villa Gethsemane contristatum, maestum et suis dicentem : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » M. 26, 38.

ii. Piae compassionis et dilectionis intimae donum exposcam.

I. Mente recolam 1. quod in cor tanquam in centrum confluxerint omnes Christi passiones internae ; 2. quod multo acerbiores fuerint istae quam cruciatus, quos exterius sensu pertulit : « Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. » (Ex Missa.)

II. Revocabo timorem imminentis passionis, tristitiam quod beneficium Eucharistiae illico et ingrate rependeretur tormentis mox inferendis, maerorem ac taedium agoniae in hortu, horrorem et ruborem nudae flagellationis et crucifixionis, dolorem usque ad mortem, quo non sudor sed sanguis e poris in terram manavit, infractionem quamdam animi et demissionem de certo cognita inefficacia eorum omnium, quae patiebatur, sensum desolationis quo vel ipsum apostolorum solatium efflagitabat, quo tandem adductus est ut rogaret Patrem suum coelestem, ut transiret calix iste teterrimus. « Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. » Ps. 21, 15.

III. Cogitabo quantum cor Jesu laeserint infamia, ignominia, confusio crucis, quod quidem soli Deo est notum. Derelictio tandem Dei Patris quam maxime Cor piissimum Filii dilecti affecit.

« Improperium expectavit cor meum et miseriam. » Ps. 68. 21.

« Quos abluisti sanguine
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine. »

Saluberrimam crucis doctrinam, quam Christus verbo et exemplo inculcavit, statuam addiscere et meam facere. Christum in doloribus et adversis quotidianis sequi, aerumnas quasque et aegritudines, passionum Cordis Jesu memor, libenter ferre studebo.

412. Canticum laudis [1].

Pie recogita Dei Salvatoris adventum in terram, vitam humilem, doctrinam coelestem, miracula, mortem acerbam, resurrectionem, ascensionem, Ecclesiae constitutionem cum sacramentis, sacrificio et donis Spiritus sancti.

Recordare deinde (i) quid dederit tibi Deus creando, gratiis te ornando, vocando ad sacerdotium ; (ii) quid contra rependeris in pueritia, in juventute ; (iii) quod si forsan tu ipsum deseruisti, ipse te numquam recipere recusaverit.

Confitebor tibi Domine, (Dominum celebrabo laudibus, jubilo, gratulatione, gratiarum actione ;)

quoniam iratus es mihi : (ob peccata, eheu ! gravia ac levia, infidelitates, gustum plane mundanum :)

Convesrus est furor tuus, (propter poenitentiam sinceram)

et consolatus es me (Quia reversus sum ad Dominum, fontem pacis et gaudii ; et quia insuper singulari et stupendo amoris actu ipse ad me corporaliter venit).

Ecce DEUS (Emmanuel, nobiscum Deus)

1. Is. 12, 1. 2.

salvator meus, (nunc adest in Ecclesia, in sacrificio, in sacramentis ;)

fiducialiter agam, (quatenus ipsum adstantem mihi agnosco)

et non timebo : (mala scilicet non timebo neque ab hominibus, neque a daemonibus, quia ipse me corroborat et ab adversariis defendit :)

quia fortitudo mea, (ipse fons roboris quo indigeo)

et laus mea, (i. e. subjectum vel objectum laudis meae) ipsum carmine et laetitia celebrabo)

Dominus, (ipse Rex, magister, et amor meus)

et factus est mihi in salutem (Iterum cum emphasi repetitur istud « *Deus Salvator meus.* » Haec enim summa et cardo fidei nostrae ; scilicet Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei salvos nos fecisse in sanguine suo).

413. Quomodo agendum erga Cor Jesu ?

i. « Qui non diligit, non novit Deum. » 1 J. 4, 8.

ii. « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Servus tuus sum ego ; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua... Cum Samuele propheta humiliter ac desideranter obsecro: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Imit. Christi, II, ii.

Ut fructuose igitur Cor Jesu colamus, opus est praecipue —

I. **Scire illud.**

Cor enim Christi nobis colendum et amandum est oblatum, sed quo plenius, accuratius, certius Salvatoris naturam et indolem affectumque cognoverimus, eo vehementius eo magis fideliter ipsum redamabimus.

Haec autem in Christo mirifice fulgent : —

1. quod Deus sit et omnium Salvator ;
2. quod singulos favore individuo prosequatur, et personali ac privata dilectione complectatur ;
3. quod legifer sit generis humani ;
4. quod systema religionis constituat cum suo cultu Entis supremi, suo fine (qui est Deus possidendus), cum suis ideis circa necessitatem omnimodam salutis, peccati vitandi, et virtutis agendae ;
5. quod dignetur a nobis recipere non amorem tantum, verum etiam reparationem ordinis religiosi tantopere ab hominibus violati.

II. **Recte agere**.

Sane legislator mandata dedit, quae gravia non sunt, sed sunt plane servanda.

« Qui credit Deo, attendit mandatis. » Eccli. 32, 28. « Si diligitis me, » ait Salvator « mandata mea servate. » J. 14, 15.

Observanda proinde sunt : —

1. quoad *substantiam*, tum graviora (quorum violatio mortem infert spiritualem), tum leviora, quae licet animam non interimant, sunt prorsus vitanda ;
2. *cum affectu animae fidelis* : « In toto corde meo scrutabor mandata tua. » Ps. 118, 69. Strenue igitur agendum cum amore rectitudinis ; « Dilexi mandata tua super aurum et topazion. » Ps. 118, 127.
3. *quoad fugam periculorum* : « Viam iniquitatis amove a me. » Ps. 118, 29. « Dirige in conspectu tuo viam meam. » Ps. 5, 9.

414. De Cordis Jesu affectu benigno.

i. Ob oculos proponantur : —
1. ingens maestitia prophetae lamentantis urbem Sion depopulatam ;
2. afflictio Sponsae Christi de apostasia tot fidelium ;
3. maeror et abjectio hominis, qui vias malas percurrerit ;
4. dolor famulorum Dei de servitio ipsorum socordi, et innumeris offensionibus.

ii. Pete fiduciam misericordiae cordi Jesu inditae.

Miserebitur (factum futurae benignitatis et veniae annuntiatur)

secundum multitudinem miserationum suarum (Thren. 3, 32) :

(1. Misereri est de malo seu delicto cor tenerum et clementiae plenum manifestare ; neque justum exigere, neque vindictam postulare, sed infirmo indulgere, et facinoroso redeunti accedere eumque vere ut amicum, immo ut filium recipere.

2. Miserationes divinae nec rarae sunt, nec singulares sed quotidianae et perennes, ac supra omnem numerandi potestatem : « Miseratio hominis circa proximum suum : misericordia autem Dei super omnem carnem. » Eccli. 18, 12.)

non enim humiliavit (hominem afflictione non castigavit).

ex corde suo, (Poenam Deus non irrogavit tamquam eam ex se volens, vel ut impetu quodam excandescens, vel ut inimicus, vel ac si miseriis nostris delectaretur, vel ut tyrannus, sed tamquam invitus et necessitate quadam coactus correctionis et proba-

tionis, immo sicut «tactus dolore cordis intrinsecus. » Gen. 6, 6. Proprium enim ejus est nostri misereri ; summum enim bonum natura sua in id propensum est, ut bonum diffundat ; est ei quasi violentum et contra naturam quempiam affligere. « Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat ? » Ezech. 18, 23.)

et abjecit filios hominum : (Id affectui Dei creantis repugnat, quia creavit miserens, fovetque creaturas ut pupillam oculi, et plus quam mater eas amat.) *bonus est Dominus* (Nam summum et solum est bonum ; omnium semper scelerum miseretur ; natura clemens est et beneficus in creaturas suas, atque flagitiosis ipsis peccatoribus indulgens. Sane nostram naturam imbecillem condidit, et novit quid conderet ; illam voluit et aliam nullam. « Sentite de Domino in bonitate. » Sap. 1, 1.)

sperantibus in eum, animae quaerenti illum.

415. Quid in sacrosancto Christi Corde praecipue celebretur.

i. Ad mentem revoca hujus commemorationis sensum devotum, cultum nempe adeo per orbem diffusum sacratissimi Cordis hac feria sexta prima, quae in mense occurrit.

ii. Turbae piorum hoc amoris symbolum colentium spiritu te adjunge.

In Missae SS. Cordis actione liturgica haec praesertim colenda proponuntur :

1. *Exempli suavitas* :

« Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde » (Ex Graduali.)

Singula attente perpendas. Exemplum Christi salvificum accipias ; moribus tuis dulce hoc medicamentum sumas.

II. *Passionis acerbitas* : —

1. dolor : « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. »
2. opprobrium : « Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. »
3. contumelia : « Omnes videntes me deriserunt me ; locuti sunt labiis, et moverunt caput. »
4. horrenda cordis confusio : « Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. » (Ex Grad. et Tractu.)

III. *Amor* : —

1. quo dedit corpus et suum et sanguinem : « Cum dilexissit suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. » (Ex Grad.)
2. amor plane immobilis : « Improperium expectavit cor meum, et miseriam : et sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit : ci qui consolaretur, et non inveni. » (ib.)
3. amoris signum inclyti : cor scilicet apertum. (Ex Evang.)

IV. *Misericordia Dei benignissima* : —

« Conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. » (Ex Ep.)

416. Christus prope est.

« Nec est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. » Deut. 4, 7.

« Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus... Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab iis qui audierunt in nos confirmata est. » Heb. 2, 2. 3.

« Vide autem quomodo (S. Paulus in l. c.) faciat comparationem.... Illic, *Per angelos ;* hic autem, *Per Dominum ;* et illic quidem sermo ; hic autem salus. » S. J. Chrys., In Ep. ad Hebr., Hom. III, n. 3, v. fin. Vol. XII, 43.

I. Sicut Deus saepius angelorum ministerio Patriarchas visitavit, solatus est atque benedixit, ita quum foedus cum populo Israelitico institueret, regia Dei majestas famulatum angelorum continuo adhibuit : — v. g.
   1. in monte, ubi Moyses familiariter locutus est cum Deo ;
   2. in tabernaculo, ubi Dominus speciali modo penes populum suum commorabatur, cum Moyse colloquebatur, atque dubia resolvebat. Praeterea Angelus Jahve Israelitis praeivit in nube et in columna ignea, eosque per omnia protexit, et direxit, ac demum eos, licet durae cervicis, tamquam populum nimis dilectum tractavit.

II. In novo autem amoris foedere non angelum misit Dominus, sed *unigenitum suum Filium* ; neque dumtaxat ut olim servo suo Moysi ostendit posteriora sua, sed Filium carne vestitum omni populo conspiciendum

praebuit. Nec uni soli genti, sed omni pariter nationi sese cognoscendum, palpandum et diligendum concessit.

Adest nempe omnibus —

1. visibili salutis arca, quae est Ecclesia cum omnibus donis, quae sanguine suo acquisivit Salvator ;
2. corporaliter, realiter, essentialiter in sanctissimo Sacramento:

ac praeterea —

3. pro omnibus summum amoris actum singulis diei momentis in incruento Missae sacrificio instaurat ;
4. in sacratissima Eucharistia universis se offert amplectendum.

III. Coetus fidelium est *corpus Christi mysticum*. Ipse omnium caput ; ab ipso in membra defluunt vita ac vires spirituales, lumen et amor.

Per Spiritum gratiae et precum Christus suam vivificat, movet, ducit, perficit Ecclesiam.

In septeno gratiarum fonte, quem ipse suis aperuit, modo hactenus inaudito populum tangit elevatque manu divina.

Una cum Christo et Pater et Spiritus sanctus in animabus justorum peramanter habitant.

IV. *Transeunt mundi idola*, fama inconstans, opes incertae, potestas caduca, fugax felicitas ; sed Christus suis semper adest, cum suis promisit se esse in finem permansurum. Eos tandem suscitabit, atque in gloria sempiterna secum collocabit.

MEDITATIONUM ORDO.

PARS I. VIA PERFECTIONIS SACERDOTALIS

Caput I. Ingressus in Seminarium.

1. Juvenis primum ingreditur Seminarium 9
2. Invitatio psalmistae. 10
3. Invitatio sapientis 12
4. Monitum sapientis 13
5. Repetitio praecedentium 14
6. Ad quid venisti ? 15
7. De officio primario seminaristae. 16
8. Christus te reversum salutat 18
9. Discipulus Magistro vocanti respondet 19
10. Instructio Jeremiae prophetae 20
11. Instructio ex ore S. Pauli. 22
12. Ad quid homo in terra exsistit ?. 23
13. Monita Synodalia 25
14. Alia monita Synodalia.. 26
15. Quid Ecclesia petat pro clericis ? 27
16. Quid Ecclesia exigat a clerico missionario ? . . . 28
17. Protestatio clerici 29
18. Quinam sit finis proprius clerici ? 30

Caput II. Fundamenta vitae spiritualis.

19. De fine hominis 33
20. De fine hominis (2) 34
21. De vero hominis statu 35

22. De fine creaturarum. 36
23. De recto usu creaturarum 38
24. De indifferentia circa creaturas 39
25. De fine vitae. 41
26. De Dei gloria. 42
27. De Dei gloria quaerenda 44
28. De statu christiani 45
29. Affectus viri christiani. 46
30. Vocatio ecclesiastica 48
31. Vocatio ecclesiastica (2) 49
32. Adjuncta vocationis. 51
33. Officia seminaristae. 52
34. Vocatio missionarii. 54
35. Vocatio missionarii. (2) 55
36. Vocatio missionarii (3) 57
37. Summa praecedentium. 58
38. Officiorum repetitio. 60

Caput III. De peccato ejusque sequelis.

39. De tristi hominis statu 62
40. De peccato. 63
41. De peccato (iterum) 65
42. De peccato (3) 66
43. De peccato mortali 68
44. De peccato mortali (2) 69
45. De peccato mortali (3) 71
46. De peccato mortali (4) 72
47. De natura peccati venialis 73
48. Proprietates peccati venialis 74
49. Damna quae invehunt peccata venialia 76
50. Quid Deus, quid sancti de peccato veniali dixerint ? 77
51. De discrimine peccatorum venialium 78
52. Remedia peccati venialis 80

53. De remissione peccati venialis 81
54. De remissione peccati venialis (2) 82
55. De lucta sustinenda cum peccato veniali 84
56. Septem misericordiae 85
57. Fragmenta septem misericordiarum 86
58. Fragmenta septem misericordiarum (2) 87

Caput iv. De Novissimis.

59. De morte 89
60. De mala morte 90
61. De bona morte 91
62. De neglectu mortis considerandae 92
63. De mortis recordatione 94
64. Christus constanter expectandus 95
65. Judicium particulare 97
66. Judicium particulare (2) 98
67. De inferno 100
68. De poenis inferni 102
69. De natura purgatorii 104
70. Acerbitas poenarum purgatorii 105
71. Acerbitas poenarum purgatorii (2). 107
72. Principia de purgatorio 108
73. Officia nostra erga defunctos 109
74. Officia nostra erga defunctos (2) 111
75. Quomodo sint adjuvandae animae in purgatorio ? . 112
76. Quomodo sint adjuvandae animae in purgatorio ? (2) 114
77. Quomodo evitandae sint poenae purgatorii . . . 115
78. Purgatorium schola vivorum. 116
79. Pia purgatorii consideratio 118
80. De coelo 119
81. De patria beata 121
82. De visione Dei 122
83. De Jesu Redemptore videndo 124

84. Mansio coelestis 125
85. Societas sanctorum 126
86. Merces divina 127
87. Via ad coelum 129
88. Carmina coeli. 130
89. Carmina coeli (2) 131
90. De die novissimo. 133
91. De resurrectione carnis 134
92. De splendore corporum justorum 136
93. De corporis resurrectione (Repetitio) 137
94. Judicium universale. 139
95. Judicium universale. (2). 140
96. De processu judiciali 141
97. De mundi renovatione 142

Caput v. Gressus quibus itur ad perfectionem.

Articulus 1. De perfectione ipsa.

98. De desiderio perfectionis 144
99. De regno Christi 145
100. De regno Christi (2) 146
101. Protestatio boni militis Christi. 148
102. Incitamenta ad perfectionem 149
103. Quatuor cautelae 150
104. Quatuor axiomata S. Bernardi 151
105. De statu gratiae divinae. 152
106. Indicia vitae vere spiritualis 154
106. Indicia gratiae divinae 155
107. De vitae spiritualis actione propria 156
108. Quid agat vir spiritualis ? 158
109. De modo quo agit vir spiritualis 159
110. De actionibus rite instituendis. 161
111. De actionibus rite instituendis (2). 162
112. De studiis rite peragendis 163

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ART. 2. DE TRIPLICI HOSTE.

113. De diabolo 165
114. De mundo ut scala ad Deum 166
115. De mundo ut magno libro Dei 168
116. De mundo tamquam hoste 169
117. De mundo tamquam hoste (2) 171
118. De mundo vitando 172
119. Principia mundi versus principia Christi . . . 174
120. De hoste domestico 175
121. De agone christiano 177
122. Praecipuum virtutis obstaculum 178
123. Alia perfectionis obstacula 179

ART. 3. DE FIDE.

124. De fidei excellentia 181
125. De fidei excellentia (2) 182
126. Fidei nobilitas 183
127. Fidei qualitates 184
128. Media fidei obtinendae et exercendae 186
129. Solamina 187
130. Praxis fidei 189

ART. 4. DE VITIIS ET VIRTUTIBUS.

131. Vetus et novus homo 191
132. De vitiis 193
133. Remedia vitiorum generalia 194
134. Remedia vitiorum generalia (2) 195
135. De vitiis (Repetitio) 196
136. *De gula* 197
137. In gula quomodo delinquatur ? 198

138. De malis effectibus gulae. . . . . 199.
139. Remedia gulae 200
140. De sobrietate 202
141. Regulae ad temperate vivendum 203
142. De gula (2) 204
143. De honore *castitatis* 205
144. De horrore luxuriae 206
145. Remedia luxuriae 208
146. De castitate (2). 209
147. *Avaritia* 210
148. Monita Synodi Westmonasteriensis IV. 212
149. Remedia avaritiae 213
150. De avaritia (Repetitio) 215
151. *De iracundia* 216
152. Iracundiae mali effectus 217
153. Iracundiae remedia 219
154. Iracundiae remedia (2) 220
155. De iracundia (3) 221
156. De mansuetudine 222
157. De mansuetudine Christi. 224
158. Media ad mansuetudinem acquirendam 225
159. De mansuetudine (Repetitio) 226
160. *De invidia* 227
161. De indole peculiari vitii hujus 229
162. De malis inde consequentibus 230
163. Remedia invidiae 232
164. De invidia (Repetitio.) 233
165. De invidioso 234
166. De vitio zelotypiae 235
167. *De acedia* 237
168. Opera acediae. 238
169. Remedia acediae 239
170. De pigritia 241
171. Pigritiae remedia. 242
172. De otio 244
173. Remedia otii. 245

174. De acedia (Repetitio) 247
175. *De vana gloria* 248
176. De vana gloria vitanda 249
177. Fontes inanis gloriae. 251
178. Mali effectus vanae gloriae 252
179. Vitii hujus consectaria 254
180. Remedia vanae gloriae (Principia) 255
181. Remedia vanae gloriae (Praxis) 257
182. Christus fugit laudes humanas. 258
183. *De superbia.* 259
184. Species superbiae. 261
185. Gradus superbiae. 262
186. Dicta dominica 263
187. Imago hominis superbi 264
188. Pravi effectus superbiae. 265
189. Vexillum Christi et vexillum diaboli 267
190. Remedia superbiae 268
191. Remedia superbiae 269
192. *Humilitatis* notio 270
193. Humilitatis notio (2) 272
194. Humilitatis notio (3) 273
195. Fundamenta humilitatis 274
196. Fundamenta humilitatis (2) 275
197. Fundamenta humilitatis (3) 277
198. Fundamenta humilitatis (4) 278
199. Fundamenta humilitatis (5) 279
200. Fundamenta humilitatis (6) 280
201. Fundamenta humilitatis (Repetitio) 282
202. Humilitatis praestantia 283
203. Magister humilitatis 284
204. De humilitate erga proximum. 285
205. Praecepta apostolica. 286
206. De humilitate : Examen primum ; quoad Deum. . 287
207. De humilitate : Examen secundùm ; quoad superiores. 289
208. De humilitate : Examen tertium; quoad inferiores. 290

209. De humilitate 291
210. De beneficio humilitatis. 292
211. Dotes humilitatis 293
212. De bono humilitatis 294
213. Duodecim graduum humilitatis : series prima . . 296
214. Duodecim graduum humilitatis : series altera . . 297
215. Media ad humilitatem 298
216. Humilitatis indicia vera 299
217. Alia humilitatis indicia 300
218. *De magnanimitate* 301
219. Incitamenta ad magnanimitatem 302
220. Actiones christiani magnanimi 304
221. Indicia viri magnanimi. 305
222. De securitate christiana 306
223. De actionibus securitatis 308
224. *Abnegatio sui* 309
225. Abnegatio sui (2). 311
226. De mortificatione necessaria 312
227. De sui abnegatione in licitis 313
228. Christi dictum insigne 315
229. Christi dictum insigne interpretatur Angelicus Doctor. 316
230. De principio Christi primario 317
231. Repetitio circa sui abnegationem 318
232. Fructus sui abnegationis 320
233. Si socius fueris poenae, eris et gloriae 321
234. Dotes discipuli Christi 322
235. « Per crucem itur ad regnum » 323
236. Puncta quaedam doctrinae paulinae 324
237. S. Paulus magnus crucis praedicator. 325
238. Examen circa sui abnegationem 326
239. Exercitium sui abnegationis 327
240. Examen circa mortificationem sensuum 328
241. Examen aliud 330
242. *De amore proprio* 331
243. De amore proprio (2) 333

244. De actibus amoris proprii. 334
245. De actibus amoris proprii (2) 335
246. Media ad amorem proprium expellendum. . . . 336
247. Alia media ad amorem proprium expellendum. . 337
248. De notione *obedientiae*. 338
249. De notione obedientiae (2). 339
250. De duplici obedientiae ratione. 341
251. De excellentia obedientiae. 342
252. Obedientiae dos insignis. 344
253. Voces sacrae 345
254. De proprietatibus obedientiae. 346
255. Fructus obedientiae 347
256. Norma obediendi 349
257. De actibus obedientiae 350
258. De regula Seminaristae 351
259. Examen circa obedientiam 353
260. *De tentatione* 354
261. De tentatione metuenda. 355
262. De tentatione superanda 356
263. De bono tentationum. 357
264. Auxilium in tentatione 359
265. De Dei adjutorio in tribulatione 360
266. De fructu tentationum 361
267. Arma contra tentationes 363
268. De armis resistendi (Affectus) 364
269. Methodus pugnandi. 365
270. De certa victoria 367
271. De natura *teporis* 368
272. Signa teporis 369
273 Effectus teporis 371
274. Remedia teporis 372
275. De spiritu laetitiae 374
276. Spiritus renovatio 375

Articulus v. De progressu.

277. De negotiatione christiana 377
278. Quomodo oporteat nos ambulare 378
279. « Ut filii lucis ambulate. » 380
280 De profectu in servitio Dei 381
281. De communioribus mediis sanctificationis . . . 382
282. Instructio ex Regula Pastorali. 384
283. Delineatio boni seminaristae 385
284. Efficaciora progrediendi media 387
285. Efficaciora progrediendi media (2) 388
286. Quare plures non progrediantur in sanctitate ? . 389
287. Alphabetum religiosorum (1) 390
288. Alphabetum religiosorum (2) 391
289. Alphabetum religiosorum (3) 392
290. De fiducia in Deum 393

Articulus vi. De gratiarum actione.

291. De beneficiis Dei generalibus 395
292. De beneficiis Dei particularibus 396
293. De grato animo exhibendo 397
294. De obsequio praestando. 399
295. De actibus grati animi 400
296. Summa beneficiorum hoc anno receptorum. . . 402
297. De beneficiis mundo a Deo collatis 403
298. Quid infra annum efficere studuimus ? 404
299. Quales infra annum fructus meditandi praesertim curavimus ? 405
300. In fine anni 407
301. Votorum baptismalium renovatio 408
302. De quadruplici debito 410
303. In gratiarum actionem 411

304. In gratiarum actionem (2). 413
305. In gratiarum actionem (3). 414
306. Pia precatio Ludovici Blosii 415
307. « Laus tibi Domine. » 416

PARS II. DE VITA CHRISTI SALVATORIS.

Caput I. Praenuntiatio Redemptoris.

308. De Christo praenuntiato 421
309. De convenientia incarnationis 422
310. De convenientia incarnationis (2). 424
311. Amor Patris in opere incarnationis. 425
312. Isaias Christum praeclare annuntiat. 426
313. Antiphona « O Sapientia. » 428
314. Antiphona « O Adonai » 429
315. Antiphona « O radix Jesse. » 431
316. Antiphona « O clavis David. » 432
317. Antiphona « O Oriens. » 433
318. Antiphona « O Rex gentium. » 434
319. Antiphona « O Emmanuel. » 435
320. Christus jam jam advenit 437
321. In vigilia nativitatis Domini 438

Caput II. De Infantia Salvatoris.

322. Christus apparuit nobis. 440
323. Canticum laudis Christi Salvatoris 441
324. Pia Jesu salutatio. 442
325. Cur venerit Christus ? 443
326. Nativitas Domini contemplata 445
327. Pastores vigilantes 446
328. Quid invenerunt pastores ?. 447

329. De Christi nascentis paupertate 448
330. Christus manifestatur gentibus (Contemplatio). . 449
331. Christus manifestatur gentibus (2) 451
332. Magi dona Christo offerunt. 452

Caput III. De Passione Christi.

333. De passione Christi 454
334. De passione Christi (2). 455
335. Christus in horto (Narratio evangelica.) . . . 457
336. Christus in horto (Contemplatio) 459
337. Christus in horto (Tristitiae magnitudo) . . . 460
338. Christus in horto (Precatio sublimis) 461
339. Christus in horto comprehenditur. 462
340. Jesus apud Caipham. 464
341. Contumeliae Christo in domo Caiphae illatae. . 465
342. Petri negatio trina 466
343. Petri poenitentia. 468
344. Jesus a Synedrio traditur Pilato 469
345. Jesus coram Pilato sistitur. 470
346. Jesus ab Herode spernitur. 472
347. Jesus Barabbae posthabetur 473
348. Jesus flagellis caeditur 474
349. Affectus amantis 476
350. De virtutibus Christi flagellati 477
351. Suaves affectus in Christum patientem 478
352. Christus spinis coronatur 479
353. Christus rex spinis coronatus illuditur 481
354. Jesus coronatus populo ostenditur 482
355. Pilati interrogatio ultima et sententia 483
356. De Christi innocentia 485
357. De itinere ad supplicium 487
358. Salvator crucifigitur. 488
359. Verba Jesu morientis 490
360. Passionis brevis conspectus 492

361. Corpus Domini sepelitur 494
362. De Christi patientis exemplo 495
363. De Christi patientis exemplo (2) 497
364. Horarium dominicae passionis. 498
365. Pia salutatio Christi patientis 500
366. De Christi cruce tollenda 501

Caput iv. De Christi triumpho glorioso.

367. Christus resurgit. 503
368. Discipuli ad sepulchrum 504
369. De apparitione Christi facta matri suae benedictae 505
370. Christus sese manifestat Mariae Magdalenae. . . 506
371. Christus piis mulieribus sese ostendit 508
372. Christus apparet Simoni 509
373. Jesus apparet duobus discipulis in via 510
374. Christus discipulis in via loquitur 511
375. Christus cum discipulis in castello 512
376. Christus apostolis, absente Thoma, apparet . . 514
377. Christus poenitentiae sacramentum instituit . . 515
378. Christus apostolis, praesente Thoma, apparet. . 517
379. Apparitio Christi in littore maris. 519
380. Christus Petro confert primatum 520
381. Christus apparet in monte Galilaeae 522
382. De omnibus simul apparitionibus 524
383. Verba Christi de Ascensione sua 526
384. Apparitio Christi ultima 527
385. Christi gloriosa Ascensio 529
386. Quare Christus ascendit ? 530
387. Suaves affectus erga Christum triumphantem . . 531
388. Apostoli in coenaculo 533
389. De adventu Spiritus sancti. 535
390. De adventu Spiritus sancti (2). 537
391. De operatione Spiritus sancti in die Pentecostes . 539
392. Pia Spiritus sancti invocatio 540
393. Pia salutatio Spiritus sancti 542

Caput v. De Sacratissimo Corde Jesu.

394. De cultu sacratissimi Cordis 544
395. Dignitas sacratissimi Cordis 545
396. Cor Jesu amoris symbolum. 547
397. Cor Jesu amoris symbolum (2) 548
398. Qualis sit caritas Cordis Christi ? 549
399. Cordis Christi perfecta caritas. 551
400. Amor Jesu splendet 553
401. De amore erga Cor Jesu 554
402. De redamatione sacratissimi Cordis Jesu . . . 556
403. De redamatione sacratissimi Cordis Jesu (2) . . 557
404. Quonam praesertim modo diligere oporteat Cor Jesu ? 558
405. Quid Christo amanti debeamus ?. 560
406. De vero in Christum amore 561
407. De amplexu Cordis Christi Jesu 563
408. De reparationis cultu Cordi Jesu praestando . . 564
409. De reparationis cultu Cordi Jesu praestando (2) . 566
410. De cultu sacratissimi Cordis Jesu. 567
411. De Cordis Christi passionibus. 569
412. Canticum laudis 570
413. Quomodo agendum erga Cor Jesu ?. 571
414. De Cordis Jesu affectu benigno 573
415. Quid in sacrosancto Christi Corde praecipue celebretur ?. 574
416. Christus prope est 576

Bibliotheca Theologica ad usum Cleri.

That prospectus contains the works most useful to the clergy in the discharge of their duties. The firm undertakes the binding of all kinds of books.

Theologia, Philos., Jus Can.

Universa theologia scholastica quam in Collegio Lovaniensi S. J. tradiderunt L. De San, G. Lahousse, A. Vermeersch, S. J. Modo prodierunt :

I. *Tractatus de pœnitentia*, in-8°, p. 689, auctore L. De San. S. J. 5/8 Bound 7/3

II. *Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione et de Eucharistia*, in-8°, p. 822, auctore G. Lahousse, S. J. 6/6 Bound 8/o

III. *Tractatus de Virtutibus Theologicis*, in-8°, p. 412, auctore G. Lahousse, S. J. 3/7 Bound 5/3

IV. *Tractatus de Gratia Divina*, in-8°, p. 708, auctore G. Lahousse, S. J. 7/3 bound 8/10

V. *Tractatus de Traditione et Scriptura*, in-8°, p. 508, auctore L. De San. S. J. 5/8 Bound 7/3

VI. *Quæstiones morales ad hodiernum usum,scholastice disputatæ* ab A. Vermeersch, S.J. vol. II. *Quæstiones de justitia et jure*, editio II, 1904. 5/8 vol. Bound 7/3

VII. *Tractatus de Deo Creante et Elevante*, auctore G. Lahousse, 768 pp. 7/8 bound 9/3

VIII. *Tractatus de Ecclesia et Romano Pontifice*, auctore L. De San S. J. 7/3 bound 8/10

The other volumes are still to be published.

Praelectiones canonicae Arturi Vermeersch e S. J. Doctoris juris, lovanii in coll. Max. s. j. professoris theologiæ moralis et juris canonici. *De Religiosis Institutis & Personis Tractatus Canonico-moralis, ad recentissimas leges exactus.*

Tomus I. Ad usum scholarum. 4/o bound 5/3

Tomus II. Supplementa et Monumenta ad usum professorum. Editio II, 1904. 12/10 bound 14/5

Tomus III. Monumenta et Supplementa Periodica. Pars I Continuans De Religiosis T. II. 3/3 bound 4/6

Tomus IV. Monumenta et Supplementa Periodica. Per annum pars I. Periodica 3/3.

Methodus excipiendi Confessionem Brittanicè, Gallicè, Germanicè, Hollandicè, Italicè, Hispanicè et Danicè- Bound 1/3

Acta et Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae in Urbe celebrati A.D. MDCCCXCIX ejusque Appendix. 2 vol. in-8°, pag. circ. 1300. 8/-

Antonelli. Medicina Pastoralis. In usum confessariorum qui accedunt tabulae anatomicae explicativae auctore Sacerdote, Jos. Antonelli naturalium scientiarum doctore ac professore. Secunda editio, 2 vol. in 8° et tabulæ anatomicæ 16/- bound 18/-

BALLERINI. *A. Theologia moralis*, 7 vol in-8°, £ 1.16.0. Bound £ 2. 7.

BASTIEN (DOM). O. S. B. « *Constitution Conditae a Christo* » de Léon XIII sur les instituts à vœux simples et leurs relations avec l'autorité diocésaine. Texte et commentaire 1/-

BATTANDIER. *Guide Canonique* pour les Constitutions des instituts à vœux simples. 3/8 Bound 5/.

BATIFFOL. *Etudes d'Histoire et de théologie positive. — 1e Série.* (La discipline. — Les origines de la pénitence. — La hiérarchie primitive.) 2/10

id. *Etude d'Histoire et de théologie positive. — 2e Série.* — (L'Eucharistie. — la Présence réelle et la Transsubstantiation) 2/10

BERARDI. *Praxis confessariorum.* Editio nova, 4 vol. in-8°. £ 1.6 Bound £ 1.10.10.

id. *De recidivis et occasionariis.* 5/- Bound. 6/6

id. *Theologia Pastoralis* scilicet de Parocho et de Confessario monalium. 4/10 Bound 6/-

id. *Examen Confessarii et parochi.* Seu Compendium Theologiae moralis et pastoralis, 4 vol. 13/- Bound 3/5

id. *De sollicitatione.* 2/5 Bound 3/5

BERARDI. *Theologia moralis fundamentalis.* 3/3 Bound 4/5

id. *De Confessario monalium* 5/

BERTHIER. *Compendium Theologiæ* dogmaticæ et moralis cum præcipius notionibus theol. canonicæ, liturgicæ, pastoralis et mysticæ ac philosophiæ, 1 vol. in-8°, 5/-Bound 7/0

id. *Abrégé de théologie* dogmatique et morale, de droit canon, de liturgie, de pastorale, de théol. mystique et de philos. 1 vol. in-8°. 5/- Bound 7/0.

BERRINGER. *Les Indulgences,* latest edition 2 vol. in-8°. 8/- Bound 12/-

BETHLEEM. (prêtre) *Romans à lire et romans à proscrire* ; essai de classification au point de vue moral et religieux des romanciers modernes 2/10 Bound 3/10

BILLOT. *Theologia dogmatica : De Verbo Incarnato 5/6 ; De Ecclesia Christi 8/- ; De Deo Uno et Trino 6/5 ; De Ecclesiæ Sacramentis Tomus Ie 5/8, Tomus II 4/6 ; De Virtutibus infusis 5/ ; Disquisitio de natura et ratione peccati personalis 1/2 ; Quaestiones de Novissimus 2/0 ; De Inspiratione Sacræ Scripturæ. Theologica Disquisitio 1/5*

BOUQUILLON (TH.) S. TH. D. *Theologiæ moralis fundamentalis,* editio nova. 1903, 8/- Bound 10/-

BUCCERONI. *Institutiones Theologiae moralis,* 2 vol. 8/- Bound 10/-

id. *Casus Conscientiæ,* 1 vol. 7/. Bound 9/-

CAPPELMAN. *Medicina pastoralis.* 4/- Bound 5/-

CASTELEIN. *Cours de Philosophie.* 3 vol. in-8 16/ Bound 21/

V. CATHREIN. *Philosophia moralis* 4/6 Bound 5/6

id *Cursus philosophicus in usum Scholarum.* Auctoribus pluribus philosophiæ professoribus in Collegiis Valkenbergensi et Stonghurthensi S.J. 6 vol. in-8 1 £ Bound 1 £ 10

COCONNIER. *L'Hypnotisme franc.* 2/10 Bound 4/-

DE BECKER, Prof. Univ. Lov. *De Sponsalibus et Matrimonio, praelectiones Canonicæ.* II ed. 6/6. Bound 8/-

DENZINGER. *Enchiridion Symbolorum* et definitionum quae de rebus fidei et morum a conciliis œcumenicis et Sum. pont. emanarunt. 4/- Bound 5/-

DESURMONT. *La Charité Sacerdotale* ou leçons élémentaires de Théologie pastorale. 2 vol. in-8°. 6/5. Bound 8/5

ESBACH. *Disputationes* physiologico theologicæ tum medicis tum theologis et canonistis utiles, in-8°. 8/. Bound 10/- Tabulæ anatomaticæ, 2/6.

GAUME. Manuel des Confesseurs 4/- Bound 5/3

GENICOT, *S. J. Theologiæ moralis* institutiones, 2 vol. 9/8. Bound 14/-

id. *Casus conscientiæ*, 2 vol. 8/- Bound 10/-

GURY-BALLERINI *Theologia moralis*. Ed. novissima, 2 vol. 14/- Bound 18/-

GURY. *Casus Conscientiæ* 2 vol. 8/. Bound 10/.

HAINE. *Theologia Moralis*, 4 vol. 8/- Bound 12/-

Index librorum prohibitorum SS. D. N. Leonis XIII jussu et auctoritate recognitus et editus. Præmittuntur Constitutiones Apostolicae de examine et prohibitione librorum 4/- Bound 5/0.

HURTER. *Theologia dogmatica*. 3 vol. in-8°. 16/. Bound £ 1.1.

JAUGEY. *D. D. Dictionnaire apologétique* de la foi catholique, contenant les preuves principales de la vérité de la religion et les réponses aux objections tirées des sciences humaines £ 1. Bound £ 1-4.

JODER. *Formulaire matrimonial*. Guide pratique du curé pour tout ce qui concerne le mariage 2/10

LAURENTIUS. *S. J. Institutiones Juris Ecclesiastici in usum Scholarum* 1 vol in 8° 10/ Bound 12/

LESSIUS. *De* L *nominibus Dei* 10 p.

LEHMKUHL. *Theologia moralis*. Editio decima, 1902, 2 vol. 16/- Bound 20/-

id. *Casus Conscientiæ*, 1903, 2 vol. 13/- Bound 15/

LESSIUS (L.) T. I. *De perfectionibus moribusque divinis*. — T. II. *De Gratia*. — T. III. *De Summo Bono*. each vol. 5/- Bound 6/6

MACH. *Trésor du prêtre*. Répertoire liturgique, théologique et ascétique, 2 vol. 5/- Bound 7/3

MANNASSERO. *Tabulæ Theol. moralis* 4 vol. 5/

» » *dogmaticæ* 1 vol 2/5

MATHARAN. *Asserta moralia*. 2/.

NOLDIN, S. J. *Summa Theol. Moralis*, 5 vol. 20/-bound 24/-

OJETTI, S. J. *Synopsis rerum moralium* et juris pontifici alphabetico ordine digesta et novissimis SS. RR. Congr. decretis aucta in subsidium praesertim sacerdotum. 2 vol. 16/- Bound 18/-

PARKINSON (H). S. TH. D. *Definitiones philosophiæ universæ* 1/-

PESCH, S. J. *Prælectiones dogmaticæ*, 9 vol. in-8°. £ 2. 8. Bound £ 3. 2.

PHILOSOPHIA LACENSIS *sive series institutionum philosophiæ scholasticæ* edita a presbyteris S. J. in Collegio B. M. ad Lacum 1/ vol in-8 66/ Bound 76

RAYMUNDI ANTONII. *Instructio pastoralis seu Theologia pastoralis*, 1 vol 8/- Bound 10/-

REINSTADLED. *Elementa philosophiæ scholasticæ* 2 vol 6/ Bound 8/

REUTER. *Neo Confessarius practice instructus*. 2/10 Bound 3/10
» » *edidit* A. Lehmkuhl 4/ Bound 5/3

RIBET. *La mystique divine* distinguée des contrefaçons diaboliques et humaines. 3 vol. 14/5

SABETTI (A.). *Compendium Theologiæ moralis*. 1 vol., in-8° 7/- Bound 9/-

SCHNEIDER ET LEHMKUHL. *Manuale Sacerdotum*. 6/- Bound 7/3

SCHOUPPE. *Theologia Dogmatica*, 2 vol. 8/- Bound 10/6

SURBLED (Dr.). *La morale* dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène 4 vol. in-18. 13/- Bound 16/2

Tome I. Célibat et mariage. — Tome II. La vie sexuelle. — Tome III. La vie organique. — Tome IV. La vie psychosensible.

TANQUEREY. *Synopsis theologiæ* dogmaticæ ad mentem S. Thomae Aquinatis, 3 vol. in-8°, 11/- Bound 14/6

id. *Synopsis theologiæ* moralis et pastoralis. *Tome I. De Pœnitentia, De Matrimonio et ordine 3/8 bound 5/- — Tome II. Theologia moralis Fundamentalis. De Virtutibus et præceptis 3/8 bound 5/- — Tome III. De Virtute Justitiæ et de Variis Statuum obligationibus 3/8 bound 5/-*

THOMÆ AQUINATIS. *Summa philosophica*. 3/- Bound 4/6

id. *Summa theologica*. 12/- Bound £ 1. 0. 6.

TOUROUDE. *L'Hystérie.* Sa nature, sa fréquence, ses causes, ses symptômes et ses effets, 3/3

VIVES. (CARD. O. M. C.) *Compendicum Theol. Moralis* ed. 7m 4/- bound 5/-

» » » *Compendicum Theol. Dogmatica* 4/ bound 5/

» » » *Compendicum juris canonici* 3/ bound 4/6

Conciones & Meditationes.

ADAM CHrs *Un pasteur à ses ouailles.* sermons et instructions simples et pratiques 6 vol. 18/o

BÉGUINOT. (MGR) *Elévations au S. Cœur* d'après les litanies du S. Cœur 2/8

BERTHIER. *Le prêtre dans le ministère de la prédication* et Recueil de sermons pour les missions, retraites, etc. 1 vol. in-8°. 6/5. Bound 8/.

BERTHIER. *Paroles et traits historiques* 2/ bound 2/10

BOUCHAGE. (*Rédempt.*) *La pratique d'une vertu par jour* 3 vol. 8/10 Bound 11/10

DE HARBE. *Catéchisme en exemples*, 3 vol. in-8°. 11/3 Bound 14/3

DE HAUT. *L'Evangile expliqué défendu et médité* ou exposition de la vie de N. S. J.-C., d'après les Evangélistes, 4 vol. 14/6 Bound 18/6

DESCHREVEL. (A. C.) *S. Th. L. Florilegium* seu fasciculus Precum et Exercitiorum quæ florum instar collegit ac in sertum redegit. Bound 4/.

DOUBLET. *Saint Paul, étudié en vue de la Prédication*, 3 vol. 8/6 Bound 11/6

id. *Jésus-Christ étudié en vue de la Prédication*, 3 vol. 8/6 Bound. 11/6

id. *Les Psaumes étudiés en vue de la Prédication*, 3 vol. 8/6 Bound. 11/6

id. *Les richesses oratoires de S. Jean Chrysostôme.* disposées pour la Prédication, 2 vol. in-8°. 10/. Bound 12/6

id. *Guide du prêtre dans ses prédications.* Choix et développement des sujets, 4 vol. in-8°, £ 1. Bound £ 1. 5.

DOUBLET. *Conférences aux dames sur la vie chrétienne,* 3 vol. 8/6 Bound 11/6

id. *Étude complète du Christianisme à l'usage des catéchistes,* 3 vol. 8/6 Bound 11/6

FRIEDLIEB. *Archéologie de la Passion de Notre-Seigneur,* d'après les principes de l'harmonie des Evangiles au point de vue historique et critique 5/. Bound 6/6

GAY (Mgr). *De la vie et des vertus chrétiennes,* considérées dans l'état religieux, 2 vol. 10/ Bound 12/6

id. *Entretiens sur les mystères du rosaire,* 2 vol. 6/. Bound 8/.

GIBIER. *La désorganisation de la famille.* Conférences aux hommes 3/3 Bound 4/3.

id. *Nos plaies sociales.* Conférences 3/3 Bound 4/3.

id. *Les objections contemporaines contre la religion.* 2 vol. 6/6 Bound 8/6

id. *Les objections contemporaines contre l'Eglise,* 2 séries 6/6 Bound 6/6.

id. *L'Eglise et son œuvre,* 1er volume 3/3.

id. *Le Catholicisme dans les temps modernes,* 2 vol. 6/6 Bound 8/6

GOSSELIN, *Instructions* dogmatiques, historiques et morales sur les principales fêtes de l'année, 3 vol. 6/6 Bound 10/.

HALLEZ, (professeur d'éloquence au grand Séminaire de Tournai.) *Plans d'instructions sur le symbole, les sacrements, le décalogue et la prière,* d'après le Catéchisme du Concile de Trente, 7 vol. in-12, 13/8

JOUVE. *Le Missionnaire de la campagne.* Cours d'instructions pour les missions et les retraites, 4 volumes. 11/6. Bound 15/6.

id. *Instructions pour les Congréganistes,* 2 vol 6/ Bound 8/.

id. *Dominicales du curé de campagne.* Instructions simples et pratiques pour chaque dimanche. 3 vol. 8/. Bound 11/.

id. *Instructions sur la doctrine chrétienne.* 2 vol. 6/ Bound 8/.

id. *Préparation au grand jour* ou Instructions pour la première Communion. 3/ Bound 4.

LAGARDE. *Le trésor évangélique pour les Dimanches et les fêtes.* 2 vol. 6/6. Bound 8/6.

Caput I. Ingressus in Seminarium.

I. Juvenis primum ingreditur seminarium.

i. « Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. » Ps. 121. 1.

ii. Pete ut magno animo statim incipias opus disciplinae salutaris.

---

1. Discedit juvenis a vanitate et distractione mundana ut *accedat* ad pacem et suavitatem servitii divini. « Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. » Ps. 83. 2. Hinc cogita quam levia, transitoria, insipientia sint mundana omnia, inde vero quod ea quae nunc agenda suscipis, gravia sint, aeterni valoris, et actus sapientiae verae.

2. Ascenditur nunc *ad altiora* : —
   a. e schola ascendis ad coetum juvenum ecclesiasticorum ;
   b. ex pueritia gradum facis ad adolescentiam ;
   c. ex minoribus transis ad maxima : ex artibus humanis ad studia divina ;
   d. ex tyrocinio progrederis ad palaestram virorum. « Cum essem parvulus... sapiebam... cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. » 1 C. 13. 11.

3. *Accessus* tandem fit ad sortem clericorum ; « vos

CALMES. *L'Evangile selon St-Jean.* Traduction critique. Introduction et commentaire. 7/3

CORNELIUS A LAPIDE. *Commentarii* in sacram scripturam. 26 vol. in-4. Bound £ 7

CORNELY. *Synopsis omnium librorum.* Sacrorum utriusque Testamenti. 1 vol. 5/- Bound 6/6

DELATTRE. *S. J. Autour de la Question biblique* 2/10

DE RIESS. *Atlas Scriptarae Sacrae*, in fol. Bound 7/

DIDON. *Vie de Jesus-Christ.* 1 vol. 4/. Bound 5/

FOUARD. *La vie de N. S. Jésus-Christ*, 2 vol. 6/6. Bound 8/6

id. *Saint Pierre et les origines de l'Eglise* 3/3 Bound 5/3

id. *Saint Paul et les origines de l'Eglise*, 2 vol. 6/6 Bound 8/6

id. *S. Jean et les origines de l'Église*, 3/3 Bound 4/3.

JACQUIER. *Histoire des livres du Nouveau Testament.* 2 vol. 5/8 bound 7/8

LAGRANGE P. *La méthode historique*, surtout à propos de l'Ancien Testament, 2/- Bound 3/-

id. *Etude sur les Religions Sémitiques.* 6/6 Bound 7/9

PELT. *Histoire de l'Ancien Testament* d'après le Dr Schopper. 2 vol. 5/- Bound 7-

PESCH. *De Inspiratore Sacrae Scripturæ*, 8/10 Bound 10/

SCHOUPPE. *Explanatio Psalmorum* qui in officiis recitantur 1 vol. 3/6 bound 5/-

id. *Cursus Scripturæ-Sacræ.* 2 vol. 7/- Bound 10/-

VAN STEENKISTE. *Commentarius in Psalmos*, 3 vol. 12/- Bound 15/-

id. *Commentarius in Epistolas S. Pauli* 2 vol. 12/- Bound 15/-

id. *Index rerum* et sententiarum ordine alphabetico digestus. Appendix ad comment epistolas S. Pauli, in-8°. 1/-

id. *Questiones* in Epistolas S. Pauli. 1/-

id. *Actus Apostolorum*, in-8. 3/7. bound 4/10.

id. *Epistolæ catholicæ*, in-8°. 2/5. bound 3/5.

id. *Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum*, additis ubique locis parallelis aliorum Evangelistarum, amplo commentario, tum morali et homolitico e ss Patribus quum literali et exegetico ex auctoribus nostræ ætatis, illustratum. Quarta editio. Brugis, 1903. 4 vol. in-8°. 16/- bound £ 1.

Hoc opus continens plus quam 300 homilias in Evangelia perutile erit concionatoribus, qui ibi inenient amplissimam materiam in suis dominicalibus homiliis exarandis.

VICOUROUX. Les livres saints et la critique rationaliste, 5 vol. in-8°. £ 1. bound £ 1.5.

id. *La bible* et les découvertes modernes en Palestine, en Egypte et en Assyrie 5/ vol. 16/ bound £ 1.

id. *Le Cosmogénie Mosaïque.* 3|3 bound 4/3

Historia Ecclesiastica.

ALLARD. *Histoire des persécutions,* 8 vol. in-8°. £ 1.19. Bound £ 2.1.

ALLARD P. *Le Christianisme et l'Empire romain,* de Néron à Théodose 2/10

id. *Les Esclaves chrétiens,* 3/3

id. *Esclaves, serfs et mainmortables* 25

id. *Etudes d'histoires et d'archéologie* 2/10

BRUCK. *Histoire de l'Eglise,* 2 vol. 10/- Bound. 13/-

FUNCK. *Histoire de l'Eglise* avec une préface de l'Abbé DUCHESNE, 2 vol. 6/6 Relié 8/6

GUERIN. *(Mgr). Les petits Bollandistes.* Vie des Saints. 20 vol. in-8°. £ 4.10. Bound £ 6.

GUIBERT. *Les origines.* Questions d'apologétique, origine de la vie, origine de l'homme, unité de l'espèce humaine, etc. 1 vol. in-8. 5/. Bound 6/3

HAMON. *Vie de S. François de Sales,* le modèle des prêtres, 2 vol. in-8°. 10/- Bound 13/-

HERGENROETHER. *(Card). Histoire de l'Eglise,* 8 vol. in-8° £ 2. Bound £ 2.12

JUNGMAN. *Dissertationes in Historiam Ecclesiasticam'* 6 vol. £ 1.9. Bound £ 1.14

SALEMBIER. *Le grand Schisme d'Occident.* 3/- Bound 4/-

WILMERS. *Histoire de la religion* prouvant la révélation divine et la conservation par l'Eglise, 2 vol. 11/- Bound 13/6

Liturgia. — Archéologie.

BARBIER DE MONTAULT. *Traité pratique* pour la construction des églises. 2 vol. 10/ bound 140/

BERNARD DE S. SULPICE. *Cours de liturgie* romaine ou explication historique, littérale et mystique des cérémonies de l'église. La messe. 2 vol. 6/- Le Bréviaire. 2 vol. 6/- Le Rituel. 2 vol. 5/- Le Pontifical. 3 vol. 7/6 The binding of each vol. costs 1/-

CABROL. (Dom). *Le livre de la prière antique.* 3/- Bound 4/-

DUCHESNE. (Mgr) *Origine du culte Chrétien.* Etude sur la liturgie latine avant le christianisme. 3e éd. 8/- bound 9/3

LEROSEY. *Manuel liturgique* à l'usage des séminaires et du clergé. 4 vol. in-12. 13/- Bound 18/-

Pontificale Romanum. Ed. Novissima. 10/- Bound 12/ et 15/

REUSENS. *Archéologie sacrée.* 2 vol. 16/- Bound £ 1.

RITUALE ROMANUM in 4° bound in marocco 13/
» » in 8° » » 10/
» » in 24 » » 5/
» » Compendium » 3/3

Ritus Benedictiones et impositionis primarii lapidis consecrationis ecclesiæ et altarium ex pontificale depromptus. 2/- Bound 3/-

Vade mecum pii Sacerdotis sive preces ante et post missam, aliæ preces, Sacramentorum ritus, Benedictione variæ etc. bound 1/6

VANDERSTAPPEN. *Sacra liturgia.* De officio divino : 3/10 — De Rubricis, 3/3 — De celebratione SS. Missæ, 4/10 — De administratione sacramentorum. 4/2 — Ceremoniale seu manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas 1903. 4/-

VELGHE. *Cours élémentaire de Liturgie sacrée.* 3/- Bound 4/-

Musica Sacra.

NEW VATICAN *Kyriale Romanum*, Ratisbon Edition, about 85 pp. in-8°, plain chant, printed in black, bound 1/

idem printed in *red* and *black*, in-8°, bound 1/5

LIBER GRADUALIS ORIGINAL VATICAN EDITION in-8°, unbound, 4s. 10d. bound (sub prœlo) 5/6

Kyriale, Ratisbon edition, modern notation, five line staff. bound 1/

Organ Accompaniment of the Kyriale. Edidit Fr. Mathias 5/ bound 7/

new Gregorian Chant School by Dom. Johner, O. S. B.

The complete Catalogue of sacred music of the Society of St. Cecily and the Catalogue of Solesmes publications will be sent free on application.



248.32
P16

Parkinson, H.
AUTHOR

Refectio Spiritualis
TITLE

vol. 1

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED

vol. 1